



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

Pars I. De Legibus in communi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

æternaliter à Patre, & Filio, tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedere; consequenter doctrinam, huic oppositam, esse certò falsam, & contra veram fidem.

20 Not. 3. Fundamenta Græcorum, quibus ducebantur ad dicendum Spiritum S. procedere à solo patre, fuisse. 1. ex illo Joann. 16. *Spiritus Sanctus, qui à patre procedit*; item, quia in symbolo, apud eos edito, simpliciter continetur: *qui ex Patre procedit*: demum ex L. 2. C. de summa Trinit. ubi dicitur *Spiritum Sanctum, quem ex summo rerum Parente speramus*. Verùm (ut rectè notat. Gloss. in. cit. Clement. *Fideli* & V. *Filio* expressio Patris, non excludit Filium; sed potiùs includit; hujus ratio est; quia ipsorum opera inseparabilia sunt ex c. *sic enim*. 2. *Beator*, 28. q. 1. & c. *fin. dist. 3. de consecrat.* Rationem autem ulteriorem dant Theologi. 1. *quia submotà à Filio, Spiratione activà, tollitur inter eum, & Spiritum S. oppositio relativa producentis & producti, quâ unâ juxta Conc. Florent. sess. 18. V. Dico equidem, in Divinis una Persona differt ab alia; 2. consubstantialitas inter Patrem & Filium, quam Græci concedebant; vel Filius elicit spiratus seu Spiritus, quod negabant; ut breviter insinuatum est supr. 3. quia sic Spiritus Sanctus non esset passivus amor Patris & Filij mutuo sui amore spirantis Spiritum, amore fecundo, ut diximus alibi.*

21 Demum in Clement. *Fidei Catholica* habetur, fateri Concilium Viennense (quod

habitum est sub Clemente V.) Unicūm Dei Filium, in essentia Dei æternaliter subsistentem, verum corpus assumpsisse de Virgine, & in eo passum, etiam mortuum, lanceâ perforatum, approbando in hoc ordinem quem tradidit S. Joannes. & ibidem in §. *Porrò*, reprobatur, & hæreticam judicat doctrinam, quæ habet, quod substantia animæ rationalis, seu intellectivæ verè & per se humani corporis non sit forma. Ubi not. 1. quòd textus eum condemnet *ut hæreticum*, qui vel temerè asserit animam rationalem non esse verè formam corporis humani, vel qui, *an sit?* vertit in dubium, ut constat ex verbis ibi. *temerè asserentem, aut vertentem in dubium*. not. 2. secundum Gloss. ibid. V. *temerè* per hunc terminum idem importari, ac *presumptuosè, stultè, sine causa, sine consilio & ly dubium*, ibidem accipi, *de dubio hæretico* nimirum cum pertinacia; sic Gloss. V. *in dubium*. Not. 3. ex hoc quòd in isto textu expressè mentio solùm fiat animæ rationalis; non inferri legitimè, quòd anima sensitiva, & vegetativa non sit verè, ac propriè forma corporis: non enim omisum fuit ideo, quòd contrarium, vel oppositum, de hac senti retur: sed quia de sensitiva & vegetativa non fuit opinio contraria sicut de rationali, seu intellectiva, de quo videri potest Gloss. ibid. V. *Intellectiva*. Nam decisio quæstionis dubiæ referenda est ad expressà in dubitatione, & data ad eam resolutione.

## QUÆSTIO II.

### In Tit. II. De Constitutionibus.

22 **C**onstitutio generaliter, & latè sumpta supponit pro qualibet lege, vel jure humano scripto, à quocunque habente potestatem ferendæ legis condito; Specialiter autem, & strictè pro illo jure scripto, quod vel summus Pontifex, vel Imperator, vel alius supremus Princeps condidit. c. *Constitutio. dist. 2.* Ex constitutionibus, aliæ sunt civiles, quæ à potestate sæculari; aliæ Canonica, seu Ecclesiastica, quæ à potestate Ecclesiastica conduntur, & promulgantur. Cum autem juris humani scripti, tam Civilis, quàm Ecclesiastici, sint variæ species, ut constabit ex seqq. variæ quoque sunt species

constitutionum. Cæterum hîc *constitutio-nem* sumimus latè, pro omni humano jure, vel lege scripta, generaliter acturi de legibus humani juris, tractatu in duas partes divisò.

### PARS I.

#### De Legibus in communi.

**C**um materia de legibus sit fundamentum potissimarum quæstionum, non tantum in jure; sed etiam morali Theologia (nam ab earum justitia, publicatione, acceptatione, interpretatione, exten-

extensione, restrictione &c. plurimæ resolutiones dependent) tractatum hujus tituli de Constitut. in duas partes dividimus, acturi in 1. de lege in communi; in 2. de legibus in particulari.

## ARTICULUS I.

## De Jure in genere.

<sup>23</sup> **JUS** in genere multiplicem accepti-  
onem habet. Nam 1. significat *justum* ge-  
neratim, sic, ut idem sit, ac *legitimum*  
& *recte rationi consonum*; quo sensu om-  
ne virtutis opus jus, & justum dicitur;  
*specialiter* autem acceptum, supponit 1.  
pro jure passivè sumpto, ut mox dicemus;  
2. Pro *arte boni, & equi*, seu scientia ju-  
rium, atque legum, & dicitur jurispru-  
dentia, & L. 1. ff. de origine juris, defi-  
nitur: *ars boni, & equi, seu justi, atque*  
*injusti scientia*. 3. Pro loco judicii, hinc  
quis dicitur *in jus vocari, in jure compa-*  
*rere*, hoc est, in loco ubi iudicium exer-  
cetur. 4. Pro sententia judicis. Nam  
hujus est, *ius dicere*, seu sententiam fer-  
re. 5. Specialiter pro facultate legitima,  
directè, & formaliter percipiendi commo-  
dum libertatis propriæ ex usu alicujus rei,  
& sic sumitur *ius activè*; id verò, quod  
titulo ejusmodi facultatis in ipso residentis,  
ipsi debetur, vocatur *ius passivè sumptum*,  
seu *debitum*: de jure sic accepto agunt  
Theologi in 2. 2. D. Thomæ, & à nobis  
expositum est olim in impresso brevi tra-  
ctatu Theolog. de Jure & Just. q. 1. n. 6.  
Cum primis autem supponit hinc pro lege  
tum naturali, & divina; tum humana;  
inde dicitur *ius naturale, ius divinum,*  
*ius humanum*: sic acceptum *ius*, varium  
est, & multiplex, sicut ipsæ leges; & de  
jure sic accepto, secundum quod restrin-  
gitur ad *leges Ecclesiasticas*, in jure Cano-  
nico agitur. Quoniam autem frequens  
mentio incidit *juris*, non modò naturalis,  
& Divini; sed etiam Civilis, & Ecclesia-  
stici, seu Canonici, de singulis aliqua præ-  
mitti debent.

## §. I.

## De Jure naturali.

<sup>24</sup> **JUS** naturale, juxta Suarez de legibus l.  
2. c. 4. d. 2. n. 9. est hominis conscientia, re-  
Tom. I.

*ita precipiens, & prava prohibens, fundata*  
(ut ait Lessius de Jure & Just. l. 2. c. 2. d. 2. n.  
9.) *in natura rationali, & naturali condi-*  
*tione operû, atq. adeò in ipsis rerum naturis;*  
non in libera alicujus voluntate. Hinc Er-  
nicus Pirhing in Prolegomeno Juris Can.  
n. 8. *Jus naturæ* inquit, *non oritur formaliter*  
*ex ulla voluntate superioris; sed habetur*  
*ex ipsa natura objectorum, & actuum dis-*  
*convenientium naturæ rationali, quæ ta-*  
*li, & fundat in qualibet natura rationali,*  
etiam divina, obligationem non ponendi  
aliquid, ipsi dissonum. Et ideo in  
tract. de vitijs, & peccatis olim docui, da-  
ri quosdam actus (ut *mentiri, odisse, &*  
*blasphemare Deum*) qui mali sunt ante-  
cedenter ad omne jus positivum; nec ideo  
malos, *quia prohibiti*; sed, ideo *prohibi-*  
*tos quia de se mali sunt*, malitia funda-  
mentali.

Juris Consulti, jus naturale, sic defini-  
tum, vocant *secundarium*, constituentem  
jus naturale, *primævum* in eo, quòd *na-*  
*tura omnia animalia docuit*, ut dicitur in  
principio Institut. de jure naturali, & gen-  
tium; hoc est, ex instinctu, & inclinatio-  
ne nobis communem cum brutis, ut est,  
maris, & fæminæ conjunctio; liberorum  
procreatio, & educatio; hinc jus natura-  
le *primævum*, secundum juris peritos, est  
ipse instinctus, & propensio naturæ sensi-  
tivæ, quæ hominibus cum brutis animan-  
tibus communis est. Verum in ista lo-  
cutione Juris-consultus dicitur *crassius*, &  
liberius accepisse *ius naturale*, teste  
Schneidewin. l. 1. Institut. tit. 2. n. 2. Nam  
jus *proprie*, naturam *rationalem* respicit;  
cum alios gravet, & obliget; alios autem  
in agendò, vel omittendò, dirigat. Qua-  
re cum Theologis jus naturale *proprie* a-  
liud non est, quàm naturale lumen in-  
tellectus nostri, nobis inditum à Deo cum  
ipsa natura rationali; & propterea etiam  
dicitur jus naturale *participatum* à ratio-  
ne divina, quæ est *ius naturale divinum,*  
& *imparticipatum*.

## §. II.

## De Jure positivo.

**JUS** positivum dicitur, quod non ex na-  
tura rerum, sed ex libera Dei, vel ho-  
minum voluntate pendet, & vim obti-  
net,

net. Hinc jus positivum aliud est *divinum* à Dei; aliud humanum ab hominum voluntate. Et quidem *humanum*, aliud est *Ecclesiasticum*, si pendet à voluntate potestatis Ecclesiasticæ; aliud *laicum*, seu *seculare*, quod à potestate seculari. Si jus agat de his, quæ principaliter, & directè pertinent ad statum Reipublicæ, seu imperij Romani (qui consistit in *sacris*, in *Sacerdotibus*, & *Magistratibus*) adeoque tractet de Religione, de Magistratibus, & generatim de omnibus, quæ ad publicam utilitatem talis reipublicæ spectant, dicitur *jus publicum*: Si verò de privata utilitate singulorum, eorumque temporali pace, ac salute; dicitur *jus privatum*, licet consequenter id ipsum redundet in publicam utilitatem; ita communis cum Casparo Manzio in *tract. de Ortu, & Progressu Imperij Romani l. 1. de Jure publ. §. 1.*

27 Ad jus positivum aliqui reducunt jus gentium, dictum ab Imperatore, quod *naturalis ratio, inter omnes gentes, constituit, & apud omnes populos per æquè custoditur, ac observatur*; sive, quod *omni humano generi, illique soli, commune est*, dicitur *jus gentium*; quia eo jure omnes gentes utuntur. Juris gentium esse dicitur Religio in Deum; pietas, & observantia erga parentes, & patriam: hoc jus (seu leges, & regulæ agendorum, vel omittendorum, communes propè omnibus gentibus) duplex est. Nam aliud est, quod naturalis ratio apud omnes gentes constituit, nullâ utilitatis, vel necessitatis causâ urgente; sed, quia sic agenda, vel omittenda, in se spectata, simpliciter bona visa sunt; at sic potiùs pertinet ad jus naturale (talìa sunt religio in Deum, pietas, & observantia in parentes & patriam) aliud verò est, quod quidem naturalis ratio dictavit, eò, quòd illa agenda, vel omittenda, de quibus præcipit, non ex se, sed necessitatibus hominum sic exigentibus, vel alijs causis, & utilitatibus sic suadentibus, judicium rationis apud omnes gentes constituerit. Hoc jus gentium, legistæ vocant *secundarium*; illud, *primarium*, seu *primævum*. Ad secundarium jus gentium (quod in re propriè est jus gentium, cum primævum à jure naturali secundario non differat) pertinet divisio dominiorum, coërcitiones cri-

minum, bella, captivitates, & illæ leges, seu regulæ, quæ super his aliquid disponunt; & omnes propè contractus.

Ex dictis colliges 1. jus naturale à jure gentium à nobis definito, & quovis alio jure positivo differre. Nam illud per se loquendò, & naturâ sua est immutabile; hoc autem mutari potest non tantum per accidens, ratione objecti, vel materiæ mutata; sed etiam per se; quamvis omnes circumstantiæ, cum quibus antea obligabat, eadem maneat, cum pendeat à libera legislatoris voluntate. Colliges 2. Consuetudinem, quæ usu, & moribus populi, vel majoris partis ex aliqua communitate introducta est, & vim legis obtinet ad distinctionem aliorum jurium, atque legum, quæ scripto conceduntur, vocari *jus non scriptum*, seu *consuetudinem*. Quia verò jus positivum aliud est Ecclesiasticum, aliud sæculare ex n. 26. de utroque dicendum est.

### §. III.

#### De Jure seculari, seu civili.

Becanus in 1. 2. *tract. 3. c. 6 q. 9. n. 6.* (postquam dixisset, divisionem juris variam esse, & 1. si sumatur *ab objecto, & sine*, dividi in *jus publicum*, quod principaliter spectat ad salutem, & felicitatem publicam, nimirum populi, & in *privatum*, quod in bonum privatorum generatim; 2. *ab origine*, in jus naturale, quod originem suam habet à natura; *divinum*, quod immediatè à Deo; *humanum* quod ab homine. 3. *A forma* in jus scriptum, & non scriptum; illud scripturâ, non istud, constare, sed usu pro lege recepto) subjungit tandem, *jus civile* variè sumi: & quidem 1. pro eo, quod quælibet civitas sibi proprium constituit; sic dicitur *jus civile Romanum*, scilicet *cum addito*; & sic opponitur juri gentium, quod omnibus gentibus commune est. 2. Ut opponitur juri canonico, & sic supponit pro omni jure, quod statuitur à Magistratu sæculari, sive apud omnes, sive apud aliquem tantum vim habeat. 3. Ut opponitur juri prætorio, quod ex autoritate Prætoris descendit, de quo dicemus infra *d. n. 34.* Hic potissimum *jus civile* sumimus pro eo, quod oppo-

opponitur ratione originis juri canonico; quod spectat *jus* in prima divisione, notandum, sex olim, apud Romanos, species juris scripti numeratas fuisse, *legem, plebiscitum, Senatus-consultum, placita Principum, Magistratum, seu Prætorum edicta, responsa prudentum*. Sex enim erant Romæ, qui Romanis jura constituiebant, populus, plebs, Senatus, Princeps, Magistratus, & prudentes urbis Romæ, seu jurisperiti.

30 *Lex*, prout constituit primam speciem Juris Rom. scripti, juxta §. 4. *Instit. de jure natur. gent. & civil.* supponit pro eo, quod populus, pulsus Regibus, acceptaque libertate, constitutis Consulibus ( penes quos, exemplo Regum, Summum jus erat, jure creandorum Magistratum, pacis, ac belli, & legis ferendæ ) in comitijs à Consule rogatus pro lege, seu regula in agendis, vel omittendis habere voluit; sic Manzius *cit. in cit. §. 4.* Sed de Lege generaliter ex professo agemus infra à. n. 81.

31 *Plebiscitum*, erat Plebis statutum. Nam olim, quod populus Romanus Senatorio Magistratu, seu Consule interrogante constituebat, *lex* dicebatur, ut dictum est; *Plebiscitum* autem Plebis statutum: Nam *sciscere*, est *statuere*. Ea igitur, quæ Plebs suo suffragio sine Patribus ( nimirum Senatoribus, & viris Patricijs ) magistratu plebis ( nimirum Tribuno ) rogante jubebat, plebiscita vocabantur, teste Gellio *l. 10. c. 10* Porro *plebs* à populo differt, tanquam pars à toto. Nam appellatione *populi*, universi cives, & Romanorum ordines significantur, connumeratis etiam Patricijs, & Senatoribus. Etsi autem nomen *Patricij* sit æquivocum; hoc tamen loco per illud significantur ij nobiles Romani, qui à primis Senatoribus, sive à 100. Patribus, quos Romulus in Senatum adlegerat, oriundi erant: per *Senatores* autem, qui successu temporis, vel ab ipsis Senatoribus, vel populi suffragio in ordinem erant adscripti.

Inter *legem*, & *plebiscitum*, præter alia, hoc etiam discrimen, est, quod potestas *legis* universum populum; *plebisciti* autem, plebem tantum obligaret. Quia tamen ex hoc ipso rursus discordiæ natae sunt; autoritate Q. Hortensij, tunc Dictatoris, factum est, ut plebiscita non

Tom. I.

minùs, quàm leges, universum populum tenerent, & æqualis eorum potestas esset, ut dicitur §. *lex est*, vers. *Sed & plebiscita. Instit. de jure natur. &c.* id quod lege Hortensia constitutum dicitur.

*Senatus Consultum* ( in quantum ter- 32  
tia Rom. juris Scripti species ) est jus, quod senatus jubet, atque constituit. Cum enim auctus sic esset populus, ut ægrè in unum, Sanciendæ legis causâ, cogi posset; æquum visum est, Senatum, vice populi, consuli. Ex quo vides, sicut leges conditæ sunt in statu *democratico*, eo nimirum tempore, quo summa rerum erat penes populum; sic Senatus consulta in statu *Aristocratico*, quo nimirum tempore summa erat penes senatum, seu Optimates, non autem penes populum. *Senatus-consulta* nomen suum desumebant potissimum à nomine Consulis interrogantis, ut *Claudianum* à Claudio, *Libonianum* à Libonio &c.

Quarta species juris Romani in statu 33  
Monarchiæ conditi, vocatur *constitutio*, seu *placitum Principis*, & nihil aliud est, quàm jus, quod Princeps seu Imperator Romanus constituit solus. Constituto enim Principe data est ei potestas, ut quod ipse constituisset, ratum esset. Et *lex* illa, quâ Principi populus imperium, & potestatem jubendi leges, contulit, ei imperium suum, & potestatem omnem concedendõ, *lex Regia* dicebatur, quod per eam jus regnandi fuerit collatum; sic Manzius ad *cit. §. 6. n. 10.* esto etiam nunc dicatur *lex Imperij*, quod lata sit de Cæsaris imperio, & imperiali ejus potestate. Porro *placita Principum*, & Constitutiones imperiales ( latae scilicet ab Imperatore Romano ) sunt in triplici classe; quia tripliciter voluntatem, & placitum suum Imperator declarat, cum illud pro lege habere vult, nimirum *rescribendõ*, *decernendõ*, *edicendõ*. Prima igitur species constitutionis imperialis est epistola, seu *rescriptum*, quando scilicet Princeps vel epistolis, & libellis supplicantium, vel magistratui & consulentibus rescribit, quid pro jure servari velit; secunda species est *decretum*, seu sententia, quam Princeps vel pro tribunali sedens, solenniter in judicio, de negotio controverso, causâ cognitâ, vel etiam extra judicium ( audita utraque parte litigantium ) ferebat. Nam

B 2

fenten-

sententia imperialis respectu omnium subditorum vim legis habet *L. ult. C. de Legibus*. Tertia species est *edictum*, quando videlicet Princeps aliquid ex semetipso, motu proprio, vel aliquo suggerente, statuit, prohibuit, iussit; vel etiam, programma publice proposito, vel voce præconis, promulgavit ad utilitatem omnium subditorum. Hæ tres species in eo differunt, quod rescripta & decreta sint de rebus præsentibus; edicta de rebus futuris; & illa ad certas personas in specie directa; hæc verò generaliter, absque complexu rerum, & personarum emissã. Ex placitis Principum, seu constitutionibus, aliæ sunt *generales*, quæ scilicet omnes tenent, seu ad omnes pertinent, & ab omnibus æqualiter observari debent; aliæ sunt *personales*, seu *speciales*, quæ singularibus personis, causis, & rebus constituuntur; & ideo dicuntur quandoque *jus singulare*. *L. 16. ff. de legibus*, aliquando *constitutio personalis* *L. 1. ff. de Constitut. Princip.* interdum *beneficium* *L. 3. eod.* Communiter autem *privilegium*. Not. autem sæpè aliquid, *quoad sui originem* esse juris naturalis, vel gentium, aut etiam positivum divinum, *quoad formam* verò, in hac, *quoad effectum*, ad fortiendum certum juris effectum, humano jure esse aliquid *speciale constitutum*, atque adeò, quoad eum, esse juris civilis vel Canonici, ut patebit per decursum.

34 Quintam Romani juris speciem constituiebant *edicta Prætorum*. Pro quo not. bono Reipubl. non satis esse, *quod condantur leges*, sed requiri etiam, *quod sint, qui curent earum executionem*, & qui juri dicendo præsent. Quare post plebiscita Romæ condita in statu democratico; post senatus consulta in statu Aristocratico; vel constitutiones Principum in Monarchico, constituti fuerunt aliqui, qui eorum executionem urgerent, & secundum ea causas definirerent; & hi vocati sunt *Prætores*. Hi virtute potestatis sibi tributæ, & secundum jurisdictionem suam proponebant *edicta*, quæ *Prætorum edicta* dicebantur. Quamvis autem primitus omnis Magistratus *Prætoris* nomine vocaretur (unde ortum, quod locus, in quo Magistratus jus dicebat, vel habitabat, *Prætorium* diceretur) postea tamen illi solum Magistratui nomen *Prætoris* dabatur qui juri dicendo præfici-

ebatur, & summam judiciorum potestatem haberet. Ab initio unus tantum erat Prætor, dictus *Urbanus*, quod in Urbe jus redderet; sed quia hic solus postea non sufficit, Secundus constitutus est, dictus *Peregrinus*, quod plerumque inter peregrinos jus diceret. Tandem Singulis Provincijs Prætores dati sunt, qui dicebantur *Provinciales*. Non omni tempore Romæ fuit eadem potestas Prætorum; minor in statu Monarchico; major in aliis. Aliquando tamen penes eos sic juris publici, & privati potestas fuerat, ut ipsis novum jus condere, & vetus abrogare liceret. Et ideo jus eorum, ob honorem ipsorum, *honorarium*, dictum est. Ordinaria potestas erat circa judicia, cognoscendò causas gravioris momenti, vel dandò alios judices; præscribendo postulantis formulas actionum, & judiciorum; tum intra, tum extra iudicium auctoritatem suam interponendò, jubendò, adjuvandò, vel emendandi juris civilis gratiã edicta proponendò. Hinc illa pars juris Romani, quæ à Prætoribus, vi suæ potestatis, propter utilitatem publicam, proposita fuit, *edicta Prætorum*, dicitur. Proponebant enim sententiam suam, ut scirent cives, secundum quod jus acturi in iudiciis essent, durante officio. Hæc porro Prætorum edicta magnam vim habebant; minorem tamen plebiscitis, senatusconsultis, & placitis Principum. Hæc enim erant perpetua; illa tantum annua, & cum officio, quod erat duntaxat annuum, exspirabat. Hodie tamen perpetua sunt, & omnes ligant, non jure *edicti*, sed *Justinianæ constitutionis*, quæ pro lege haberi jubentur. Vocantur non tantum *jus honorarium*, sed etiam *Prætorium*.

Cùm plebs domesticis legibus nunquã 35 contentari posset, ut quiesceret; placuit, ne quis invidiæ locus esset, externas leges in urbem inducere. Hinc in Græciam præsertim Athenas, missi sunt tres Legati, qui leges Solonis, juræque, & mores aliarum civitatum perdiscerent. Hi post annum tertium reversi, scriptas leges tulerunt. Quibus allatis, tribus prioribus, alii septem Viri additi, qui decem simul ex Græcis legibus, & Romanis consuetudinibus, Romanas leges condiderunt, scripserunt, & publicarunt, omnibus in compendium redactis, & comprehensis in decem tabulis

lis. Quia verò animadversum est, illis aliquid deesse, sequenti anno alias duas eisdem tabulis addiderunt, unde nomen, & numerus 12. *Tabularum* prodijt, ut dicitur c. 2. *dist. 7.* Quoniam verò istæ multùm obscuræ fuerunt, Jurisperiti (qui hîc *prudentes* vocantur) in principio cæperunt leges 12. tabularum interpretari, permissu populi, sed sine speciali autoritate, tam in statu Democratico, quàm Aristocratico Romanorum. In statu tamen Monarchico deinde interpretationes, seu responsa Jurisperitorum eam auctoritatem acceperunt, ut iudici ab eis recedere non liceret; hoc tamen non priùs, quàm eis Imperator Augustus hanc auctoritatem respondendi constituerit, quem secutus Tiberius, & alij, *Q. Responsa. V. quibus Instit. de Jure natur.*

36 Igitur *responsa prudentum* nihil aliud sunt, quàm sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere. Quæ fuerit his responsis auctoritas, constat ex priori num. Per *sententiam* intelligitur *responsum*, quo *decisive* loquebantur; & per *opinionem*, quando *dubitative*. Tunc autem iudici ab eorum responsis non licebat recedere, quando omnes in idem consentiebant; ita Manzius *ad cit. Q. Responsa. V. quorum omnium n. 14.* Hanc porro auctoritatem Jurisconsultis deinde ademit Imperator Justinianus. Unde hodie non necessitant ad decisionem responsa Doctorum, sed tantùm præsumptionem faciunt, & tantùm eis credendum, quantum probant, & non plùs. Ex quo colliges, ea tantùm responsa prudentum vim legis obtinere, quæ in *Pandectas* relata sunt, & hoc non ex se, sed ex legis constitutione, & auctoritate Theodosij Imperatoris, & Justiniani *L. 1. Q. Sed neque, c. de veteri jure enucleando.* Hæc de Jure Romanorum scripto. Ex glossis autem, & opinionibus comunibus, probabilis quidem, sed nulla certa probatio est; ut notat Scotanus *in Examine Juridico p. 1. Pandect. f. 48.*

37 Præter hæc notand. jus civile, seu saculare commune plerumque nunc sumi pro jure scripto, quod est clausum, seu contentum in Corpore juris civilis, seu libro juris, quod Cæsareum dicitur. Hoc præcipuè dividitur in tres partes juxta

nonnullos; nimirum in *Digesta, Institutiones, & Codicem.* Prima pars est *Pandectarum*, seu *Digestorum*, quæ completitur 50. libros, distributos in tria Volumina; quorum primum *Digestum vetus*, secundum *Infortiatum*, tertium *Digestum novum* appellatur. Illud autem *volumen* (inter *Digestum Vetus, & Novum*) *medium, Infortiatum* dicitur; quod aliqui ab Authore, seu Inventore sic appellatum dicunt; aliqui ab *infortisim* Chaldæorum vocabulo, quod idem est ac *dispositio*. Nam in eo sunt leges circa ultimas dispositiones; alii autem compositum volunt ab *in*, sumpto pro *valde*; & *fortis*, quasi volumen continens *Leges valde fortes*, ut notat Peregra in *Elucid. l. 1. elucid. 10. de Legibus n. 256.* Institutiones autem Imperiales (quatuor libris comprehensæ) sunt quoddam totius juris compendium, quo juris amantes suavius ad plenam juris scientiam perducerentur; Codex autem constitutiones, & rescripta Imperatorum antiquiorum completitur. His tribus juris civilis partibus adjectæ sunt ad finem Authenticae, seu Novellæ constitutiones Justiniani, & *Leges, n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50.* constitutiones feudales, aliæ *imperialia*, desumptæ ex *Novellis*, & suis locis subjectæ legibus *Codicis*, privata juris consulti operâ, nihil probant, nisi respondeant ijs locis, ex quibus desumptæ sunt, ut docet Bernard. Scotanus. *Pandectarum p. 1. de jure civili, & libri ejus fol. 14.* subjungens: *Leges Leonis nihil probare, contra Leges Justiniani sed tantùm comprobare;* Quia Leo non habuit plenum imperium, & ejus *Novellæ* nunquam fuerunt receptæ absolutè. Res judicatæ autem tantùm sunt fundamenta consuetudinis, & per se Legis virtutem non habent; sic Scotanus *cit. in Examine Juridico p. 1. pandect. f. 28.*

Circa hæc breviter not. 1. cùm olim 38 juris, & legum volumina essent propemodum infinita, ita ut impossibile fuerit hominis ætatem istorum voluminum lectioni sufficere (fuerunt 2000. librorum conscripta, & plùs, quàm tricies centena millia versuum à veteribus effusa, ut dicitur *L. 2. §. Omnia igitur. V. Sed cùm omnia, C. de veteri jure enucleando.*) Justinianum Imperatorem constitutiones Romano-

manorum Principum, olim confusas, & dispersas, atque inter se pugnantem, collegisse in tres Codices, Gregorianum, Hermogenianum, & Theodosianum, a suis authoribus appellatos; ut dicitur c. *fin. dist. 7.*

39 Not. 2. quod his deinde multas extravagantes constitutiones, post illos tres Codices editos adjecerit, rejectis inutilibus, & additis necessarijs, annexas, omnesque in unum corpus, & volumen congestas, quod de suo nomine vocavit Corpus, seu Codicem *Justinianæum*, ut notat Manzius ad proem. Instit. in Rubricam §. *Et cum Sacratissimus n. 1.* hic tamen Codex hodie non extat.

40 Not. 3. eundem confecto Justinianæo Codice, aggressum esse opus aliud difficillimum; & veteris juris prudentiæ volumina, atque juris consultorum scripta, & sententias, rejectis inutilibus, in unum volumen (quod constat 50. libris) congestisse, quos libros vocavit *pandectas*, & *digesta*; quia omnem juris doctrinam, certo ordine concinnatam, & digestam continent, ex jure veteri, & sententijs juris consultorum collectam: deinde vero mandasse, ut per ipsos Professores, Theophrastum, Theophrastum, & Dorotheo, ut suo Cæsaris nomine, & autoritate, quoddam totius juris compendium ex pandectis, & Codice colligerent, quod in 4. libros divisum vocavit *Institutiones juris civilis*; quo etiam obtento, ad prioris Codicis emendationem, & secundam ejus editionem manum admovit, ac longè emendatiorē reddidit, quibusdā detractis, & novis additis, quæ in priori non habebantur. Et hic Codex est, quo hodie utimur. Postremò novæ Constitutiones, seu Novellæ (vulgò *authenticorum liber*) additæ sunt; quibus tandem accesserunt consuetudines *feudales*, & aliæ constitutiones Imperiales. Ex quibus colliges. *Institutiones hic* aliud non esse, quam totius juris civilis elementa prima, in quibus breviter exponitur, & quod antea obtinebat, & quod postea defuetudine inumbratum, imperiali remedio illuminatum est.

41 Not. autem 4. quod libri Institutionum, in quantum sunt ex autoritate *privata colligentium*, non necessitent ad decisiones causarum; licet faciant pro-

babilitatem, & præsumptionem, in quantum bona ratione moventur. Gloss. ordin. in L. 1. C. de legibus: quæ verò sunt ab ipso Imperatore recogniti, & approbati, non minorem habent auctoritatem, & vim, ac cæteræ juris partes. Et ideo Institutiones juris canonici Pauli Lancelloti non sunt authenticæ; quia licet jussu Pontificis fuerint confectæ, ab eo tamen, morte intercepto, postea non sunt recognitæ, ut patet ex Epistolis eisdem subnexis. Ex quo vides valde utile esse, ut observetur, quo ordine partes juris civilis compositiæ, & approbati sint. Nam cum lex posterior priori contraria vel deroget, vel abroget; Codex Pandectis, & Institutionibus; Novellæ, omnibus juris libris derogant.

Not. 5. cum Institutiones juris civilis exhibeant solum prima, & concisa juris rudimenta, eas in nonnullis accipere interpretationem ex Pandectis, ut cum aliquid latius explicandum, qualiter fit in §. *fin. Instit. de nupt. Et in §. fin. Instit. de publ. Judic.* vel limitandum, ut fit §. 30. *Instit. de rerum divis. junctâ L. 37. Et 38. ff. de rei vind. item §. 25. Instit. cod. junct. L. 7. Et 7. in fine ff. de acquirendo rerum domin.* interdum autem ex institutionibus deciduntur Juris consultorum pugnantem opiniones, in digesta relatæ, ut fit in §. 34. *Instit. cod. junctâ L. In rem 23. Et 3. de rei vindicat. ff. Et L. 9. Et 2. ff. de acquirend. rerum domin.* Quandoque per eas etiam digesta corriguntur §. 2. *Instit. de adopt. nimirum*, ut leges vi posterioris compositionis, vel ob constitutiones novas, quæ non pandectis, sed institutionibus variis locis insertæ sunt, mandato Imperatoris. *Constit. dedit Et sed cum oportebat 11. ad magn. Senat.* Quando autem aliqui dicunt etiam Codicem interdum corrigi per institutiones, accipiendum est de Justinianæo; non eo, quo utimur; cum hic post illas compositus sit; Sic Bernard. Scotanus in *Examine Juridico p. 1. Pandectarum de jure civili.*

Not. 6. in quæstione quid sibi velint authenticæ in Codice? Responderi à Scotano cit. illas esse desumptas ex Novellis, & suis locis subjectas legibus Codicis, privatâ operâ Irnerij J. C. & consequenter nihil probare; nisi respondeant iis locis;



ris; ex quibus desumptæ sunt, ut dictum est n. 37. Constitutiones autem Leonis, propterea nihil probare contra Leges Justiniani, sed tantum comprobare, quia Leo non habuit plenum imperium; & illæ Novellæ nunquam receptæ sunt absolute, sic ille. Libri feudales, privato potissimum studio Gerardi Nigri Capagisti, & Oberti de Orto, compilati sunt, ut habetur c. unic. si de feud. vassall. interpell. fuer. & habent vim juris, ubi sunt recepti, ibique derogant juri communi; quamvis Jurista strenuus in casu, qui non est comprehensus consuetudine feudali, sine calumnia uti possit lege scriptâ c. unic. de feud. cogn. Ad extremum nota novum Codicem, quo nunc utimur, nominatum, esse Codicem repetitæ prælectionis, 50. decisionibus novis, in controversis causis, aliisque constitutionibus locupletatum, & confirmatum esse 17. Calend. Dec. Anno 534. ut habetur in constit. de Emend. Cod.

44. Quoniam autem, ut experienciâ compertum est, frequenter evenit, quod tam Sacri Canones, quam etiam Leges ab Authoribus insertæ libris suis, & inde opinionem suam, & doctrinam firment; non raro aut citentur falso, aut in sensu non debito, imò quandoque pro casu, de quo tali loco nihil omnino agitur: atque adeo errare nolenti necessarium sit, ipsum juris textum inspicere, subjungo, aliorum imitatione, praxim referendi, citandi, ac inveniendi locum illum utriusque juris, de quo agitur; pro quo not. cum supra dixerimus, corpus Juris civilis constare tribus præcipue voluminibus, Institutionibus, Digestis, & Codice, quibus accedunt Authentica, Novellæ, Libri feudales, & Pax Constantiensis; alios dictum Corpus dividere in sex volumina, Institutionum, Digesti veteris, infortati, novi, Codicis, & authentici, ut notat Pereyra in Elucid. l. 1. elucid. 19. de legibus sect. 10. n. 255. quibus præmissis:

45. Primum volumen seu pars juris civilis, seu Cæsarei, continet Institutiones Justiniani, quasi quasdam introductiones ad jus civile, vocarique, & citari solet per vocem Instituta, seu Institutiones. Hoc volumen dividitur in quatuor libros; hi in titulos; & isti in paragraphos; hinc allegatione juris civilis, facta per §. §. & Titulos, hoc modo §. 1. vel §. In-

genus, Instir: de Ingenuis. notatur locus, seu §. quærendus in prima parte Corporis juris civilis, nimirum in eo libro Institutionum, sub quo est Titulus, de Ingenuis.

Altera pars juris civilis est digestum, 46 continens tria volumina, nempe digestum vetus, infortiatum, & Novum. Omnia sunt distributa in 50. libros continuatos; libri divisi sunt in titulos, & tituli in Leges. Circa hæc not. 1. hæc volumina vocari Digestum, non solum, quia hoc opus decoctum, ut dicitur c. Ne tales, dist. 5. de consecrat. sed quia in eo omnia decidentia optime digeruntur, & rectâ serie ordinantur. Vocantur etiam Pandecta, seu liber Pandectarum, quasi comprehendens totam juris doctrinam, à Græco Pan, quod est totum, & dicti, id est doctrina, quod ibi tota Juris consultorum doctrina reperitur. Cur autem volumen medium inter vetus, & novum, dicatur infortiatum? diximus n. 37.

Not. 2. In citatione juris civilis pro Le- 47 ge poni literam L. pro digestis duplex ff. semper addito titulo, in quo ea lex continetur, v. g. hoc modo L. Ex duobus. ff. de negotijs gestis, ubi ~~notat~~ notat Legem, duplex ff. digesta; reliqua verba Titulum; quamvis etiam quandoque, si lex constet pluribus §§. citetur §. talis legis, vel per cifram numeralem, vel per initialia verba.

Not. 3. à nonnullis quæri, cur modo per 48 duplex ff. digestum significetur, cum olim per duplex dd. vel per D. & g. scriberetur? Pereyra cit. n. 255. hujus duplicem causam reddit 1. quod olim Græci Pandectas per duplex ii. cum accentu circumflexo notaverint; unde factum, ut posteriores, ex ignorantia Græcarum litterarum, credentes esse duplex ff. hoc signo abuterentur. Alteram, quod multi credant, hunc librum esse auctum à duobus Fridericis Imperatoribus, ex quorum nomine, acceptâ primâ literâ, coaluit duplex ff. quo digestum significetur; licet alij quandoque significare volentes Pandectas, denotent per literam P. Ex hoc colliges, si jus civile citeretur per L. & ff. vel P. ac materiam tituli, ut priori num. ostensum est, significari legem illam contineri sub eo titulo Digestorum, vel Pandectarum.

Terti-

- 49 Tertium Volumen juris civilis, juxta primam ejus divisionem, & juxta alios volumen quintum, est *Codex*, sub quo nunc intelligimus *Codicem repetita praelectionis* de quo n. 35. Hic dividitur in duodecim libros, Titulos, & Leges. In citatione tamen non fit mentio libri in eo contenti, sed Tituli & Legis, addito C. magno, quo significatur *Codex*, v. g. *L. Si mulier. C. de Pactis conventis*. Cum autem in eodem Codice contineantur aliqua Authentica, quando illae citantur, non ponitur *L.* sed loco illius dicitur *Authentica*, nominando illam per verba initialia, subjungendo C. & Titulum v. g. *Authentica, quas actiones, C. de Sacrosanctis Ecclesiis*.
- 50 Et quoniam supra diximus, praeter Institutiones, Digesta, & Codicem, in Corpore juris civilis, seu Caesarei contineri aliud volumen, quod dicitur *Authenticum*, graece *Authenticon*, latine *Auctoratum* (cui nempe fides habeatur, quasi accersitis aliunde probationibus non egeat, sed sit instar exemplaris, seu originalis à se, non ab alio dependentis, eò, quòd Justinianus has postremas constitutiones Authenticas, quae *Auctoratas*, sic appellatas; quia ipse illarum *author* fuit, nec aliunde profectae sunt, & fundatum in illis jus omnino ratum esse voluerit) cum inquam hoc *authenticum*, seu liber Authenticorum in eodem Corpore contentus sit, aliqui volunt illud esse volumen *sextum* ex his, quibus constat Corpus juris civilis; esto nos cum alijs supra dixerimus aliquid annexum Codici.
- 51 De hoc volumine, seu Authentico, ea, quae subjungimus, sic exponit Pereyra *cit. à n. 260.* dicens: Authenticum dividi in quatuor partes; primam continere alios tres libros Codicis; Secundam, novem collationes Authenticorum; tertiam, duos libros feudorum; quartam constitutiones Federici, & Extravagantes Henrici, tractatumque de pace Constantiae. Pro quo. Not. 1. primam partem non citari verbis initialibus legis, ut fit in citatione Codicis; sed posito ejus numero, & loco legis, dicendò: *Authentica* v. g. *Authentica 1. vel 2. & apponendò titulum* v. g. *de Infamis*. ubi sensus est, denotari legem Codicis, contenti in libris Authenticorum;

aliqui tamen citant eodem modo, quo citatur *Codex*, addendo numerum trium posteriorum librorum sic: *L. Eos qui. C. de aqua ductu, lib. 11.* Not. 2. secundam partem, quae specialiter vocatur *Authenticum*, distribui per *collationes*, titulos, & Capita; sed, quando citatur, poni titulum authenticici, & initium paragraphi, seu Legis hoc modo: *Authen. Ut cum de appellatione cognoscitur, §. seu L. aliud quoque*; nam perinde est, sive ponatur §. sive *L.* Antiqui autem addunt numerum collationis; sic in proposito exemplo addunt: *collation. 8.*

Advertendum autem ex Pereyra *cit. n. 52* 256. quòd Justinianus hoc opus (nimirum *Authenticum*) distinxerit in novem velut libellos, quos *collationes* fortè appellavit; quòd earum Leges intulerit ad vetustissimum Romanorum jus, quod nuper in librum Pandectarum redegerat; cui operi accesserunt plurimae constitutiones, quae propterea *Novellae* appellantur, quia nunquam antè ipsi corpori Juris insertae fuerunt; hinc: Not. 3. esse quosdam, qui hanc secundam partem citant per *numerum Novellarum*; quia in nonnullis editionibus *Novellae* cernuntur numeratae; differunt igitur citationes, in quibus nominatur *Authenticum*, quòd, quando locus citatus est *in Codice*, ponitur initium Legis, & tituli Codicis. quando autem est *in collationibus*, ponitur titulus Authenticici cum §.

Not. 4. tertiam partem dividi in libros, titulos, & paragraphos, seu leges, & citari posito initio §. & tituli, addendò, *de feudis*, vel in Libro feudorum, v. g. §. *donare autem, de feudis, qualiter olim poterat*; ubi adverte, à nonnullis loco §. poni hanc vocem *textus*, ut in exemplo posito: *textus, donare autem*. Eodem modo citatur quarta pars per § vel textum, & titulum in tali extravagante, v. g. *textus in Extravag. Qui sunt Rebelles*; & *textus, Vasalli nostri, de pace Constantiae*. Ad extremum monet Pereyra *cit. n. 260.* in fine, ut locus citatus (praesertim titulus, sub quo sit capitulum, vel lex citata) facile reperiat in Corpore juris Canonici, vel Civilis, recurrendum esse ad initium voluminis, ubi communiter, praeter indicem rerum, & verborum sunt alii duo, unus titulorum, alter capitulo-

rum;

rum, seu legum cum numero paginae: expeditius autem esse, quærere paginam tituli; quia sub eo facile reperitur Lex, vel capitulum citatum. Si autem quæras, quomodo quis cognoscere possit, in quo volumine ex tribus digestorum, sit locus allegatus? Respondet Pereyra citatus: Juristas non habere regulam determinatam ad hoc cognoscendum; & ideo singula percurrenda esse per dictos indices.

## §. IV.

## De Jure Canonico, seu Ecclesiastico.

54 **C**anon, si strictè sumatur, significat constitutionem Ecclesiasticam, editam in Concilio generali, teste Fagnano *c. statuta Canonum. de Constitut. à n. 18.* latè autem, omnem constitutionem, seu regulam Ecclesiasticam, sumendo hanc pro jure condito ab Ecclesiastica potestate. Canon enim latè *regula* dicitur. *c. Canon. dist. 3. & c. Regula, eod.* hinc à *Canone* sic accepto jus conditum ab Ecclesiastica potestate *Canonicum* dicitur, & definitur: *jus positivum à summis Pontificibus Ecclesie Catholicae traditum, constitutum, & approbatum*, actiones fidelium proximè ad divinum cultum ordinans, & Christianam justitiam in eis conservans, & augens. Si *Canon* sumatur latè, comprehendit omnes species Ecclesiasticæ Constitutionis, nimirum *Canones* etiam *strictè* sumptos; *decretum*, quo intelligitur id, quod statuit Papa de consilio Cardinalium, & absq; ullius consultatione; *Epistolam decretalem*, quæ est constitutio Ecclesiastica, quam Papa vel solus vel cum consilio Cardinalium, ad alicujus consultationem transmittit, & promulgat; *dogma*, quo intelligitur constitutio Ecclesiastica pertinens ad doctrinam fidei; *mandatum*, quo significatur constitutio Ecclesiastica pertinens ad disciplinam, & mores; *Interdictum*, quo significatur Constitutio Ecclesiastica prohibens aliquid, sine pœna: si autem prohibeat sub pœna, dicitur *sanctio*, ut videri potest apud Pirrhing *h. t. n. 2.* & alios. Not. tamen 1. hos terminos, *Canon*, *Decretum*, *Epistole Decretales* frequenter sumi *promiscuè*, ac pro synonymis, in latiore nimirum significatione; frequentius autem nomen *Canonis* usurpari pro constitutionibus Pontificum, quæ in Cor-

Tom. I.

pore juris continentur, Sic Fagnanus *cit. n. 22. ex. c. Si Romanorum dist. 19.* Ex quo infert Bullas Pontificum, motus proprios, Brevia, Regulas Cancellariæ, decreta consistorialia, & alia hujusmodi (quæ eduntur à summis Pontificibus sine Concilio, & extra Corpus juris versantur) non appellari secundum communem usum, *Canones*.

Not. 2. *Canones*, seu decreta Conciliorum generalium nullam habere auctoritatem juris, nisi consensu, & auctoritate summi Pontificis congregata, & confirmata sint, ut dicitur *c. significasti de electione*, & notat. Barbos. *in cit. c. n. 5.* Nam de his, quæ sunt universi corporis Ecclesiastici, spectat ad universalis Ecclesiæ Rectorem, Pastoremque, ac Supremum Judicem omnium Christi fidelium, ut pluribus videri potest apud Suarez, *l. 4. de legib. c. 6. n. 6. n. 2.* & Layman *l. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 6. §. 2. 9.* Et ratio est, quia lex non fertur nisi in subditum (cum *legem condere* sit actus jurisdictionis) unde, cum soli Romano Pontifici Universitas fidelium, tanquam Christi in terris Vicario, commissa sit; solus etiam Romanus Pontifex tam ligare legibus poterit; aut is, cui committit, prout contingit in Concilijs generalibus, ejusdem Auctoritate convocatis, & approbatis.

Not. 3. inter cætera Concilia œcumenica, seu universalia, quatuor esse, quæ principaliter totam fidem Christianam complectuntur, & ideo ab Ecclesia Catholica, tanquam quatuor Euangelia, probata, & recepta esse, nempe Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonenſe. *c. 5. §. inter cætera, & c. 2. dist. 15.* quamvis etiam reliqua Concilia generalia, Summi Pontificis Auctoritate convocata, & approbata, vim, & auctoritatem habeant, ut dicitur *c. 3. cit. dist. 13.*

Not. 4. inter Concilia *particularia*, seu non œcumenica (ad quæ scilicet non vocantur omnes Episcopi totius Orbis) alia esse *nationalia*, alia *Provincialia*, alia *synodalia*, & *diocesana*, seu *Episcopalia*. *Nationalia* sunt, quæ convocantur ab aliquo Primato, seu Patriarcha, convocatis Archiepiscopis, & Episcopis unius Regni, aut nationis, seu duorum, tri-

C

um

um, & plurium Provinciarum. *Provinci-  
alia* sunt, quæ coguntur ab Archiepisco-  
pis, seu Metropolitanis convocatis omni-  
bus Episcopis suffraganeis, seu Coepisco-  
pis Provinciæ, ad quæ etiam Capitula Ca-  
thedralium Ecclesiarum invitantur, sed  
sic, ut in his habeant suffragium solum  
consultivum non decisivum; Abbas in c.  
*ult. n. 2.* de his, quæ fiunt à Prælati-

58 Et quamvis aliqui cum Fagnano in c.  
*Referente de Præbend. n. 2.* velint, *Me-  
tropolitanum*, & *Archiepiscopum* esse sy-  
nonima, seu idem importantia; alii ta-  
men docent, esse differentiam, quod i-  
dem *relatè ad civitates minores* dicitur  
Metropolitanus, *relatè autem ad Episco-  
pos*, sibi subjectos, seu suffraganeos, di-  
citur Archiepiscopus, seu Princeps Epi-  
scoporum. Et ideo *Metropolitanus* is est,  
inquit Gothofredus ad L. 20. §. 5. C. de  
Episcopali audientia, qui potestatem ha-  
bet in minorum civitatum Episcopos, ut  
colligitur ex c. *Cleros §. ordo V. Metro-  
politani, dist. 21.* hinc Ecclesia *Metro-  
politana* est matrix Ecclesia, ex qua aliæ  
coloniam duxere. Et licet Benedict. Pe-  
reyra in *Elucidarij de proprietate Ser-  
monis Theologici, Canonici, & Civilis l.*  
*10. n. 279.* dicat, has voces, *Archie-  
piscopus*, & *Metropolitanus* coincidere;  
*Metropolitannum* tamen explicat relatè  
ad *Principem civitatem* ( seu residenti-  
am ) dicens: *Metropolitanus est Episco-  
pus, præsidens civitati, quam aliæ civita-  
tes, Episcopos habentes, agnoscunt, ut Ma-  
trem, & Caput.*

59 Not. 5. Concilia *Episcopalia* esse, quæ fi-  
unt ab Episcopis in suis diæcesibus, con-  
vocatis Prælati, & Parochi; Laym. l. 1.  
*tr. 4. c. 7. §. 1. n. 1.* sed adverte, hæc  
concilia *Episcopalia*, rectiùs dici *Synodos*,  
quàm *concilia*, ut patet ex c. *sicut olim*  
*25. de accusat.* Et his annumerari pos-  
sunt capitula, seu Congregationes, in qui-  
bus de Superiorum Suorum autoritate  
Regulares ejusdem ordinis conveniunt,  
de quibus agitur c. *penult. & ult. de sta-  
tu Monachorum.*

60 Not. 6. ut Concilia non œcumenica  
vim, & autoritatem habeant in diæce-  
si, provincia, vel Natione, non requiri  
consensum, vel approbationem Summi  
Pontificis, modò in ijs nihil statuatur con-  
tra canones, vel consuetudines univerſa-

lis Ecclesiæ; ita Laym. *cit. n. 2.* Decre-  
ta verò Concilij generalis omnes omni-  
no Christianos obstringunt c. 1. *dist. 15 &  
c. 1. de constit.* sicut statuta Concilij parti-  
cularis subditos solum tamdiu quamdiu in  
regno, provincia, vel diæcesi sunt. Nam  
*extra territorium jus dicenti, impunè  
non paretur*, ut dicitur c. 2. *de constit.*  
*in 6. & L. fin. ff. de Jurisdictione*, Con-  
cilia enim provincialia neque definiendi,  
neque *generaliter* constituendi vim a-  
liquam habent; sed tantum curandi, ut  
id servetur, quod aliàs statutum est,  
& generaliter, seu specialiter observari  
præceptum est; ita Lancellotus. *instit. Ju-  
ris Can. l. 1. tit. 3.* intellige *pro tota Ec-  
clesia*, nec enim statuta subditos extra di-  
æcesim constitutos, aut ignorantes ( nisi  
supinè ) ligant. Lancellot. *cit.* Nam *ex-  
tra territorium, jus dicenti non paretur  
impunè*, c. *Ut animarum, de constitut. in*  
*6.* quod tamen sic accipe, ut procedat de  
statutis Concilij particularis, *non relatè  
in Corpus Juris Canonici*, ut dicitur c. 2.  
*de elect. & c. nec Episcopi, de temporib. Or-  
dinat.* vel non approbatis *generaliter* à  
Summo Pontifice; secus enim perinde  
obligant omnès Christi fideles, ac si  
ipsomet Concilium convocatum, & cele-  
bratum esset. Nam juxta Justinian. Imperi-  
in L. 1. C. de jure veteri enucleando,  
*omnia nostra facimus, quibus authorita-  
tem nostram impertimur.*

Not. 7. decreta, & constitutiones Pon-  
tificum æquipollere canonibus, & decre-  
tis Conciliorum; cum hæc ab illo vim su-  
am, & autoritatem habeant. Hinc omnis  
voluntas Pontificis per Epistolam, vel de-  
cretum, vel edictum promulgata vim ha-  
bet, & autoritatem juris, quoad vim ob-  
ligandi naturaliter c. 2. & 3. *dist. 19. ibi;*  
*sic omnes sedis Apostolicæ Sanctiones ac-  
cipienda sunt, tanquam ipsius D. Petri voce  
firmatæ sint.* Et hoc procedere de decretis  
Pontificum, etiam non insertis juri, æ-  
què ac insertis, docet Chassaign de pri-  
vileg. Regular. *tr. 1. c. 1. propos. 2.* &  
habetur c. *si Romanorum 1. dist. 19.* ubi  
Nicolaus Papa scribit Archiepiscopis, &  
Episcopis, per Gallias constitutis, quod de-  
cretales Epistolæ Romanorum Pontificum  
sunt recipiendæ, etiamsi non sint Codici  
canonum compaginatæ; & infra; itaque  
nihil refert, utrum sint omnia, nec ne,  
decre-

*decretalia Sedis Apostolica constituta inter Canones Conciliorum immista &c.* 2. ead. Agatho Papa scribens omnibus Episcopis: *sic omnes Apostolica Sedis Sanctiones accipiende sunt, tanquam ipsius divi Petri voce firmata sint.* Hæc tamen intellige pro foro interno, ut diximus supra. Nam in externo jus commune præponderat Concilijs; hæc Bullis; istæ Brevibus; his signaturæ; & hæc vivæ vocis oraculis; ita Cassaing. cit.

62 Not. 8. per *Corpus Juris Canonici* intelligi volumen in se complectens 1. Decretum Gratiani, sic dictum à Collectore jurium prius sparforum. 2. Quinque libros Decretalium collectos jussu Gregorij IX. 3. Librum sextum Decretalium Bonifacij VIII. 4. Clementinas, ac 5. Extravagantes Joannis XXII. & communes, seu aliorum Pontificum.

63 *Decretum*, seu prima pars Juris canonici, constat ex sententijs S. Scripturæ; decretis, & responsis Conciliorum, ac Summorum Pontificum; legibus Romanorum Imperatorum; sententijs SS. Patrum, Historicorum Ecclesiasticorum, & proprijs ipsius Gratiani. Dividitur in tres partes, quarum prima continet cum una centum distinctiones divisas in Canones, seu Capitula. Secunda 36. Causas, quarum singulæ dividuntur in suas quæstiones, & hæc in canones, seu capitula, inter quas quæstio tertiæ causæ 33. continet septem distinctiones de pœnitentia. Tertia demum decreti pars habet quinque distinctiones de consecratione, pariter subdivisas per canones, seu capitula.

64 Altera pars Juris canonici continet quinque *libros Decretalium*, in quibus comprehenduntur varia Summorum Pontificum rescripta, & responsa, mandato Gregorij IX. per S. Raymundum, ejusdem Capellanum, & Pœnitentiarium, collecta, & in varios titulos, & capitula distincta. Hi libri vocantur *Decretales*, à majori parte eorum, quæ in illis continentur. Nam in opere Gratiani multò plura sunt decreta Conciliorum, quàm epistolæ decretales Summorum Pontificum. Et ideo opus Gratiani dicitur *decretum*; Gregorij IX. verò, *Decretales*.

65 Tertia pars Juris Canonici complectitur *librum sextum Decretalium*, jussu Bonifacij VIII. ex diversorum Pontificum re-

Tom. I.

sponsis congestum; dicitur *sextus*, eò; quòd primum post accesserit quinque libris decretalium; & complectitur quinque libros, hi, rursus titulos, & isti canones, seu capitula, ad normam decretalium Gregorij IX.

Quarta pars comprehendit Constitu-<sup>66</sup> tiones Clementis V. tum in Concilio Viennensi, tum antè, & post editas, & ab earum authore vocantur *Clementina*, licet illas Joannes XXII. Clementis successor primum absolverit, & promulgaverit, Constant pariter quinque libris in titulos, & capitula distinctis.

Quinta demum pars continet eas con-<sup>67</sup> stitutiones, quæ hodie, & etiam postquam insertæ sunt Corpori juris canonici, adhuc retinent nomen *Extravagantium*, instar non insertarum Corpori juris canonici, eò, quòd ob suam paucitatem, & diversorum Pontificum auctoritatem, certum sibi nomen non appropriaverint. Ex his aliæ sunt, quas condidit Joannes XXII. Successor Clementis V. & citantur prout alia capitula Decretalium, nisi, quòd addantur inter extravagantes *Joannis XXII.* aliæ, quæ factæ sunt deinde sub alijs Pontificibus, & ad distinctionem priorum, dicuntur *communes*.

Cum autem interea temporis, à Sumis<sup>68</sup> Pontificibus priores subsecutis, editæ sint aliæ rursus constitutiones, & leges Ecclesiasticæ, eas Petrus Mathæi J. C. Lugdun. juxta modum titulorum in antiquis decretalibus communè, in unum librum collegit quem hodie *librum 7. decretalium* appellant; quia tamen hæc collectio à nullo Pontifice auctoritatè accepit, defactò constitutiones in ea contentæ, retinent eam tantum vim & valorem, quem ante collectionem habuerunt, & non citantur aliter, quàm aliæ Bullæ Pontificiæ, nimirum sub nomine Pontificis illius, qui talem constitutionem fecit addendò prima verba Bullæ, annum, & diem emanationis v. g. *in Constit.* seu *Bulla Sixti IV.* incip. *Deo, & hominibus, edita 14. Apr. 1484.*

Quoad Decretum Gratiani adverten-<sup>69</sup> dū, illud, si spectetur eius Voluminis Collector, nullam habere juris auctoritatem. Sic enim ille consideratur, ut homo privatus, omnino carens omni potestate legislativa; imò, ut rectè notat Suarez l. 4. de leg. c. 5. à n. 6. Decretum illud hæctenus nulla auctoritate publica, quoad omnia in illo

contenta, confirmatum fuit. Ex hoc sequitur, singula capitula, quæ in decreto continentur, esse revocanda ad suam originem, sic, ut eis non tribuatur major auctoritas, quàm ipsorum Auctori, à quo desumpta sunt. Scripta verò SS. Patrum non inserta juri communi, secundum locum obtinent post decreta Rom. Pontificum, ut ait Lancelot. *cit. Non enim debetur par auctoritas scripturis canonicis, & expositoribus earum; c. neque dist. 9. & exemplis sana ratio præponitur. c. Sana eod.* Inserta verò decreto non habent vim legis (cùm ipsi, quæ tales non sint conditores legum Ecclesiasticarum) magnam tamen, ut diximus, auctoritatem.

70 Sequitur 2. nec ipsas *Rubricas*, decreto, ejusque capitulis, præpositas, habere auctoritatem canonis, ut docet Fagnanus *in c. 1. de constitut. n. 40.* nam rubricas composuit Gratianus, vel alius non majoris auctoritatis. Excipe 1. *rubricam decreti*, quam volunt esse authenticam (cùm sit generalis ad totum decretum) item *Rubricas decretalium, Sixti, Clement. Extravag. ac Legum civilium.* Hæ enim sunt authenticæ, & allegari possunt ad decisionem causarum, si orationem perfectam habent, ut notat Fagnanus *loc. cit. n. 42.* & in *c. cùm creatura n. 30. de celebrat. miss.* dicitur autem *Rubrica* hîc summatio quædam, & compendium, præfixum titulis, & capitulis eorum, quæ in subnexo textu dicuntur, sic dicta à terra rubra, minio proxima, quòd tali plerumque colore verba ejus signentur, quæ aliquando est generalior *nigro*, hoc est, ipso textu, cujus summam continet. Sic Pereyra *in Elucidar. n. 216.*

71 Sequitur 3. Constitutiones Imperatorum, vel responsa Juris consultorum, quæ Gratianus in Corpus decreti transtulit, non esse eo ipso *canonizata*; seu, non eo ipso habere vim canonis seu legis Ecclesiasticæ; quia Gratianus eis dare non potuit vim canonis. Aliud est de cæteris Juris canonici partibus, ut decretalibus, Clementinis, & Extravagantibus. Nam hæc vim, & auctoritatem juris habere, indubitatum est; cùm ipsos Summos Pontifices habeant Auctores. Cùm autem in hoc volumine (nimirum in decreto Gratiani) nonnulla reperiantur inserta, quæ dicuntur *Palea*, inter Juris consultos diffidium

est, quid sit, vel denotet hæc vox *Palea*? Aliqui dicunt per *Paleas* significari res viles, & inanes; alij dictas volunt à suo Authore, quem dicunt fuisse Protopaleam Cardinalem; P. Engel *in proam. de juris canon. origin. n. 6.* censet ex græco significari per eas, rerum antiquiorum additiones: Barbosa *in proam. decreti, n. 9.* vult per eum textum, cui præfigitur vox *Palea*, intelligi responsum *Palea*; quem ait, fuisse discipulum Gratiani, consequenter notari dictum illud esse *Palea, discipuli Gratiani*, esto alij velint per *paleas* ibi intelligi quasdam additiones ab ipso Gratiano, non eodem tempore, factas, sed tum in principio compilationis, tum successivè: Pereyra *cit. in Elucid. n. 254.* censet illis locis, ubi reperitur apposita vox *Palea*, denotari eas rubricas, & capitula, sui magistri libro inserta esse à *Palea Gratiani discipulo*; quæ proinde sumserunt nomen ab eodem homine inferente; consequenter plus auctoritatis non habere, quàm habeat earum Author.

Quoad quinque libros *decretalium* li. 72 *brum sextum Clementin. & Extravag.* notandum, omnes canones in eis contentos (quatenus eis derogatum non est, per canones posterioribus temporibus à Summis Pontificibus editos, aut consuetudinem legitimam) habere vim, & auctoritatem juris, quo omnes Christiani obstringantur, ut dicitur *c. 1. de constit.* cùm authorem habeant Summum Pontificem, cujus jurisdictioni in causis Ecclesiasticis, & Spiritualibus, ac pertinentibus ad æternam animæ salutem, tanquam Christi in terris Vicario, subsunt *omnes Christiani* sine discrimine sexûs, & statûs, *c. 4. de Majorit. & obed. Extrav. 1. eod.* inter communes; & ideo Damasus Papa relatus in *c. Violatores 25. q. 1.* ait: *in Spiritum Sanctum blasphemare, Sacrorum Canonum Violatores, quoniam eius instinctu, ac dono dictati sunt.*

Not. 9. cùm dixerimus, corpus juris 73 canonici constare quinque partibus, nimirum decreto, 5. Decretalibus, libro Sexto, Clementinis, & Extravagantibus: ut sciatur, in qua parte locus juris citatus quærendus sit, advertendum 1. canones, seu *capitula* nominari, & citari, vel per *numerum*, quem habent sub suo titulo (ut *c. 1.*) vel à verbis initialibus ut *c. licet*, ubi sensus est, quærendum, vel

- vel canonem, vel capitulum, quod incipit à verbo *licet*, vel est in ordine, primum, secundum, prout sonat numerus, sub quo citatur, si autem in uno titulo plura sint capitula, quæ incipiunt ab eodem verbo, tunc ad distinctionem, ut sciatur, quale ex illis intelligatur; simul addi numerum v. g. c. *licet, elige secundum*, communiter sic. c. *licet, el. 2.* quo notatur capitulum primum, vel secundum ex incipientibus à verbo *licet* in eodem titulo. Multi verò dum citant legem, vel capitulum, exprimunt non tantum illius verba initialia, sed etiam numerum in ordine capitulorum v. g. c. *Per tuas. 7.*
- 74 Advertendum 2. quoties citantur canones, seu capitula Decretalium, Clementinarum, & Extravagantium, semper etiam exprimi *titulum* (sub quo quærendus est canon, lex, vel capitulum) per materiam, de qua ille titulus agit, v. g. *de rescriptis, de liberis, & posthumis* &c. quo casu sensus est, legem, vel capitulum citatum, quærendum esse in titulo agente *de rescriptis*, vel materia citata.
- 75 Advertendum 3. quando citantur leges, canones, seu capitula cum titulo, communiter etiam exprimi partem juris suo nomine proprio, in qua ille titulus quærendus sit v. g. *digestis, Institutionibus, Codice*, dixi communiter; nam hoc fallit in *Decretalibus*, quæ sunt secunda pars juris canonici; hæ enim citantur expresso solo capitulo, & titulo, quamvis addant aliqui hanc vocem *extra*, per quam notatur capitulum illud & titulum esse *extra decretum*, nimirum in decretalibus quærendum. Si autem capitulum, & titulus sit in libro sexto decretalium, semper additur: *in Sexto.*
- 76 Advertendum 4. quando citatur *causa*, ex secunda parte decreti cum capitulo, & quæstione, quibus ea causa constat, *causam* citari juxta ordinem numeralem v. g. c. *quicumque. causa. 1. q. 1.* ubi nor. *quæstionem* scripto exprimi communiter per *lit. q. & causam*, per solum numerum, non addendo *ly causa* v. g. c. *quicumque 1. q. 1.* Nam per cifram 1. denotatur *causa prima*, per q. *quæstio*; aliqui tamen etiam illi cifræ apponunt *ly causa*, ut supra ostensum est; his præmissis:
- 77 Advertendum 5. quando citatur jus canonicum per *solum capitulum, & distin-*

*ctionem* v. g. c. *scimus*, distinctione 43. denotari primam partem decreti; si citetur per *capitulum, causam, & quæstionem* sine alio addito v. g. sic: c. *Sacerdotes 2. q. 7.* vel *Sacerdotes, causa 2. quæst. 7.* aut etiam c. 8. 2. q. 7. denotari secundam partem decreti. dixi *sine alio addito*. si enim jus canonicum citetur per capitulum adjunctis verbis: *de penitentia, cum distinctione* (v. g. sic c. *Magna pietas, de Penit. dist. 1.* (denotari, citatum capitulum esse quærendum in quæstione tertia, causæ 33. (ubi incipit tractatus *de penitentia*, divisus in septem distinctiones) ac inter capitula, quæ habentur in distinctione per numerum expressa. Ubi verò citatur *capitulum cum addito: de Consecratione*, simul exprimendo sub certo numero ejusdem tractatus *distinctionem*, v. g. c. *In Christo, de Consecrat. dist. 2.* denotari illud capitulum, quærendum esse in tertia parte decreti, nimirum in distinctione nominatâ, tractatus *de consecratione.*

Advertendum 6. quando citantur decretales, non nominari ipsum *volumen decretalium*, sed tantum *capitulum, & titulum* v. g. sic c. *à nobis de sentent. excommunic.* vel citando capitulum sub solo numero v. g. 2. 3. &c. Ex hoc habetur, quando citatur jus canonicum expresso *solo capitulo cum titulo*, seu materia, dictum capitulum esse quærendum in illo libro ex quinque, quibus decretales constant, in quo habetur titulus, vel in quo agitur de illa materia, v. g. *de sent. excommunicationis*: apud antiquos autem quandoque reperitur citatio decretalium, nec *capite*, nec *titulo* allegato, præfigendô scilicet hæc nomina, *titulus, caput*; sed hoc modo: *Extra, de foro competente, si diligenti*, ubi sensus est quærendum extra decretum (nimirum in decretalibus) titulo de foro competenti, in c. *Si diligenti.*

Advertendum 7. librum sextum decretalium (qui continet tertiam partem in corpore Juris canonici, ac, sicut decretales in quinque libros divisus est) eodem modo, quo decretales, citari per *capitulum, & titulum*; eo tamen discrimine, ut ad distinctionem à decretalibus, citatis capitulo, & titulo addatur *ly in Sexto* hæc v. g. formâ scribendi: c. *Alma Mater.*

*Mater.* de Excommunic. in 6. quo notatur illud capitulum esse quærendum in titulo de sententia excommunicationis non contento in *decretalibus*, sed in libro *Sexto*, qui constituit tertiam partem Corporis in jure canonico.

80. Advertendum 8. quartam partem, ut diximus n. 66. in corpore hujus juris, continere constitutiones Clementis, à quo vocantur *Clementinae*, quæ pariter constant quinque libris, hi titulis, & isti capitulis, & citantur primò allegandò nomen *Constitutionis*, quod habet ab Authore, cū ejus verbis initialibus v. g. *Clement. Exivi* additò titulò, v. g. *de verborum significatione*; sensus est in titulo, qui agit de verborum significatione, inter Clementis constitutiones, seu *Clementinas*, denotari eam, quæ incipit à verbo, *Exivi*. In quinta demum parte, quæ continet *Extravagantes*, citatio fit, sicut in *Clementinis*, hoc discrimine, quòd apponatur nomen Authoris, si est *Joannis XXII.* v. g. sic: *Extravag. S. Romana*, de Religios. domibus Joann. XXII. vel si est inter *communes* sic: *Extravag. Rem., de dolo, & contumac. inter communes.* ubi vides *Extravagantem* citari sub verbis initialibus, & per expressum titulum; quo notatur eam quærendam in libro sub titulo, qui agit de ea materia v. g. *de dolo*, vel *religiosis domibus*; ac demum, an quærenda sit inter *extravagantes communes*, an verò inter eas, quæ à *Joanne XXII.* conditæ sunt; hæc tanquam prolegomena quædam præmittenda erant his, quæ deinceps tractanda veniunt.

## ARTICULUS II.

### De natura legis ingenere.

81. **P** Franciscus Suarez l. 1. de Legibus. c. 12. n. 4. naturam legis describens, *lex*, inquit, est *præceptum commune, justum, stabile, sufficienter promulgatum.* His prædictis nonnulli doctores addunt *acceptationem*, quàm volunt esse conditionem essentialem, sine qua lex non possit obligare. *Lex* dicitur vel ab eo, quòd ipsi per jus directionem, & præscriptam normam in agibilibus seligant agenda à non agendis. Hanc nominis ethymologiam pluribus examinat Azor *institut. moral. tom. 1. l. 5. c. 1. q. 3.* Est autem notandum, legem, *generaliter* acceptam, supponere pro quolibet jure, tam naturali,

& divino, quàm humano; & sic consideratur, ut quid superius ad *statutum, præceptum, dogma*, & reliquas species, de quibus Suprà. si autem sumatur specificè, importat aliquid distinctum ab alijs, ut mox patebit. Et quamvis aliqui negent, *jus naturale*, in quantum supponit pro naturali lumine indicante, quid bonum, quidve malum sit antecedenter ad omnem prohibitionem Dei, esse propriè *legem*; rectius tamen affirmatur cum Castropalao p. 1. *operis moral. tract. 3. D. 1. pu. 1. n. 3.* de quo fufius egi in *tract. de vitijs, & peccatis.* Et ratio est, quia etiam illi definitio *legis* exactè convenit.

Not. 2. *legem*, in quantum dicitur à ligando (quia ligat homines ad sui observantiam, ut notat D. Thomas 1. 2. q. 90. a. 1.) varijs nominibus appellari juxta varias functiones, quas habet. Nam, cum *lex* doceat, dirigat, instituat, præscribat, quid, aut qualiter agendum, vel omittendum; quandoque pœnas, vel præmia decernat: ab his suas quoque denominationes accipit, ut dicatur *doctrina, institutio præscriptio* &c. Et quamvis *lex* alias varijs nominibus appelletur, specialiter tamen dicitur *jus, constitutio, statutum, Sanctio.* *Jus*, quia jubet, & imperat, cuique tribui, quòd suum est; *constitutio, & statutum*; quia constituit, & statuit, quid sit faciendum: *Sanctio*, quia sancit pœnam non obtemperantibus *L. Sanctio ff. de pœnis.* Inter ista porò nomina hæc est differentia, quòd *leges Summi Principis Secularis* dicantur *jus*; *decreta Summi Pontificis, constitutiones*: inferiorum autem Principum, Provinciarum, civitatum, & populorum, *statuta*; sic Azor *tom. 1. Institut. moral. l. 5. q. 1. & 2.* Suarez *de Legib. l. 1. c. 1. & 2.* Salas 1. 2. *tr. 24. d. 1. à sect. 1. & seq.* Hinc

Ex data legis descriptione not. 3. ad omnem omnino legem, quæ ligat ad sui observantiam, requiri. 1. quòd sit *præceptum commune, justum, stabile, sufficienter intinctum ei*, à quo ex obligatione observanda est; pro quorum expositione supponendum 1. homines ab initio cum libertate conditos, nulli publicæ potestati humanæ, quæ eos gubernasset, subjectos fuisse; multiplicationem verò illos in communitates coadunasse, quarum gubernationem,



tionem, cum adverterent, non posse in singulis subsistere, libertate nativâ sponte abdicatâ, aliquos in unicum; aliquos in multa capita, jus gubernandi transtulisse. Ex hoc facto, quæ etiam nunc extat, orta est gubernatio; una, *Monarchica*; altera *Aristocratica*; *democratica* tertia. *Monarchica* autem alia *Ecclesiastica*, alia civilis.

84 Supponendum 2. legem ex duplici capite dici *preceptum commune*; uno, quod sit perfectæ communitatis agendorum, & omittendorum norma: altero, quod *in finem boni communis* feratur, ut constabit ex seq. præsertim ex natura potestatis gubernativæ, ac legislativæ, prout distinctæ à potestate, seu jure proprietatis.

Supponendum 3. legem ideo dici præceptum *justum*, quod contra æquum, vel justum, nulla sit possibilis *legitima* potestas, sub hac *justitia*, tria potissimum comprehenduntur. 1. *conformitas ad legem naturalem, & æternam*, non quidem positiva, sed negativa, id est, difformitatis exclusio; quod enim primæ regulæ omnium honesti, quæ est norma cæterorum dissonat, nequit alijs esse directrix ad honestum. 2. *moralis possibilis*, quod enim subditorum viribus, circumstantijs eorum ritè perpensis, inobservabile est, sub legem non cadit; hinc lex prohibens communitati omnia, v. g. convivium, foret injusta, teste Vasq. in præfenti. 3. *necessitas moralis*; quia injustum esset subditos sine rationabili causa legibus onerare.

85 Supponendum 4. legem dici *preceptum stabile ex fine, quem habet*, nimirum subditos per tale medium dirigendi ad felicitatem temporalem talis communitatis, circumstantijs id exigentibus. Hinc fit, quod eo durante, illicitè (quamvis validè) in ea, sine causa rationabili, Superior dispenset; magis autem peccaret, si sine stante eam abrogaret.

Supponendum 5. cum lex obliget voluntatem, quæ neque fertur, neque ferri potest in incognitum; & nemo possit velle obtemperare, nisi cognoscat, quid agere, vel omittere teneatur; in quantum consideratur, ut potens in actu primo proximo, vel saltem in actu 2. obligans, necessariò requiri ad legem (in quantum ligat ad obtemperandum) quod *promulgetur*, intimetur, vel innotescat illis, quos

ligare, seu obligare intendit, seu quos jubet facere, vel omittere, quod ipsa petit, ne dicatur velle, quod quis feratur in incognitum.

## ARTICULUS III.

## De Legis divisione.

86 **P**rima divisio legis generatim acceptæ est, in divinam, naturalem, & humanam. *Divina* Deum authorem habet; & alia est *Naturalis*, de qua n. 24. & hæc non tribuit formaliter, sed supponit materiæ talis legis, moralitatem fundamentale, seu materialem; consequenter antecedit omne liberum exercitium divinæ voluntatis; alia *Positiva*, quæ nascitur à libera Dei voluntate. *Prima*, quia præcepta naturalia in decalogo contenta promulgat, ex communi jam usu, & acceptione, dicitur naturalis divina; *Posterior*, quia ponit, quod non erat in naturali, appellatur *Positiva*. Lex positiva, secundum quod restringitur ad divinam, dividitur in veterem, & novam legem. Illa per Moysen, hæc per ipsum Christum, ejusque discipulos fuit promulgata. Lex humana dicitur *rectum judicium rationis, ab habente potestatem legislativam, per discursum probabilem, seu prudentem factum, subditis agenda, vel omittenda præscribens*. Sed sic non tam formaliter, quam *causaliter* lex accipitur; nimirum non tam pro voluntate Legislatoris, à qua vim obligandi habet; quam pro judicio rationis legislatoris dirigentis ad præcipiendum, vel prohibendum, quod exigit finis potestatis legislativæ.

87 Lex humana, sic accepta, in varias omnino classes, seu species dividitur, nimirum in leges gentium, civiles, & Ecclesiasticas, de quibus jam diximus à n. 26. hæc rursus subdividuntur in legem positivam, & negativam, favorabilem, & odiosam, præcipientem, & prohibentem, præceptivam, pœnalem, mixtam, irritantem, derogantem, abrogantem, declarantem, inhabilitantem, revocatoriam, suspensivam, diccesanam, jurisdictionis &c. &c. de quibus saltem secundum præcipuas species in seq.

## ARTICULUS IV.

## De natura legis in specie.

88 **L**ex in specie, definitioni legis in communi, superaddit, quod à iudicio rationis, & intentione legem ferentis, *directè*, ac *immediatè* ordinetur in bonum commune; ita S. Thomas receptus ab omnibus 1. 2. q. 90. a. 4. Nam, ut legislator prudenter legem ferat, prius considerare debet, an *nunc* talis lex conveniens sit bono Reipub. cuius gubernationi præest, ut eam, ac ejus membra, per talem legem, tanquam medium convenienter ad finem (qui est rectus, ac felix ejusdem status temporalis salutis animarum non oppositus) dirigat, & opportunè perducatur. Præmissis tali iudicio accedit voluntas, quæ vult eos, quorum gubernatio ipsi commissa est, obligare ad observantiam eorum, quæ prævio illo iudicio decrevit, ab illis, agendò, vel omittendò, observari. Tertio demum, hanc ipsam voluntatem suam iisdem signo aliquo manifestare debet, ut nimirum sciant, quæ sibi ex obligatione agenda, vel omittenda sint.

89 Et ideo ex quolibet horum actuum defectu, necesse est, deficere legem. Nam sine prævio iudicio de conducentia ad bonum commune, non erit *iusta*, & *rationabilis* voluntas legislatoris; sine animo, seu intentione illos obligandi, nullam inducet *obligationem*, ut manifestum est in alijs, quæ habent rationem puri consilij: sine intimatione autem facta illis, quos obstringit ad suæ voluntatis legislativæ observantiam, impossibilis erit observantia, quæ formaliter sita est in voluntate, id, quod legislator vult, agendi, vel omittendi; ita Suarez *lib. 1. de Legib. c. 4. n. 6. & c. 5. maximè n. 22.* & alij communiter.

90 Et si autem lex, *universim accepta*, prout est quid superius ad legem naturalem, & divinam, non importet actum aliquem superioris, ordinantis eos, quos obligat, ad rectè agendum, ut diximus n. 24. secus tamen dicendum est *de lege positiva*, tam divina, quàm humana, ut liquet ex definitione legis, seu juris positivi, *cit. n. 26.* differt autem lex à *consilio* per hoc, quod, licet etiam consilio dirigamur ad rectè operandum: non ordinemur tamen per ipsum ad rectè operandum, *tanquam per actum*

*alicujus superioris, respicientis directè, tanquam finem, bonum commune.* Nam consilium, quæ tale formaliter, non est actus superioris, ut talis; cum dari possit etiam ab æquali, vel inferiori; Sic Castropal. *cit. operis moral. parte 1. tr. 3. d. 1. punct. 1. n. 3.* Differt etiam à *præcepto*, quod licet præceptum non sit, nisi proveniat à superiore, quæ tali, non tamen peccat, ut proveniat à superiore *intendente directè, ac immediatè, bonum commune.* Præcepto enim satis fit, directè intendendò *bonum privatum ejus, cui imponitur*; cuius ratio est, quia præcepta dari possunt uni de communitate, in ordine ad privatum ejus bonum immediatè, & directè; ut inductione constat: aliam quoque differentiam inter *legem & præceptum* ponit Menoch. *de arbitrar. l. 1. q. 69.* Sanch. *l. 8. de matr. d. 28. n. 27.* Vasq. *2. 2. d. 151. c. 3.* Suarez *cit. c. 10. n. 9.* nimirum, quod præceptum exspiret morte imponentis; non autem lex; cum spectato suo fine sit de se perpetua juxta numerum 85. his præmissis:

## §. UNICUS.

*An, & qualiter sit de ratione legis in specie, respicere bonum commune?*

**A**n te resolutionem supponendum, 91  
Cum quaeritur, an sit de ratione legis in specie, quod respiciat *bonum commune*? debere hoc intelligi de bono communi, *prout opponitur bono persona privata*, non autem prout significat omnes sub ratione communitatis, conflata ex pluribus partibus convenientibus sub una ratione communi istis, non alijs; sic integra provincia, vel Regnū constat ex pluribus comunitatibus, quarū quælibet habet specialem rationem, omnibus sub ea contentis, comunem; non autem comunem omnibus constituentibus illam provinciam, vel Regnum. Tales sunt *pupilli, minores, milites* &c. Unde, licet ea, quæ constituta sunt in favorem *militum, minorum, pupillorum*, non respiciant directè, ac immediatè commune bonum totius provincie, vel Regni, sed tantum *commune bonum* unius partis in genere v. g. pupillorum; adhuc tamen leges sunt; quia non respiciunt directè bonum privatum, hujus determinati pupilli, *in quantum hic est*; sed in

in quantum pupillus est; quæ ratio est communis omnibus pupillis,

92. Et quia etiam privilegium considerari potest, ut concessum, vel certo generi personarum, aut locorum sub una ratione communi v. g. *Clericis, Religiosis Mendicantibus, Ecclesiis mendicantium* &c. vel personæ particulari, directè in bonum ejus; lex propriè erit juxta primum, non autem secundum modum concessionis; sic Castropal. *cit. n. 7.* Nec aliter intelligi debet c. *Privilegium dist. 3.* ubi dicitur *lex privata*; quod etiam ex his ipsis verbis colligitur, cum textus non dicat simpliciter, quod sit *lex*, sed *lex cum addito diminutive, privata.* Similiter impositiones vectigalium, & tributorum, quæ justæ sunt, & procedunt à potestate legislativa, directè quarunt bonum reipublicæ; cum ei maximè conducens sit, *esse defensam*, qui finis est tributorum; adeoque esse propriè leges: quæ autem procedunt à jure proprietatis, directè quarere bonum Principis, cujus est proprietas, ut diximus n. sup. & dicemus n. 64.

93. Ex eodem fine boni communis (ut vitentur tot lites, & dominiorum incertitudo, & pax inter subditos conservetur) dispositiones juris de præscriptionibus, habent rationem legis propriè dictæ, licet inde, mediante nimirum bono communi, sequatur etiam commodum personæ privatae, modò finis legis immediatus sit bonum ipsius communitatis, vel principalis partis ejus. Hinc sequitur, constitutionem, vel dispositionem, quâ legislator vult communitatem sibi subditam obstringi ad ejus observantiam, si non quarat directè bonum commune, sed privatam hominis particularis, non esse *legem*, nec habere vim obligandi *in vim legis*; cum non sit actus ad quem se porrigat potestas *legis lativa*, quæ legitima sit in iis, quibus inesse debet potestas repub. vel commissam sibi communitatem gubernare, ut mox dicemus; sic Panorm. in Rubric. *h. t. n. 2.* quibus positus:

94. Resp. omnino esse de natura legis, specialiter acceptæ, quod ex intentione, eam ferentis, directè ordinetur in bonum commune. Probat. ex *L. lex est ff. de Legibus ibi: Lex est commune præceptum*; & ratio est ex eo, quod potestas, seu *ius jurisdictionis gubernativæ* in eo differat à

Tom. I.

jure proprietatis, quod illud directè respiciat bonum commune illorum, qui gubernandi sunt, istud autem directè bonum habentis jus proprietatis. Et ideo etiam Aristoteles 1. *Polit. c. 2.* ait: *jus* (seu, quod idem est, legem) *esse justæ jurisdictionis, & ordinationem civilis societatis.* Leges enim de se sunt regulæ perpetuæ; consequenter non respiciunt personas particulares, quæ finem habent, sed totam remp. vel communitatem, quæ de se stabilis est. Et ideo non pro privato, sed communi, & publico subditorum commodo ferri debent; ita S. Thom. *cit. q. 90. a. 2. & alij*, quibus positus:

95. Quæstio est an sit de ratione legis, latam esse ab habente curam communitatis? Resp. alteram conditionem ad legem requisitam communiter dicunt, quod *feratur ab eo, qui curam communitatis habet, politicam, seu jurisdictionis* pro quo not. 1. apud Theologos, & Juristas, usurpari *potestatem* metaphoricè, sub diversis nominibus. Nam 1. *Baculus*, potestatem significat, ut habetur c. 1. de sacra Unct. ubi dicitur, quod Romanus Pontifex non utatur *baculo* pastorali; tum propter historiam, tum propter mysticam rationem, quia, ut notat Gloss. *ibid. baculus* significat potestatem *datam per hominem*; Summus autem Pontifex à solo Deo accipit potestatem. Sic apud Hebræos (teste Azor *p. 2. l. 1. c. 12. q. 13.*) *dextera* metaphoricè *potestatem* significat, quia in illa apud homines major est potentia & virtus; apud Pomponium *in L. 2. ff. de orig. jur.* accipitur *manus* pro *potestate*, vel Suprema autoritate Regis; & *gladius* apud Ulpianum *L. 3. ff. de Jurisdic. omn. Jud.* ut idem sit, *habere potestatem gladij, atque habere merum imperium*, ut notat Pereyra in Elucidar. *a. n. 1183.*

96. Not. 2. *potestatem* esse facultatem aliqujus, qui autoritatem, & eminentiam super alios habet ad eorum regimen, & gubernationem, ut docet Molina *de Jure, & Just. tr. 2. d. 21. q. 2.* ex D. Thoma *in 4. dist. inct. 24. q. 1. a. 1.* In genere duplex est, *Ecclesiastica*, & *Laica*: ista est, per quam reguntur homines in ijs, quæ ad temporalem pacem, salutem, & utilitatem spectant; illa, per quam ad felicitatem æternam. Laica, seu civilis potestas adhuc duplex, una, *Suprema*; altera, *infe-*

*inferior, & non suprema.* Supremam habent, quicunque in temporalibus non agnoscunt Superiorem: non supremam habent, qui in temporalibus civilem superiorem agnoscunt. *Ecclesiastica* duplex etiam est, altera *Supernaturalis ordinis*, & divini juris, quâ homines ad supernaturalem per media supernaturalia diriguntur; altera *naturalis ordinis*, & juris, quâ homines ad finem naturalem, & humanum, quantumvis Ecclesiasticum, operâ, & ministerio Sacerdotum, referuntur.

97. Not. 3. *jurisdictionem* esse speciem potestatis, & apud Sylvestrum, V. *Jurisdictione*, dici quasi Jurisdictionem à *jure dicendo*, & juxta Hervæum sic describi: *jurisdictione* est, quâ præsidens alicui reipublicæ, potest dicere jus, statuendo, sententiando, vel cum obligatione subditorum ad habendum id, quod dicitur, pro justo. Brevius, & clariùs Azonius sic definit: *Jurisdictione* est potestas, de publico introducta, cum necessitate juris dicendi, vel æquitatis statuendæ.

98. Not. 4. *Jurisdictionem* in genere aliam esse *ordinariam*, & dicitur potestas publica, quæ alicui ex proprio munere, vel officio competit; aliam *delegatam*, quæ ex speciali alicujus Superioris mandato convenit; aliam *voluntariam*, quæ exercetur solum in volentes; aliam *contentiosam*, quæ exercetur etiam in invitos; aliam *privativam*, quæ conceditur cum inhibitione, ne alij de illis causis, seu causa possint cognoscere; aliam *cumulativam*, quæ scilicet sic à Principe conceditur alicui, ut alios judices neque privet jurisdictione.

99. Not. 5. apud Lessium *de Just. l. 2. c. 9. d. 3.* reperiri divisa potestatem in *publicam*, quæ datur in Principe, & Magistratu in ordine ad bonum publicum, & *privatam*, quæ datur in homine privato, in ordine ad bonum privatum. duplici autem modo fieri potest, aliquem gerere *curam communitatis*. 1. per potestatem dominativam, & æconomicam; qualem habent parentes in liberos, Domini in servos, mariti in uxores. 2. per potestatem politicam seu jurisdictionem, quâ possit subditos coercere, & bonum non proprium, sed commune directè suâ jussione procurare; quibus positus.

100. Resp. ad legem substantialiter requiri, latam esse ab eo, qui *curam habet communitatis politicam*, seu jurisdictionis; ita Suarez *de Legib. l. 1. c. 8. à n. 2.* Salas *cod. d. 1. s. 9. n. 54.* cum D. Thom., 1. 2. q. 90. a. 3. ad 2. cum alijs. Nam cura solum dominativa, & æconomica, non præstat jus, seu facultatem exigendi aliquid sibi non debitum; nec etiam semper attendit directè commune bonum: at sine hac potestate non stat potestas legislativa, consequenter ipsa lex, ut rectè notat Castropalaus *cit. p. 1. n. 8.* cum alijs; ergo.

101. Præter duas condiciones jam præmissas, nimirum quòd directè respiciat bonum commune subditorum, & procedat ab habente politicam curam communitatis, Quæstio est: 2. an de ratione legis sit *scriptura*? 2. *promulgatio*. 3. *populi acceptatio*. 4. *perpetuitas*. Et ad 1. Resp. ad legem non requiri scripturam substantialiter. Ratio est, quia legislator voluntatem suam voce manifestare potest, quæ tamen subditos obliget. Nam ut dicitur *c. 1. de jurejur. in 6. juramenta, statuta, & consuetudines Ecclesiarum, scripta, aut non scripta, inviolabiliter observari debent.* Idem colligitur ex *c. institutionis 25. q. 2. c. In istis, dist. 4. & c. Consuetudo, dist. 1.* Dixi non requiri *substantialiter*. Nam, *legem in scripturam redigi*, perquam *conveniens est*, ob multa bona, quæ, si lex scriptò teneatur, redundant in Rempublicam, si tenor legis per scripturam pateat, quo caveantur plurima mala, quæ non tantum ab his, qui obtemperare; sed etiam ab illis, qui secundum leges judicare debent, irreperere possunt additione, vel diminutione, ut palàm est in consuetudinibus, seu lege non scripta, in qua, & subditi, & Judices non raro *consultum* dicunt, quod placitum, aut in rem suam est, vel vi, metùque frequenter extortum.

102. Ad 2. de promulgatione non est dubium, vel ad efficaciam, seu ad substantiam legis humanæ requiri, vel saltem ut conditionem, *sine qua non*, omnino necessariam esse *aliquam promulgationem*, seu publicationem ejus, quod legislator ex potestate sua politica, seu jurisdictione gubernativa observari vult, ut cum communi tenet Azor *l. 5. instit. moral. c. 3. q. 1.* dicens: ad naturam, & substantiam legis esse

esse necessariam promulgationem. Non enim potest habere vim obligandi, nisi nota sit; non potest autem esse nota, nisi manifestata, qualis autem esse debeat, & sufficiat, dicemus in seqq. Sicut etiam de acceptatione; quâ verò ratione debeat esse stabilis, dictum est n. 85.

## ARTICULUS V.

*Qua promulgatio sit de substantia legis?*

103. **N**on est dubium, aliquam legis promulgationem esse vel de ejus substantia, vel saltem requisitam, ut complementum, seu conditionem *sine qua non*. Nam sine hac vim obligandi, vel proximam, vel in actu secundo habere non potest; cum non possit de illa subditis constare, adeoque vim suam exercere, ut subditi se illi (utpote non cognitæ) conforment, ut docet communis. Hanc porro publicationem debere *communitati fieri*, ex eo est, quia lex pro bono communitatis fertur. 2. Quia singuli non obligantur, ut singulares personæ; sed quatenus partes sunt communitatis; ac proinde ipsa communitas debet quasi prius obligata esse; ita S. Thomas 1. 2. q. 90. a. 4. Isidorus relatus in c. *Erit autem lex*, dist. 4. Suarez l. 1. de legib. c. 11. quos citat & sequitur Castropalaus p. 1. tr. 3. d. 1. p. 1. n. 9. & novissimè P. Jacobus Illung, in *Theol. practica d. 1. tract. 2. n. 3.* Et ratio ulterior est; quia lex non fertur alicui, sed toti communitati, & est regula operationum totius etiam communitatis, & non privati duntaxat alicujus. Quare sapientes Imperatores Valentinian. & Martianus rescribunt l. 9. c. de legib. *Leges sacratissime, qua constringunt hominum vitas, intelligi ab hominibus debent, ut universi prescripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur.* Quæ verba habentur in præfatione novell. Martiani, de matrimonio Senatorum, extatque integra in libro novellarum Martiani tit. 4. & in Breviario Alarici. Eadem habet Justinian. *novell. 66. cap. 1. §. 1. & 3.* post paulò adducenda: quibus locis æquam, ut vides, ratione reddunt Imperatores, nempe ignorantiam subditorum, qui non possunt iussa exequi, quæ ignorant inculpate.

Tom. I.

Not. præterea 1. nullam legem habere vim obligandi, ut sæpe diximus, in actu primo proximo, consequenter nec in actu secundo, nisi publicata sit, eâ saltem publicatione, vi cujus in subditis causare possit vel actualem scientiam, vel actualem vincibilem ignorantiam; sic Azor lib. 5. *Instit. moral. cap. 3. q. 1.* dicens: ad naturam, & substantiam legis esse necessariam promulgationem, non enim potest habere vim obligandi, nisi nota sit, non potest autem esse nota, nisi manifestata; & ideo in L. *Leges sacratissime, ab omnibus intelligi debent, ut universi, prescripto earum manifestius intellecto, prohibita declinent, & faciant prescripta*; id, quod etiam traditur c. 3. dist. 4. ubi dicitur: *Leges institui, cum promulgantur*; ubi bene notandum ly *prescripto earum manifestius intellecto*. Vid. dicenda n. 128.

Not. 2. ad hoc, ut lex possit vel scientiam, vel ignorantiam vincibilem causare in aliqua communitate, debere ejus notitiam per eam esse *diffusam moraliter*; dicitur autem *moraliter diffusa*, quando ex loco promulgationis, quasi continuè ejus obligatio ad alia vicina, & distantia loca extenditur, ut notat Suarez mox citandus. Hinc sequitur, quòd lex, quæ est in aliqua legislatoris metropoli, aut curia sufficienter promulgata, atque indefinitè lata, non necessariò, & propterea in omnibus ejus ditionibus statim obliget; ita Suarez de *Leg. l. 3. c. 17.* cui concordat S. Thom. 1. 2. q. 90. a. 4. ad 2. *Lex obligat, in quantum ejus promulgatio in omnium notitiam, per se, vel per alios potest pervenire.* Hanc doctrinam omnibus legibus communem esse (nisi legislatores, peculiaribus statutis, eam particularibus casibus applicent, docuit P. Henricus Herdinck, vir æquè timoratus, ac sapiens, valdeque cautus, cum anno 1665. materiam de legib. in tertia Theologiae lectione traderet d. 1. §. 4. in *M. S. Vienna Austriae*.

Not. 3. quòd, sicut lex non obligat membra communitatis, ad quam dirigitur, nisi ei à legislatore per se, vel alios intimetur; sic nec obliget illos, nisi communitas morali saltem certitudine sciat, illam saltem in Residentia Principis, vel aliquo loco esse publicatam. Nam lex

D 2

ignora-

104

105

106

ignorata non obligat; ergo cum membra communitatis non ligentur lege nisi in quantum illa ligatur communitas ex n. 103. nec ligabuntur, nisi in quantum communitas obligatur; hæc autem non ligatur, nisi saltem morali certitudine noverit promulgationem à legislatore factam per se, vel alios; ut manifestius præscripta intelligat juxta numerum 103. ergo

107. Not. 4. à pluribus doceri, quoties dubium est, an impositum sit præceptum naturale, divinum, vel humanum de aliqua re, eo non obligari dubitantem; quia, donec constet de præcepto, possidet voluntatis libertas contra legem; sic P. Matthæus de Moya in qq. select. theolog. moral. 11. 1. q. 5. n. 16. & D. Th. apud P. Suarez tom. 5. in 3. parte d. 40. f. 5. n. 15. Sanch. l. 2. de matrim. d. 41. n. 36. Sà V. dubium, n. 2: aliique complures; nam obligare supponit legem existere, & eam existere, à subditis cognosci: dicunt autem rem dubiam secundum jus Canonicum, quando utrinque sunt opiniones probabiles; ita Fagnanus in c. Ne innitaris à n. 148. & Aristoteles Topic. c. 9. ibi: dubitationem habent, quando utrinque sunt rationes suasibiles, quod complures constituunt in suspensione intellectus, & per rationabilem assensum in unam partem ex oppositis rite deponitur. dicunt autem in tali casu esse dubium juris, quod contingit, quoties dubia est res, in qua lex nascitur; sic de Moya cit. tract. 3. d. 1. 119. q. 5. n. 18. hinc, cum reservatio peccati nascatur ex suppositione peccati, eo ipso, quod dubium est peccatum, est dubium juris de reservatione contracta; quod etiam procedit de obligatione confitendi peccatum dubium.

108. Hanc porrò regulam (in dubio melior est conditio possidentis) non tantum in foro fori, & justitiæ; sed etiam in foro poli, & conscientiæ valere docet P. Joseph. Gibalinus tom. 1. de scientia Canon. l. 3. c. 7. q. 6. q. 3. n. 7. & apud eum Henriquez, Suarez, Filliucius, Arriaga; & P. Matthæus de Moya cit. n. 18. cum M. Joanne Martinez de Prado Thomista tom. 1. qq. moral. c. 1. q. 9. n. 3. ibi: dico tamen 1. etiam in foro conscientiæ, in dubijs, melior est conditio possidentis, & alij; quia quamdiu quis est in possessione im-

nitatis ab aliquo debito, cujuscunq; virtutis fit, non peccat non solvendo; nec per dubium superveniens à possessione deijcitur; cum ergo humana voluntas naturam suam libera sit respectu hominum; ut à libertate sua deijciatur, pro hoc, vel illo actu, tanquam debito ex hac, vel illa virtute, convinci eam necesse est, de subjectione huic, vel illi debita in tali casu, quod non fit dubia duntaxat voluntate legitimi superioris; ita illi, sed de his dicemus infra.

109. Not. 5. juxta quosdam dupliciter posse legem solemniter constitui, 1. Si solemniter edatur, vel publice promulgetur, ut videtur colligi ex c. 1. de Postulat. Prælat. ubi dicitur legem obligare, si solemniter editur, vel publice promulgetur. Sollemniter editur, cum in consistorio Papæ, vel consilio Principis aliquid agendum, vel omittendum à subditis, directe propter bonum commune, concluditur; solemniter autem, seu juridicè promulgatur, vel voce Præconis, vel affixâ in loco publico scripturam, factam legitimam autoritate.

110. Not. 6. quamdiu illa solennis editio legis non sufficit, ut tale conclusum in notitiam communitatis, pro qua constituitur, devenire possit, legem nullo modo esse constitutam, hoc est, eam Principis voluntatem vim proximè subditos obligandi non habere, etiam respectu illorum, ad quorum notitiam devenit; quia usque tunc non est regula communis, seu communitati patefacta; ex n. 103. ita Suarez l. 3. de lege humana c. 16. n. 2. Salas de legib. d. 12. f. 1. n. 6. & alij, cujus ratio est ex n. cit. & seqq.

111. Nec obstat id, quod n. 109. retulimus ex c. 1. de postulat. Prælat. ubi legi tribuitur vis obligandi etiam tunc, cum solemniter editur, atque adeò, sine publica promulgatione, ubi contendunt Abbas in dict. c. 1. & Reginald. l. 13. n. 155. Nam ibi solennis editio non accipitur tantum formaliter, ut ait Suarez cit. quatenus præcisè respicit legislatorem, sed realiter, quatenus etiam dicit ordinem ad subditos, quibus intimatur; unde ibi particula vel non tam disjunctivum, quam copulativum sensum habet, nimirum: legem obligare, cum solemniter editur, & publice intimatur, cujus ratio est ex dictis n. 86. Accedit, quod ad summum sequatur, solenni eâ editione legem constitui,

stitui, quantum explicat vim obligandi *planè remotam*, & nondum passò, in quo proximè potens sit causare obligationem, applicatam: non autem *vim proximam*; hoc enim habere non potest, nisi quantum sic vulgata est, ut in communitate causare possit saltem moraliter certam notitiam de sui constitutione, ut dicemus infra; denique dici potest, *solenni editi- one* legem obligare, non absolutè, sed *sub conditione*, si solenni, seu publica promulgatione subditis innotescat; non autem *secus*, cujus ratio est ex dictis, à n. 86. & 103.

112. Ex dictis deducitur, nullam Superioris dispositionem vim legis propriè dictæ, seu proximè obligantis, aut obligare potentis, obtinere, quamdiu caret soleenni, hoc est, publica promulgatione, seu intimatione, relatè ad communitatem, voluntate Legislatoris ea lege obligandam. Nam hæc promulgatio est de substantia, vel saltem conditio sine qua non, voluntatis legislativæ, in quantum proximè potentis obligare communitatem, ex illa obligandam, ut ex dictis constar, à n. 103.

113. Et hoc procedit non tantum de constitutione Principis, *novi juris inductiva*, seu prohibentis, seu præcipientis; sed etiam *merè declarativa legis à se conditæ*, ut secundum illum sensum obligationem accipiat, quem esse ex intentione Legislatoris Princeps declarat. Prima pars deducitur ex dictis; quia saltem aliqua promulgatio publica est de substantia legis tam præcipientis, quam prohibentis, per n. 86. & 103. & ita tenet communis. Unde Cardenas in Crisi Theol. Tract. 1. d. 9. c. 11. n. 422. (licet alioquin valde strictus in hac materia) expressè docet: *legem Pontificiam non obligare in Provinciis, donec in his certitudine morali sciatur promulgatio Romæ facta*, & disert. 1. ad propositiones ab Innocentio XI. damnatas c. 18. n. 198. *legem Pontificiam, in quantum præceptiva, vel prohibitoria est, non obligare communitatem, ad quam fertur, ante certam notitiam, de ipsius publicatione Romæ facta.*

114. Secunda pars de legis propriæ declaratione, colligitur ex iisdem principijs; quia in quantum tali declaratione Princeps vult omnes teneri ad legem suam, *in sensu à se declarato* observandam, innovat legem

ante datam *sub tali sensu*; ergo ut velit communitatem per eam *sub eo sensu* obligari, substantialiter necessaria est promulgatio, quæ sufficiat causare notitiam, vel culpabilem ignorantiam ejus, ut dictum est n. 103. & seq. aliàs vellet subditos suos obligatos constitutione, carente vi obligandi; ita Suarez l. 8. de leg. c. 15. n. 17. & l. 4. c. 14. Bonacin. de legib. d. 1. q. 1. p. 4. n. 12. & alij. Idem etiam procedit de rescriptis, seu epistolis, & responsis Principum, in quantum constituunt legem propriè dictam; ita Castropal. cit. tr. 3. d. 1. p. 10. n. 4. cum Suarez Bonacin. & alijs, sive sint constitutiva novi, sive declarativa juris, jam antè à se, vel prædecessoribus conditi. Ratio est eadem, quæ prioris.

Et quamvis *condere leges declarantes*, 115. quid sit justum (intellige declaratione authenticâ) pertineat ad potestatem collatam Petro, & successoribus ejus, ut docet Matthæus de Moya in qq. select. theol. moral. tr. 1. q. 4. §. 1. n. 4. ex c. In novo, dist. 21. c. Ita Dominus, dist. 19. c. Omnes, dist. 22. Extravag. Unam sanctam, de majorit. & obed. c. Solita, eod. c. Cum adveniant, c. Quodcunque 14. q. 1. c. Ad Apostolica, de re judicat. in 6. c. Novit, de Judic. c. Venorabilem, qui filij sint legitimi; ea nihilominus declaratio, ut *in sensu declarato* ad legis observantiam stringat, indiget aliquâ solenni, seu publicâ promulgatione, ex eo, quia aliàs vellet obtemperari constitutæ legi *in sensu legis*, à subditis ignoratò; & ideo etiam *legem prioris revocatoriam*, eodem modo, ac aliàs substantialiter constare debere promulgatione solenni, seu publicâ tenet Azor tom. 1. Instit. moral. l. 5. c. 3. q. 7. Bonacin. cit. d. 1. p. 4. n. 13. & alij; cum enim hoc sit de substantia omnis legis, ex dictis; & hæc etiam sit lex, tollatque possessionem alterius; idem erit de substantia ejus, ac aliarum. Hinc

Valde probabiliter deducunt aliqui, 116. quòd non sit mens Pontificis, irritantis contractus, ex natura rei validos, & licitos, eos prius irritare comparatione eos ignoranter celebrantium, quam in unaquaque diocesi sit sufficienter promulgata, aut aliâ viâ ad omnium cognitionem poterit pervenire. Sic Molina de just. tr. 2. d. 395. Ratio est, quia nullus legis condi-

Conditor intendit legem condere, sine eo, quod est de substantia omnis legis, seu juris, in quantum obligantis; at de substantia omnis legis, seu juris positivi, est ejus notitia, quæ non habetur, nisi aliquâ saltem publicatione talis juris; ergo. his generatim præmissis:

## §. I.

Quæ promulgatio sit de substantia legis civilis?

117. Ante resolutionem supponendum 1. Varias esse leges civiles. Nam aliquæ dantur solum pro una Provincia, seu parvo regno; aliæ pro pluribus. 2. Quasdam procedere à legislatore nemini subiecto, ut ab Imperatore, Rege, Republica libera; alias à subiecto. 3. Inter leges alias esse suspensivas, quæ scilicet feruntur voluntate Principis restrictâ ad certum tempus, v. g. *ad bimestre*, nolentis, ut ante illud, à die promulgationis computati lapsus, subditi eâ lege teneantur, seu ligentur; alias autem, secus, & sine tali restrictione, his positis:

118. Quæstio est 1. an leges civiles, quæ à Legislatore nulli subiecto conduntur pro una tantum Provincia sibi subdita, substantialiter indigeant promulgatione publica, seu solemniter, & juridice (de qua n. 109) in qualibet ejus civitate? vel sufficiat, eam publicatam esse in Metropoli illius Provinciæ, Ducatus, vel parvi Regni, aut Principis Residentia? notandum autem, quæstionem posse procedere, an hoc lex civilis habeat ex natura rei? an solum ex Legislatoris ordinatione? quo posito: Resp. spectatâ naturâ legis propriè dictæ, probabilius esse, quod sufficiat, eam legē esse publicè, ac juridicè, seu solemniter intimatam in præcipua talis Provinciæ civitate, cum requisita temporis latitudine, de qua *in seqq.* Ita Sylvester *v. lex q. 3. & 6.* Azor *tom. 1. Instit. mor. l. 5. c. 3. q. 2.* Suarez *l. 3. de legib. c. 16. n. 7. & c. 18. n. 6.* Salas *eod. D. 12. sect. 2. n. 11.* Bonacin. *D. 1. q. 1. p. 16.* quos refert, & sequitur Castropalaus *cit. p. 11. n. 2.* Probatur, quia (si non sufficeret ad obligandam talem provinciam solennis promulgatio legis ab eo conditæ, in præcipua illius civitate, & consequenter necessaria foret amplior ejus intimatio) id vel esset ex natu-

ra rei, seu jure naturali, vel positivo? non ex natura rei; nam jure naturæ sufficit legis intimatio in eo loco facta, unde ad omnes de illa communitate, quos ligare debet ejus notitia, saltem moraliter certa, diffundi possit, ex n. 103. & *seqq.* sed notitia legis moraliter certa, ex Principe aliqujus provinciæ civitate, in qua promulgata est, ad omnes de illa provincia, quam ligare debet, diffundi potest, saltem successivè, præsertim, cum ejus obligatio suspenditur, ut non incipiat ante lapsum certi temporis, quod judicio prudentum sufficiens est, ut morali certitudine innotescat tali provinciæ, vel ejus parti potiori: ergo. Non etiam ex jure positivo. Nam nullo jure positivo assignatur amplior promulgatio, quando lex unam tantum provinciam ligare debet, quod intellige, quando Legislator non exprimit, quod nolit subditos prius obligatos, quam in singulis ejus Provinciæ civitatibus, vel oppidis, dicecibus, aut Parochiis publicetur solenniter, prout factum est in decreto Tridentini, quo irritantur matrimonia simpliciter clandestina, nimirum sine præsentia Parochi, & testium, quin tale decretum vim suam obtineat ante lapsum certi temporis, computandi à die publicationis factæ in singulis Parochiis; ergo.

119. Quæstio est 2. an leges civiles, quæ à Legislatore, nulli subiecto, conduntur pro diversis provinciis sibi subditis, substantialiter indigeant publica, seu solenni promulgatione in qualibet provincia? ante responsum not. hanc quæstionem posse dupliciter intelligi. 1. an hoc sit ex jure naturali, ut lex vim obligandi plures provincias non habeat prius, quam in singulis solenniter publicata sit? 2. an solum ex voluntate Legislatoris, atque adeo ex jure positivo?

120. Ad 1. Resp. probabilius esse, jure naturæ ad substantiam legis sufficere, quod solenniter publicata sit in loco debito, nimirum tali, unde illius notitia moraliter certa, aut culpabilis ignorantia, in alias terras eadem ligandas, moraliter diffundi possit; ita docet Salas *D. 12. de legib. f. 9. n. 34.* Bonacin. *tom. 2. D. 1. q. 1. p. 4. n. 18.* Cardenas *in Crisi Theol. tr. 1. de opinion. probabil. D. 9. c. 20. à n. 420.* cum communi; quia jure naturali non requiritur amplior promulgatio ad substantiam



tiam, seu essentiam legis, quàm sufficiat, ut voluntas legislatoris integrè alicui communitati per eam ligandæ innotescere possit certitudine saltem morali: nam hoc posito cessant omnia incommoda, ex ignorantia legis nascentia, propter quæ doctores contrarij, ad essentiam legis, quæ potentis obligare plures provincias, volunt requiri promulgationem in qualibet, ut constabit ex dicendis.

121. Ad 2. Resp. ad hoc, ut leges civiles, latae pro pluribus provinciis, singulas obligent, jure civili, seu voluntate conditoris requiri promulgationem in qualibet; Constat ex Authent. *Ut facta nove consistit*. tum ex ejus Rubrica, quæ indefinite loquitur; tum ex ipso textu, ibi *Sancimus, ex illo nostras constitutiones valere, ex quo in commune facta sunt manifesta; in provinciis autem, ex quo directe per Metropolitanas palam facta sunt, vel postea facta fuerint, & paulò post: Sancimus in provinciis, post insinuationem, valere: & aperte in ead. authent. c. i. §. i. ibi: Ne igitur importunitatem patiamur de his per singulos dies & formas scribere cogamur, propterea sancimus seniores in Justinianæo Codice legem valere, hic quidem, ex quo insinuata est in provinciis autem, ex quo directe, & palam facta, in unaquaque metropoli, aut alia civitate.*

122. Dices: Imperatorem non loqui citatò locò indefinite, ac universaliter, de omni lege, sed expressè solùm de legibus suis, quæ pro testamento sunt; ergo non rectè dicitur universaliter, leges civiles, in quantum subsunt voluntati suorum legislatorum, non habere vim obligandi, etiam in actu primo singulas provincias ei subiectas, nisi priùs in qualibet promulgentur. Et quamvis verba *Rubricæ* generalia sint; non tamen sunt verba legis: ergo illa Justiniani constitutio procedit solùm de legibus testamentarijs, quas imperator speciali favore ultimarum voluntatum, ne legum ignorantia cassari debeant, suspensas, quoad vim obligandi voluit, dum dicto modo promulgarentur; ita Vasq. r. 2. d. 156. c. 3.

123. Ante respons. not. quòd Justinianus Imperator statim ad initium illius authenticæ, in præfatione reddat causam suæ novæ sanctionis, seu constitutionis nimirum, quòd causæ legum prius conditarum, sem-

per multorum negotiorum, additionum, responsum, & similibus occasiones præbuerint; & quia id maxime fiebat occasione constitutionum, quas super successione scripserat, necessarium sibi visum, ea brevi lege corrigere; quo posito constitutionem suam, à nobis n. 121, allatam subjecit. Ex hoc autem satis clarè colligitur, *Rubricam tituli*, loquentem universaliter de quavis ejus lege, conformem esse menti Justiniani, volentis ea lege declarare in universum, quando velit leges à se conditas in provincijs vim obligandi obtinere, cum non tantum leges de successione, sed super alijs quoque materijs occasiones ei plurium negotiorum fuerint; quibus cavendis universaliter, potissimam negotiorum occasionem (in ignoratione legum exinde natam, quòd in provincijs publicatæ non fuerint) dicta constitutione suâ *Sancimus*, corrigere voluit. Et quia tunc potissima negotia causabant ignorantia in provincijs leges de Successionibus; id, quod in his, quoad earum obligationem correctum voluit, in alijs quoque ex intentione sua in præfatione præmissa declaratum voluit, quibus positus:

Ad object. in n. 122. Resp. verum 123. esse, quòd Imperator citato loco non loquatur indefinite de omnibus legibus suis, si spectentur præcisè verba; secus si intentio. Nam ubi constat de intentione legis, & sermonis, non attenduntur verba; intentio autem imperatoris erat, occasiones tot molestorum negotiorum, sibi factorum ex ignorantia legum in provincijs, & recursum ad legislatorem, tollere; quod ut fieret, cum maxime illa negotia propter ignorantiam legum de successione nascerentur, correctione harum, & alias correctas voluit, ut præmissum est.

124. Responderi potest 2. cum dist. Imperator cit. loco non loquitur indefinite *spectato solo textu*, trans. *spectato textu iuncto Rubricæ*, nego. Nam textus infra *Rubricam* scriptus, specificè loquens, non limitat *Rubricam loquentem generaliter*, quando ille solùm id, quòd specificè exprimit, facit *exempli causam*, vel tanquam regulam reliquorum; præsertim, quando *Rubrica* habet sensum perfectum; ac intentionem legislatoris plenè explicat, prout est in præfatione. Unde, quando Menochius l. 6. de præsumpt. tota præsumptione 1. dicit;

Rubricam per subscriptas leges, quæ claræ sunt, & distinctæ, explicandam esse, & limitandam; accipiendum est, quando textus appositus est ad limitandam Rubricam; non autem, quando solum apponitur exempli gratiâ.

126. Et quamvis ex Decio & Alciato, Menochius velit, Rubricam non disponere tanquam legem, nec posse pro textu allegari; sed esse tantum indicem legis, & demonstrationem, quæ in textu habentur; contrarium tamen affirmant plures, prout constabit ex dicendis à n. 1317. Et ratio est ex Rodriquez, Fermosino, de Legib. Eccles. ad c. Cum omnes, de Constit. n. 26. quia, quando Rubrica decidit plures casus, nigrum autem (nimirum textus illi subscriptus) unum, hoc videtur facere solum exempli gratiâ; vel ponere duntaxat illum casum, tanquam magis dubitabilem (aut frequentiore, vel etiam declarationis, aut correctionis indigum) quo casu, cum exempla non restringant regulam §. hætenus, Instit. de gradibus; non excluduntur alij casus expressi in Rubrica. sic Gloss. in L. Emptor. ff. de rei vindicat. V. Superfluum.

127. Ex dictis coll. legem civilem, quæ non suspenditur ad certum tempus, ut primùm lata est in præcipua Provinciæ civitate, statim obligare omnes in ea civitate, qui ejus habent notitiam, vel habere potuerunt; ita Suarez l. 3. de Legib. c. 17. à n. 5. quod intellige spectatò forò externò; juxta dicta in præmissis. Nam tali casu sufficienter promulgata est in tali loco; in foro tamen conscientie transgressionem ei non imputandam ad culpam, qui reverà tunc ignoravit. Nam eo casu quoad Deum, erit transgressio solum materialis, nimirum legis verè ignoratæ; in foro tamen fori, scientia præsumeretur, & ignorantia probanda foret ab eam ignorante, ut dicemus infra. V. n. 129.

128. Dixi: omnes in ea civitate; nam reliquos non obligaret, usque dum sufficiens notitia ad ipsos perveniret, de tali lege in ejus provinciæ metropoli, vel alia civitate, ad hoc à legislatore electa, solenniter publicata; ita Suarez loco cit. Castropal. p. 1. tr. 3. d. 1. p. 11. n. 7. & alij. Nam ut dicitur c. 1. de Concess. præbend. in 6. §. Neque oïstat: lex, seu constitutio, & mandatum, nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem,

aut ipsi post tempus, intra quod ignorare minimè debuissent. Unde, quando dicimus, ut lex obliget totam provinciam, quam ligare debet, sufficere; quòd solenniter publicata sit in ejus metropoli v. g. debere intelligi de publicatione, in quantum sufficiens est causare legis notitiam, vel culpabilem ejus ignorantiam in tota communitate, vel majori ejus parte; nam sine hoc, quod innotescat sufficienter toti communitati, nullum etiam particularem obligat, esto is legis publicationem audijset. Nam lex non ligat prius singulos, quam arctet totam communitatem; ergo non prius, quàm huic sufficienter innotescat ex n. 103. anteced. patet quia singuli de communitate in tantum ligantur lege, in quantum sunt partes communitatis lege obligata. Nam ex hoc lex differt à præcepto, quòd hoc respiciat singulos, quia in ipsorum bonum ordinatum est; lex verò communitatem, cujus bonum directè respicit.

129. Hinc pro majori dictorum explicatione notandum, promulgationem legis in aliqua metropoli factam, non eo ipso, quòd voce præconis, vel scripto affixa proftet, censeri sufficientem, quòd sic proclamata, vel affixa sit; sed necessariò debere intelligi, cum latitudine temporis sufficientis ut ad notitiam totius communitatis moraliter devenire possit, nimirum attenta vastitate loci, & hominum, per quos diffundi debet; citius enim vulgatur aliquid in oppidulo & inter paucos; quàm in communitate admodum frequenti, & vasta, ut per se notum est. Unde ly statim in n. 127. non debet intelligi, quasi immediatè, & seclusà omni morà post affixionem, vel evulgationem decreti; sed cum temporis latitudine, moraliter, seu prudentum judicio, requisitâ, ut in tali loco majori saltem parti innotescere possit.

130. Deinde observandum per legis publicationem non intelligi quamlibet publicationem, per quam legis notitia possit acquiri: certum enim est, ignorantem legem eà non obstringi, sed promulgationem solemnem, quæ, ut ait Vasq. 1. 2. disp. 155. cap. 2. ostendat principem, ut principem loqui, & imperare publicâ auctoritate, qua pollet, & cui omnes pariter obedire tenentur. Quare si cui innotesceret

ret lex nondum eâ solemnitate promulgata, nondum eâ teneretur: ideo Vasq. *ibid.* promulgationem ad legis essentiam pertinere dicit. Est siquidem lex imperium per se aptum, ut ad operandum obliget, cujusmodi non est Superioris imperium, mente retentum; neque enim quacunque ratione explicatum, sed propositum eâ solemnitate, & modo, quo sufficienter omnes intelligant esse præceptum Principis, & non prius. Nam aliàs legislator vellet lege sua formaliter obligatos, qui debitam legis notitiam non habent, quod est impossibile. Et ideo lex in metropoli alicujus provinciæ solemniter promulgata, qua debet ligari tota Provincia, non obligabit prius incolas dictæ metropolis, quàm etiam ad reliquas ejus provinciæ civitates debita notitia de solenni ejus promulgatione in metropoli diffusa sit (saltem nisi aliud legislator declaret; quia sic civitates illius Provinciæ comparantur ad totam provinciam, ut ejus partes; hæ autem non ligantur, nisi ligetur tota provincia, ut constat ex n. 103.

131. Not. 2. ad hoc, ut lex vim suam exerat, seu effectum obligationis in subdito pariat, cui licitè pro sensu composito talis legis, contravenire non possit, & necessariam in quavis lege, ex natura legis præcipientis, vel prohibentis, à nobis intelligi publicationem, seu intimationem ejus solennem (de qua n. 109.) non secundum se, sed cum latitudine temporis, etiam, postquam facta est in civitate, vel Residentia Principis, quod requiritur consideratis circumstantijs, ut in tali communitate innotescere possit mens, & intentio legis. Secus enim observantiam legislator imprudenter exigeret (si, quid subditus, vi talis legis teneatur, scire non posset) ac ejus transgressorem injustè puniret; cum, non servare legem, quæ sciri non potuit, careat omni culpâ. Ex quo tandem sequitur, ex hoc præcisè, quod voluntas Principis in uno loco publico talis civitatis, vel provinciæ, aut Regni, vel per solennem scripturam, vel voce præconis vulgata sit, nondum censeri eam sufficienter promulgatam promulgatione requisita, ut lex sit substantialiter constituta in esse potentis obligare, nisi prout conjuncta cum ea latitudine temporis, quæ moraliter, seu prudenti hominum judicio ne-

Tom. I.

cessaria est, ut innotescat Communitati per eam ligandæ.

§. II.

Quid dicendum de legibus in aliis Regnis, & Provinciis, Romano Imperio non subjectis?

Resp. quoties in illis Regnis, & Provinciis, neque consuetudo, neque particulare statutum vim legis sufficienter promulgatæ suspendens extat, toties in, & de ipsdem, juxta legis naturam num. præced. positam, judicandum esse, nimirum statim obligare modò jam explicatò. Hinc licet valde probabile sit, quòd, quando ditiones illæ magnam habent vastitatem, etiam in illis sufficiat unica promulgatio explicata, (si spectemus præcisè naturam legis, secundum jus naturale) id tamen debere intelligi de promulgatione legis cum latitudine temporis, ad eum finem moraliter, seu prudenti hominum judicio, necessariâ.

132. Si quæras, an lege teneatur, sciens ejus promulgationem in uno loco, si nondum est promulgata in sua provincia, & habet vim obligandi suspensam ad certum tempus; affirmat Sylvester V. *Lex n. 6. dicto 3.* quia frustra expectatur eventus, cuius nullus est effectus, c. cum contingat, de offic. delegat. ergo qui est certus de constitutione, frustra expectat promulgationem in sua provincia, vel lapsum certi temporis: sed verius esse contrarium, sentit Navarrus l. 1. consiliorum. 1. n. 17. & Suarez l. 3. t. 18. tum quia sic mens legislatoris est, non obligare prius; tum quia lapsus tanti temporis obligationi legis appositi, est speciale juris beneficium; nemini autem juris beneficium auferendum est. arg. l. 4. §. si quis condemnatus, ff. de re judicata; quod tamen postremum intellige. 1. In casu, quando vis obligativa legis, ex voluntate legislatoris est suspensa ad certum tempus. 2. De lege etiam non suspensa; quando nondum est promulgata in sua provincia, ubi id, vi juris positivi communis, vel municipalis, requiritur ex n. 121. denique etiam in casu, quo sufficit promulgatio legis in Principe loco talis Regni, si non effluxit latitudo temporis, ex natura rei necessarij, ut ad communitates aliarum provincialiarum moraliter diffundi possit.

§. III.

E

## §. III.

*An ad legem canonicam sufficiat unica  
Romæ solennis promulgatio?*

134. **A**ffirmativam, quod sufficiat unica Romæ solenniter facta promulgatio, tenet Suarez *l. 4. de legib. c. 17. n. 3.* Vasquez *in 1. 2. d. 156. c. 2.* Reginaldus, Escobar, & ferme omnes moderni Canonistæ, cum Pirhing, *de Constitutionibus n. 32.* qui tamen *n. 31.* contrarium vocat non improbable; hanc opinionem affirmantium, sufficere unicam Romæ promulgationem solemnem, esse certam, aperte docet Castropal. *cit. p. 12. n. 2.* imò Cardenas *in Crisi Theol. tr. 1. d. 9. c. 2. a. 11. n. 416.* expressè asserit, negantem, esse antiquatam, nec amplius manere probabilem post decretum Alexandri VII. quo damnavit tanquam scandalosas (consequenter certò falsas) has tres propositiones, quarum 1. est in numero octava: & sic sonat: *duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licitè accipere, applicando penitenti partem specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem; & hoc post decretum Urbani VIII.* 2. Illa, quæ in numero est nona: *post decretum Urbani VIII. potest sacerdos, cui missa celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ stipendij parte sibi reservatâ.* 3. Quæ in eodem catalogo est duodecima: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate,* quæ propositio, ut notat Cardenas *n. 417.* ideo damnatur, quia opposita pars præcepta est à Paulo V. & Urbano VIII. in decretis Romæ more solito publicatis, non autem in singulis provinciis, & dioccesibus.

135. Opinione suam sic probat Cardenas: opinio, licet antè probabilis, postquam fit incompatibilis cum principio certo, non manet amplius probabilis; sed opinio docens, quod *lex Pontificia non obliget in Provinciis, donec in illis promulgetur,* post hoc decretum Alexandri VII. est incompatibilis cum principio certo; probat, nam in eo decreto Alexandri VII. quo damnantur dictæ tres propositiones, continetur hoc principium certum: *quod leges Pontificia, Romæ more solito promulgata, obli-*

*gent in Provinciis, licet in illis non sint promulgatae;* propositio enim contradictoria, quod *non obliget in provinciis, si in illis promulgata non sint,* ibi damnatur ut scandalosa, consequenter ut certò falsa; sed cum illo principio certo incompatibilis est propositio docens, quod *lex Pontificia non obliget in Provinciis, donec in illis promulgetur;* ergo.

Negativam docet Sotus *l. 1. de Just. q. 1. n. 4.* Angelus *V. Lex q. 12.* Medina *in 1. 2. q. 1. a. 4.* Molina *tom. 2. d. 995. n. 4.* Emmanuel Sà *V. Lex n. 9.* & complures alij apud Joannem de Cardenas mox citandum *n. 413.* loquentes de legibus Pontificijs corpori juris non insertis. Eandem negativam tenet Gibalinus *tom. 2. de scientia Canon. l. 7. c. 2. q. 1. n. 7.* dicens, esse gravium, & plurimorum Doctorum, juri etiam, & rationi conformiorem, & oppositâ multò probabiliorem, & praxi veteris Ecclesiæ maximè consentaneam; ac pro eadem citat Sotum, Becanum, & plures alios.

Unde opinio istorum, qui negant sufficere unicam solùm Romæ factam, solennem promulgationem, vult, ac requirit, ut in singulis provinciis promulgentur. 1. quia jus civile, ubi canonico non adversatur, solet ab Ecclesia usurpari, argumento desumpto ex *c. 1. de novi operis nuntiatione.* Accedit nimia vastitas Ecclesiæ, ubi non videtur una Romæ facta promulgatio sufficere ad scientiam, vel ad minus vincibilem ignorantiam inducendam per totam Ecclesiam. 2. quia secus ex ignorantia talium legum gravissima mala in rempubl. Christianam inducerentur; si enim universaliter procederet etiam in legibus irritantibus contractus naturaliter subsistentes, inhabilitantibus habiles, suspendentibus, vel annullantibus jurisdictionem tam Ecclesiasticam, quàm civilem, quod per unam Romæ factam publicationem vim suam in actu secundo exerceret, non tam essent leges, nimirum ordinationes justæ, & directè bonum comune spectantes, quàm occasio ruinæ, quæ à gravissimis Reipubl. inde necessario emergentibus damnis desumitur. Vel enim illæ nescientes obligant, vel non: si secundum; ergo per illam unicam promulgationem vim obligativam non acquisiverunt: si verò ac-

quisive-

quisiverunt? multa matrimonia erunt putatitia, multa Sacramentorum administrationes invalidæ, contractus quoque naturaliter obligantes adveniente legis notitiâ declarabuntur nulli; quæ omnia manifestam nata sunt in rempublicam inducere confusionem; ita Suarez *l. 5. de legib. c. 33. n. 8.* Laym. *l. 1. tr. 2. c. 1. & 2.* Sotus *l. 1. de just. q. 1. a. 4.* Et ideo P. Henricus Herdinck. *in M. S. d. 1. de leg. q. 7.* hanc negativam publicè Viennæ Austriæ docuit, esse *probabilem*, affirmativam verò *probabilior* ex auctoritate, & gravitate Doctorum eam tenentium.

138. Becanus *in 2. 2. tr. 3. c. 6. q. 6. n. 6.* fecutus præcitaram opinionem negantium, infert eum, qui habitat in aliqua Provincia, ubi ejusmodi leges Pontificiæ non sunt promulgatæ, liberum esse in conscientia, licet eas non servet. Azor *l. 5. instit. moral. c. 3. q. 3.* docet, opinionem negantium esse magis consentaneam juri scripto, affirmantium, consuetudini, & mori jam recepto. sed hic mos est tantum pro foro externo; imò, ut notat Reginaldus *l. 13. n. 156.* non satis constat juri scripto, cui conformis est sententia negantium, derogatum esse universaliter contrariâ consuetudine; hinc eam etiam ipse *probabilem* censet.

139. Ex his opinionibus oppositis *probabilior* videtur, quæ affirmat sufficere unam promulgationem solennem Romæ consueto more factam, non utcumque, sed completam, seu sumptam cum latitudine temporis requisita, ut moraliter diffundi possit, hoc est in notitiam deduci comunitatum, quæ per ejusmodi legem, vel constitutionem Ecclesiasticam ligandæ sunt; non autem aliter; quod intellige saltem de promulgatione illarum legum, in quantum præcipiunt, vel prohibent sub culpa, in libera earum transgressione. Nam de legibus irritantibus, & similibus dicemus infra à n. 152. Inter has etiam & leges præcisè præcipientes, vel prohibentes discrimen est; illæ enim etiam obligant ignorantes, ut dicitur communiter, quia non attendunt præcisè, & per se obligationem ad culpam in transgredientibus, sed solum actûs nullitatem, quam, ubi deinde cognoscunt, tenentur in conscientia eo actu non uti, aut quæ per illum acquisiverunt, non retinere: lex ve-

Tom. I.

rò prohibens, aut imperans ligat subditum, ut non possit sine culpa facere, aut omittere talem actum, & quamdiu ignorat invincibiliter, neque peccat, neque obligatur. Quare Suarez ait *lib. 3. de legib. c. 18. n. 11.* obligare quidem tunc legem in actu primo, nondum tamen in actu secundo.

Ratio autem nostræ responsionis est; 140. quia nec ex natura rei, nec jure positivo major publicatio legis requiritur, ut lex, in quantum obligat ad culpam, vim istam obligandi exerere possit in subditos, ut constat à n. 119. ac dicemus in resolutione contrariorum. Et ratio ulterior est; quia tota vis, & quasi causa formalis in hac re morali, quæ contrahitur obligatio, relatè ad superiorem, habetur ab actu imperij ita subditis solenniter intimati, ut hac intimatione solenniter factâ, in eorum notitiam devenire possit, seclusâ culpabili negligentia ad sciendum, quid superior ab illis exigit; sed hoc habetur, licet ea solennis publicatio Romæ, vel in alio loco facta sit, modò sumatur in illa temporis latitudine, de qua supra n. 129. his enim positis cavetur malis omnibus, quæ auctores contrarij prudenter metuunt, si publicatio solennis non fieret in singulis provincijs, vel diocesisibus; ergo. Et pro hoc plurimum facit frequentissima jam praxis Ecclesiæ, obligantis omnes Christi fideles ad observantiam novarum constitutionum, licet extra Romam solenniter non publicentur, quod certè Summi Pontifices, qui efficaciter obligare volunt, nullo modo facerent, si vel ex natura rei, vel jure canonico alia solennis publicatio necessaria foret, id, quod mihi magno est argumento pro hac sententia; esto oppositam omnino judicem valde *probabilem*, præsertim quoad leges irritantes, inhabilitantes, & similes, quæ propter obligationem ad culpam inducunt alios etiam effectus, ut aliquid annotavimus n. 139.

## §. IV.

*Resolvuntur argumenta contraria.*

141. **I**nduplici classe sunt rationes in contrarium; aliquæ enim militant contra sententiam, quæ tanquam *probabilior* affirmat, sufficere unicam promulgationem solenniter factam in aliquo loco, Romæ v. g. cum illa temporis latitudine, quam ex-

E 2

posui-

posuimus; aliæ, quæ negant probabilitatem opinioni contrariæ, ut insinuavimus n. 134. Ad primam ergo rationem pro prima classe, relatam n. 137. Resp. concedi, quod facti canones, & Summi etiam Pontifices, *in causis Ecclesiasticis decidendis* omnino acceptent leges civiles Principum, rationabiles, & justas; quando jure canonico nihil constitutum est, quo tales causæ decidi possent; cum, ubi lex canonica deficit, nulla videatur magis idonea, quàm civilis, & causa controversa decidi debeat secundum aliquam regulam æquitati, quam maximè attendit jus Ecclesiasticum, præ cæteris opportunam. Dico *in causis decidendis*; nam aliud est *in modo condendi, ac ferendi leges*. In hoc enim est longè alia ratio. 1. quia etiam in civilibus & ad obligandas plures etiam provincias, sufficit promulgatio legis, quantum est jure naturali, & spectatâ naturâ legis, solenniter facta in metropoli totius Regni, modò ea talis sit, de qua egimus n. 129.

142. Deinde, licet Ecclesia, etiam in hoc ipso, posset, si vellet, imitari leges Principum, qui volunt eas debere publicari *per singulas provincias*; non tamen tenetur; imò se id non sequi, patet ex pluribus constitutionibus solum Romæ publicatis, quas nihilominus ubivis locorum (postquam ad absentium notitiam pervenerint) perinde obligare, legislator constituit, ac si personaliter omnibus intimatæ forent; necessarium quoque erat, ut non imitaretur eum modum ferendi leges, qui observatur in civilibus; quia si penderet essentialiter à promulgatione in singulis, sæpe vis obligativa sacrorum canonum in provincijs temporaliter subjectis jurisdictioni diversorum Principum, inanis, & omni effectu destituta maneret; cum frequenter contingat à Principibus secularibus in suis Provincijs promulgationem legis Pontificiæ impediri.

143. Ad alteram rationem in n. 137. quòd *gravissima in Rempublicâ Christianam incommoda invehentur, si lex Ecclesiastica non publicaretur Solenniter per singulas diœceses*. Resp. hæc omnia facile caveri, esto loquamur de una promulgatione Romæ solenniter facta, si attendatur, prout hoc à nobis asseritur, nimirum *nò utcumque accipiendò promulgationem Romæ factam,*

quæ fit intra horam voce præconis, vel affixione scripturæ in uno urbis loco celebri, sed sumpta cum latitudine temporis, ut exposuimus n. 105. & 129. Sic enim non obligent, nec vim suam exerant prius, quàm cuilibet communitati, *vel* singillatim promulgentur; *vel* solennis promulgatio in Residentia Papæ facta, morali certitudine innotescat (è quibus alterutrum omnino dicimus necessarium, & quodlibet eorum sufficiens ex n. 140.) cessant omnia incommoda, quæ prudenter timeri possent ex earum legum ignorantia, quam Authores contrarij putant nascituram, si Romæ tantum promulgata, etiam in alijs Provincijs obligarent.

144. Ex hoc colliges, nos non utcumque asserere unicam Romæ publicationem solenniter factam sufficere; sic enim præcisè sumpta nondum lex, in vi proximè potentis obligare, vel reliquos effectus suos in actu secundo inducere, est completa, consequenter inepta, ut operetur, nisi compleatur publicatione sumptâ cum latitudine temporis, de qua dictum est, ut in communitatibus, pro quibus lex ejusmodi condita est, causare sui scientiam, vel culpabilem ignorantiam possit; si enim hæc publicatione positâ nihilominus contra legem fiat, non legis culpa est; sed culpabiliter ignorantis. Et istam publicationem jam sæpius expositam, dicimus esse conditionem saltem sine qua non, etiam in dictis legibus irritantibus, inhabilitantibus, suspendentibus &c. omnino necessariam, id quod suadet ratio desumpta ex damnis cæteroquin in Rempublicam redundaturis, contra naturam legis, in n. 137.

145. Et ideo leges revocatorie privilegiorum, facultatum &c. non habent vim obligandi, quousque promulgata non sunt, non solum in provincia, sed etiam in civitate, ac Parochia secundum Escobar, *theolog. mor. q. 2. l. 5. Becan. in 1. 2. f. 3. c. 6. p. 6. n. 7.* & communis doctrina est, debere intimari illi, cui aufertur privilegium, vel potestas. Hinc addit Azor *instit. mor. l. 5. c. 3. q. 6.* indulgentias non finiri, donec de earum revocatione certiores facti sint, quibus fuerint Pontificum beneficio concessæ: sed his factis cavetur, si publicatio earum facta sit juxta n. 129.

146. Pro solutione aliorum, quæ authores contrariæ opinionis in suum favorem assumunt, not. 1. quando in c. *Infirmis*, de pœnit. & remission. dicitur: *lege medicos non teneri, nisi postquam eam Prælati promulgaverint*; solum probari, quod hoc requiratur, quia legislator *expressè* statuit *pro tali lege*; sicut statuit in lege irritante matrimonia clandestina, quæ, ut vim habeat, debet in qualibet Parochia publicari, ut habetur in Trident. *sess. 24. de Reform. c. 1.* sed à particulari lege, in eo, quod non habet ex natura rei, arguere universim ad omnem legem, non valet argumentum.

147. Not. 2. potissimas rationes contra authores, qui docent sufficere unicam Romæ solenniter factam publicationem, nec requiri, vel ex natura legis, vel ex generali voluntate legislatoris Ecclesiastici (quod in singulis provincijs solenniter publicetur) defungi ex magnis incommodis, & detrimentis, quæ redundarent in Rempublicam Christianam; huic tamen sequelæ jam cautum est per ea, quæ diximus n. 143. & constabit magis ex sequentibus.

Not. 3. legem aliquam posse considerari 1. in quantum est præcisè novi juris inductiva, præcipiendo, vel prohibendo sic, ut ejus transgressio scienter & liberè facta imputetur ad culpam. 2. in quantum est merè pœnalis, nimirum non obligans ad culpam in conscientia, esto etiam scienter non observetur, sed præcisè ad subeundam pœnam. 3. in quantum obligat sub culpa simul, & pœna, quo sensu dicitur lex mixta. 4. in quantum est merè declarativa legis naturalis, aut positivæ, divinæ, vel humanæ, 5. in quantum est revocativa alicujus facultatis, prius concessæ. 6. in quantum irritat aliquem actum naturaliter subsistentem, vel inhabilitat aliàs habilem, vel annullat jurisdictionem Ecclesiasticam, aut civilem &c. ut igitur in particulari de singulis agamus occasione objectionis factæ.

148. Not. 4. quæstionem posse fieri, an unica Romæ promulgatio in ejusmodi legibus sufficiat, non tantum *ad effectum obligandi*, ut exposuimus, sed etiam *ad effectum irritandi, inhabilitandi, annullandi, revocandi*? Nam ut actus nulliter fiat, non semper requiritur culpa, vel forma-

lis transgressio legis ad culpam imputabilis, sed sufficit transgressio *materialis*, & inculpabilis ommissio formæ, aut alterius alicujus ad valorem actûs substantialiter requisiti, ut patet ex plurimis exemplis, præsertim in legibus irritantibus matrimonium cum impedimento dirimente etiam ignoranter contractum.

Not. 5. opinionem negantium (*sufficere unam Romæ factam solenniter promulgationem, ut dictæ leges in alijs, etiam extra Romam, Provincijs, habeant vim sufficienter obligativam in actu primo*) posse in duplici sensu intelligi. 1. si legi canonicæ, solum Romæ solenniter promulgatæ negent vim obligandi in Provincijs, *positâ solâ illa promulgatione, & non requisitâ latitudine temporis*, ut moraliter diffundi possit taliter promulgatæ legis debita, & requisita notitia; & in hoc sensu, judico horum opinionem esse omnino veram, ut diximus supra; Secundò, si legi canonicæ, solum Romæ solenniter promulgatæ negent vim obligandi in Provincijs, *positâ illa promulgatione simul cum requisitâ latitudine temporis, intra quod ad earum communitates moraliter diffundi possit taliter promulgatæ legis notitia debita*, nimirum moraliter certa. & in hoc præsens quæstio est magis dubia; ad quam

Resp. 1. probabilius esse, ut lex canonica, *in quantum est merè præceptiva, vel prohibitiva*, habeat vim obligandi in actu primo proximo, vel potius in actu secundo, etiam in Provincijs, sufficere unicam Romæ factam promulgationem cum latitudine temporis, intra quod moraliter devenire possit in notitiam moraliter certam earum communitatum, quæ tali lege obstringendæ sunt, de publicatione Romæ facta. Nam qui habet moralem certitudinem de voluntate sui legitimi superioris aliquid præipientis, vel prohibentis alicui communitati, sub qua ipse continetur, tanquam pars illius, non potest licitè illi contravenire, sed obligatur præceptum implere, & prohibitum vitare; qui enim moraliter certus est, aliquid esse legitime præceptum, vel prohibitum, est moraliter certus, oppositum tali voluntati esse moraliter illicitum; consequenter se teneri, ad ei non contraveniendum; sed licet voluntas illa legitimi

Superioris Romæ solenniter publicata, non fit solenniter, ac juridicè publicata in Provincijs, fieri tamen potest moraliter, quòd intra latitudinem sufficientis temporis communitates talium provinciarum acquirant moralem certitudinem de publicatione facta Romæ, ac tenore integro talis legis, adeoque moralem certitudinem de voluntate sui legitimi Superioris; ergo. Sic Cardenas *in tract.* ad proposit: damnatas ab Innocentio XI. *differt. 1. n. 198. & alijs.*

151. Resp. 2. probabilius esse, ut lex canonica, *in quantum est declaratoria juris divini, naturalis, & positivi*, obliget etiam in provincijs, sufficere unicam Romæ factam esse promulgationem, cū temporis latitudine, ut & in illis dictis earum communitatibus morali certitudine innotescat. Quia sic etiam in illis Provincijs moraliter certum est, oppositum juri sic declarato, esse contra jus divinum, consequenter illicitum, atque adeò in praxi nullatenus exercendum; idem quoque dicendum est de lege canonica, seu Pontificia *declarante aliam legem canonicam, seu Pontificiam*, quæ prius quidem legitime, nimirum Romæ solenniter publicata fuit cum debita latitudine temporis, sed ambigui sensus fuit, propter varietatem contraria opinantium. Ratio est eadem, quæ prioris. Nam eorum, quæ jam certò sciuntur, non requiritur nova promulgatio; hæc enim requiritur ad eum finem, ut mens, & voluntas legitimi Superioris perveniat ad notitiam certam omnium subditorum, quæ si jam præsupponatur, ulterius necessaria non est, sicut quodvis medium, jam obtento fine.

152. Resp. 3. probabilius esse, ut lex canonica, seu Pontificia (*in quantum est irritans, inhabilitans, suspendens, annullans, revocans, puniens* &c. ut exposuimus à n. 147.) habeat vim efficaciter inducendi prædictos effectus etiam in alijs Provincijs, sufficere unicam Romæ promulgationem post latitudinem temporis moraliter requisiti, ut illis morali certitudine constare possit de talis legis publicatione Romæ facta. Nam sub his terminis sententia, propugnans sufficere unicam Romæ publicationem post dictam temporis latitudinem, sine alia juridica promulgatione in Provincijs, cavet omnia incom-

moda, de quibus loquitur sententia contraria in n. 137.

Ad illud dilemma *in cit. num. 137.* 153. Resp. & dico, quòd leges *irritantes* &c. Romæ solenniter publicatæ, non obligent alias provincias ante latitudinem temporis requisiti, ut habeant, aut habere queant moralem certitudinem de talis legis promulgatione facta Romæ; dist. conseq. ergo per illam unicam promulgationem, ante latitudinem illius requisiti temporis, vim obligativam in alijs provincijs non acquisiverunt. C. *post* latitudinem illius temporis requisiti. N. consequentiam. ex n. 150. Ratio hujus est, Nam qui moraliter certus est, aut, si voluisset, potuisset habere certitudinem moralem de promulgata lege à legitimo Superiore conditâ, vi cujus aliquis contractus, sine tali forma celebratus, jure positivo irritus fit; seu nulliter fit, & tamen omittit talem formam, sibi nullitatem imputare debet, non defectui promulgationis sufficientis, ut legi se conformare possit; & sic de alijs; aliàs etiam culpabiliter ignorans jejunitum (cujus notitiam concione non temerè neglectâ habuisset) culpam conijcere posset in legem, non satis notam.

Et ideo non pauci, etiam ex præcipuis Authoribus ad vim legis Pontificiæ requirentes ejus promulgationem in provincijs, non tam requirunt *promulgationem juridicam*, quàm *publicationem*, seu *notitiam* factæ promulgationis Romæ, *moraliter certam*. ut rectè observat Cardenas *cit. num. 134.* id, quod apertè suadet ratio, quam desumunt ab incommodis alioquin nascituris ignoratâ lege, etiam in inculpabiliter ignorantes vim exerente; quod sanè locum non habet in sententia, quæ prærequirit moralem certitudinem, vel saltem culpabilem legis ignorantiam in communitate, ad hoc, ut vim inducendi effectus suos obtineat, ut dictum est. Unde quando Molina *tom. 2. de Just. d. 3. q. 5. n. 4.* apud Nicolaum Rodriquez Ferosinum, de legibus Ecclesiasticis ad Rubric. tit. *de Constit. n. 18.* de sententia docente (*sufficere unam Romæ publicationem*) sic loquitur: *opinio illa, quòd Pontificiæ leges statim post duos menses à publicatione Romæ facta obligent totam Ecclesiam, nec necessaria sit publicatio in singulis provincijs, aut diocesis.* 154.



bus, ad effectum, quod nullus præsumatur illas ignorare, profectò non est tam certa, quàm certa supponitur; quia potius contraria meo iudicio est probabilior: solum negat uni, Romæ tantum, factæ promulgationi, certam sufficientiam intra bimestre per omnes Provincias inducendi, seu causandi necessariam notitiam talis legis, ut vim habeat obligandi, seu reddendi transgressionem imputabilem ad culpam ex præsumpta scientia legis.

155. Quòd autem Molina iudicans probabilior sententiam, quæ docet unicam Romæ solennem publicationem insufficientem, ut statim obliget post bimestre, non rejiciat opinionem, quæ admittit, unam Romæ publicationem eum debita temporis latitudine sufficientem, ut obliget etiam in Provincijs: confirmatur ex ejus verbis *tr. 2. d. 395.* apud Patrem de Cardenas *cit. n. 203.* ubi sic loquitur: sanè dicendum est, mentem Pij V. fuisse, bullam à se latam, non prius contractus, alioquin ex natura rei licitos, irritos comparatione ignoranter eos celebrantium reddere, quàm in unaquaque diocesi esset sufficienter promulgata: aut alià vià ad omnium cognitionem potuerit pervenire; ex quo clarè patet, juxta sententiam Molinæ non requiri determinatè promulgationem in omnibus provincijs juridicam legis; sed sufficere certam notitiam de promulgatione legis Romæ facta, præsertim cum ex antè citatis ejus verbis solum colligatur, eum, & meritò negare sufficere bimestre, ut lex Romæ publicata ubique obliget; quia revera ejus notitia intra bimestre moraliter diffundi non potest, non modò non per totum Christianum orbem; sed sæpe nec per unam diocesim; maxime cum Molina expressè dicat: aut alià vià (quàm promulgationis in Provincijs) ad omnium cognitionem poterit pervenire; ergo non unicè per promulgationem in Provincijs.

156. Ex dictis colliges 1. etsi promulgatio legis etiam solennis physicè loquendo fieri possit intra brevissimum tempus, & coram paucis personis: revera tamen, loquendò moraliter, & ut vim suam exercere possit obligandò, vel alios effectus (v. g. nullitatis, revocationis, suspensionis &c.) inducendò, non fieri tempore brevissimo, & coram paucis; sed succes-

sivè, toto nimirum eo tempore, quod moraliter necessarium est, ut illa promulgatio ad notitiam totius communitatis per illam obligandæ deveniat; nec aliter verè, ac propriè dici promulgari; nec censeri debere ante hoc tempus integrè promulgatam. Sic Castropal. *p. 1. t. 3. d. 1. p. 11. n. 6.* Ratio constat ex dictis.

Coll. 2. Si legis publicatio in notitiam absentis deveniat miraculosò modò (cum tamen humanò modò venire non potuerit) nullo modo obligare ad illius observationem, quia respectu illius non est publicata, ut constat *ex n. 103. & seqq.* ita Suarez *l. 3. c. 17. n. 14.* quod tamen videtur intelligendum de lege positiva humana. Nam si divina sit, miraculosè cognita, habet intimationem autoritativam ipsius conditoris, cujus unius virtute miraculum illud, seu notitia, ultra vires naturæ, patrata est.

Coll. 3. esto quis habeat privatam notitiam legis publicatæ v. g. Romæ, id ipsum ignorante Communitate per eam liganda, cujus ipse pars est, & membrum; non propterea obligari eà lege, tali communitati non cognita; ratio sumitur *ex n. 103.* Nam obligatio legis non descendit in membra, nisi membra sint communitatis ea lege ligatæ.

Coll. 4. quando dicimus ad legem Pontificiam, ut obliget in Provincijs, sufficere unicam promulgationem integram Romæ factam juxta *n. 139.* debere intelligi, nisi aliter in ipsa bulla habeatur; si enim voluntate legislatoris suspendatur ad certum eventum, aut circumstantiam, eà nondum posità, suspensa manet vitalis legis, ut patet ex casu decreti Tridentini, quo irritantur matrimonia clandestina.

Ad alteram classem objectionum, quas facit Cardenas, ut diximus à *n. 134.* contra sententiam negantem sufficere unicam Romæ promulgationem, contendens eam defacto non amplius esse probabilem. Resp. hanc assertionem Patris de Cardenas, tam indefinite, ac universaliter acceptam non posse admitti, quia sententia negans sufficere unicam Romæ factam promulgationem, & requirens ejusdem legis Pontificiæ promulgationem in Provincijs, ad hoc, ut in illis vim suam, vel obligandi, vel revocandi, aut annullandi, exercat potest habere plures sensus

157.

158.

159.

fenfus veros, etiam nunc, & post decretum Alexandri VII. ut patebit ex seq. consequenter nullatenus in composibiles cum eo, quod stabilitum est infallibili autoritate Ecclesie in illo, aut aliis similibus decretis, quae retulimus n. 134.

160. Nam i. doctrina negantium, sufficere unicam Romae factam promulgationem (antequam haec integre facta sit, juxta n. 156.) defacto est verissima, ut constat ex dictis; aliam Pontifex subditum lege sua vellet obligatum, hoc est, vellet, ut se legi Pontificiae conformaret, cujus nec notitiam, nec culpabilem ignorantiam haberet; quod est certo falsum, & omnino impossibile, ex praemissis n. 86. Secundo doctrina negantium sufficere unicam Romae factam promulgationem, ad obligandum extra Romam unum, vel alterum, qui ejus notitiam habet, ignorante illam communitate, cujus ipse pars est, defacto probabilis est, ut ostensum est n. 156. quia nullo modo contradicit illi decreto Alexandri VII. nec propterea docet ullam ex illis propositionibus damnatis, quae relatae sunt a n. 134.

161. Hinc omnino negatur, ex hoc, quod certum sit, ex definitione Pontificia esse scandalosam hanc propositionem (*duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, & hoc post decretum Urbani VIII.*) ex vi ejus decretalis, inferri, illatione evidenti, vel certa hanc ut certam: *ergo leges Pontificiae, postquam Romae publicatae sunt, obligant quemlibet etiam privatim in Provinciis, privata notitia scientem eam promulgationem, esto id ignoret communitas, cujus ipse pars est*, consequenter etiam bene negatur propositionem huic illatae oppositam, esse evidenter, vel certo falsam; quod tamen esse deberet, ut Cardenas recte concluderet.

162. Hujus ratio est i. quia, cum ea propositio *occurra* (& sic de alijs) solum damnatur, ut jacet, & consequenter; in quantum est concepta sub illis terminis *complexis*, ut notavimus alibi; ex eo, quod sit certo scandalosa, atque adeo, ut ponit Cardenas, sit certo falsum, ipsam (prout jacet) sequi, esse probabiliter tutum in praxi: solum sequitur, eam opinionem non posse

jam amplius esse probabilem, quae cum illa, in quantum complexè sumitur, est vel evidenter, vel certo incompatibilis; non autem fecus. Nam quod solum probabiliter, & non cum certitudine etiam morali opponitur propositioni evidenter, vel certo verae, non evidenter, & certo falsum est, sed solum probabiliter & cum incertitudine etiam morali. Unde licet quis supponat certo veram hanc copulativam *Petrus, & Paulus currit*; consequenter, certo falsam esse quamlibet simplicem, dicentem: *Petrus non currit, Paulus non currit*: certum tamen est, si ponatur ea propositio (*Petrus & Paulus currit*) certo falsa, nullatenus inferri legitime, & determinate hanc *Petrus non currit*, vel ista determinate, *Paulus non currit*, certo falsam esse; quia copulativa affirmativa certo falsa, potest manere certo falsa, modo una simplicium sit certo falsa, licet altera sit vera, similiter, si propositio aliqua complexa *causalis*, vel *modalis*, sit certo falsa, potest dictum propositionis manere verum, modo *causalis*, vel *modus* sit falsus; imò licet dictum, ac etiam causalis sit vera, modo *applicatio rationis, seu causalis* sit falsa, vel quia non habet vim causandi, vel quia illi dicto inepte applicatur. Sic, si ponas certo falsum: *Petrus currit, quia vestitus est in albo*: potest esse verum dictum, quod Petrus currat; & *causalis*, seu ratio, quae assumitur, quod vestitus sit in albis; & tamen propositio *causalis* manere falsa, ex defectu in causali, non habente connexionem cum dicto, vel inepte applicationis ad hoc dictum.

Sit enim haec propositio causalis: *qui non potest recitare matutinum, & laudes, non tenetur ad reliquas partes, quas potest, quia major pars trahit ad se minorem*. Haec propositio juxta Patrem de Cardenas est certo falsa; & tamen inde non sequitur, quod vi ejus determinate haec simplex (*major pars trahit ad se minorem*) sit certo falsa, cum alteri materiae applicata, recte concludat, ut dicemus a n. 174. sed solum, quod vel materiale, seu dictum illius propositionis causalis, vel haec ipsa, vel ejus applicatio ad hoc determinatum dictum, sit certo falsa; ergo, si dicit certo falsum, qui asserit: *pro eadem Missa etiam post decretum Urbani VIII. licet accipere duplex stipendium, quia illud decretum*

*cretum non est publicatum in provincijs, non rectè inferitur illatione evidenti certò, ac determinatè falsam esse illam causalem (quia non est publicatum in provincijs) sed, vel dictum vel dicti causam, vel hujus applicationem ad hoc dictum, ut ostensum est.*

164. Deinde supponamus cum eodem Authore, illam propositionem esse certò falsam ex damnatione Pontificia, quã illam pronuntiavit tanquam scandalosam; hoc tamen supposito, ut dicta propositio maneat certò falsa, non requiritur, ut omnes ejus partes sint certò falsæ, sed sufficit, quod sit certò falsum, vel illius propositionis complexæ dictum, vel ratio dicti, vel hujus ad illud applicatio; sed hic non concluditur determinatè, certam illius falsitatem unice ac determinatè fundari in ea causali, quia decretum Urbani VIII. non est publicatum in provincijs

165. Majoris prima pars videtur omnino certa; nam ut sit certò falsum, dari aliquod totum, v. g. hominem; non requiritur, quòd sit certò falsum, dari aliquam ejus partem v. g. animam; cum sufficiat esse certum, deficere unam ejus partem essentialem, vel hanc, vel illam; ergo, ut sit certò falsum, quòd liceat (consequenter, quòd nec post decretum Urbani VIII. sit prohibitum) accipere duplex stipendium pro una Missa, uni applicandò partem specialissimam fructus, celebranti correspondentis; non requiritur necessariò, quòd unice, vel determinatè falsa sit hæc causalis, quia decretum Urbani VIII. non est publicatum in provincijs.

166. Probatur hæc consequentia. Nam, si certò esset falsum, nullam dari rationem, seu fundamentum intrinsecum, ex quo fieret illicitum in dicto casu, etiam post decretum Urbani VIII. accipere duplex stipendium, illa propositio ex sui damnatione retineret suam falsitatem, esto verum maneret, decretum Pontificum non obligat in Provincijs, si non est publicatum in illis; ergo tam ex eo, quòd esset falsum nullum dari fundamentum intrinsecum, quo illud duplex stipendium sit illicitum; quam quòd lex Pontificia non publicata in provincijs non obliget in illis, potuit proficisci illud decretum condemnatorium dictæ opinionis, ac esse falsum; at probabilius est, profectum esse ex primo capite.

Tom. I.

Nam, ut rectè P. Illung in *Arbore Scientia boni, & mali*, seu Theol. pract. tr. 6 d. 5. n. 168. §. sequitur. 2. Congregatio Cardinalium, autoritate Urbani VIII. edidit decretum (contra quorundam Doctorum, spectatis rationibus naturalibus, probabilem sententiam) quo declaravit, Beneficiatos non posse accipere aliud stipendium pro ijs sacrificijs, quæ ratione beneficij ab ijs exiguntur solo numero, loco, aut tempore in fundatione expressò, nisi dantem moneant de incertitudine; cum incertum sit, an non debeat applicatio fructus ejus sacrificij juxta intentionem Fundatoris. Ex hoc enim illa propositio absoluta (quod liceat pro una missa duplex stipendium accipere) sine ulteriori modificatione prolata, omnino evadit falsa. Nam accipere stipendium certum, ex pacto applicandi fructum, de quo promittens incertus est, quòd possit, iniquum est, & contra justitiam.

Neque danti stipendium securitatem præstat sacerdos in similibus casibus sacrificij alijs debiti, accipiens pro eodem aliud stipendium, offerendò illi pro hoc stipendio fructum suum specialissimum ipsimet celebranti respondentem. Nam hujus communicabilitas est vehementer incerta (cum non egrediatur subjectum celebrantis) & apud authores est admodum controversa, ut constat Theologis; his prænotatis:

168. Infert Pater Illung loc. cit. in fine, sic loquens: Unde quo minus altero monito, & consentiente stipendium acceptari possit, prohibitum est ab Urbano VIII. Anno 1625. & deinde ab Alexandro VII. renovata prohibitio in dicta propositione octava (de qua n. 134.) damnata tanquam scandalosa. Ex hoc autem colligitur, rationem prohibendi, Urbano fuisse, injustitiam, quam continet talis contractus, incertum pro certo dandi absque monitione, & consensu dantis certum; & Alexandro VII. damnandi eam doctrinam, quam quidam defendebant tanquam non illicitam, existimantes, cessare injuriam (consequenter fundamentum prohibitionis Pontificiæ ab Urbano VIII. factæ) si sacerdos fructum specialissimum alteri, secundum stipendium offerenti, applicaret; ex quo ad summum sequitur, ex vi decreti dictam propositionem damnantis, falsum

F

sum

sum esse, licitum esse illum contractum ex eo capite, quod eo casu cesset injuria, in ejusmodi contractu contenta; non autem ex eo, quod decretum Urbani non sit publicatum in Provincijs. In eandem respon- sionem cadit, quod adducit Cardenas loco cit. ex propositione inter damnatas numero decima, cujus tenorem dedimus n. 134. Nam ratio, propter quam Urban. VIII. prohibuit propositionem dicentem: *licere sacerdoti, cui Missæ celebranda traduntur, satisfacere per alium, collato illi minore stipendio, alia parte stipendij sibi reserva- ta*, fuit occasio satis communis periculi, seu via laxandi cupiditatem turpis lucri, quam (esto jure naturali illicitam) mul- ti excusabant. Et ideo, quia per hoc, quod quidam nec curantes prohibitionem, in- sistebant illi doctrinæ, negantes, illud pro- hibitionis fundamentum in dato casu, et- iam post prohibitionem Urbani VIII. ha- bere locum: merito Alexander VII. hanc propositionem condemnavit, ut scanda- losam, non ideo, quod decretum Urba- ni VIII. vim non haberet, ex eo, quod non sit promulgatum in provincijs; sed ex eo, quod falsum sit, tali casu non deficere periculum cupiditatis immerse turpi lu- cro, quo titulo jure naturali eorum au- thorum doctrina falsa est.

169. Et ideo, etiam stante toto illo decreto Alexandri VII. in quo damnatur dicta propositio nona, potest aliquis Beneficiatus habens sufficiens stipendium, etiam in summo pro suscepta obligatione celebrandi certis diebus, si non sit personaliter obli- gatus celebrare, licet id peragere per ali- um dando illi stipendium justum licet non summum, sed medium, v. g. intra latitudinem justi stipendij, retenta sibi reli- qua parte, quæ illi ex tota massa fructuum beneficialium respondet; quia in dato ca- su deficit periculum cupiditatis exinde quærendi turpe lucrum; nec læditur jus substituti (quia ponitur ei dari justum pre- tium) nec substituentis; quia totum jus transtulit in eum, qui onus, sub quo datum est stipendium, per substitutum (ut suppo- no) fideliter exequitur. Sic P. Illung loc. cit. tr. 6. D. 5. n. 169. qui doctrinam hanc i- po dedit, post decretum illud Alexan- dri VII. cum legitima superiorum appro- batione.

170. Quod verò affert ex propositione, in eo-

dem decreto inter damnatas duodecima, quæ sic habet (*mendicantes possunt absolve- re à casibus Episcopo reservatis non obtenta ad id Episcoporum facultate*) non facit certò falsam hanc doctrinam: *Leges Pon- tificiæ non obligant in Provinciis, in qui- bus publicata non sunt*. Nam ea propo- sitio potest esse certò falsa, licet ista sit ve- ra, ut si simpliciter, & sine addito restrin- gente in mendicantibus asseratur ea fa- cultas non sublata, utcunque per decre- tum Pauli V. & Urbani VIII. (à quibus di- citur emanasse decretum inhibens men- dicantibus eam facultatem) quia in pro- vincijs promulgatum non est, sed ex eo, quod decreta eorum Pontificum non ex- ponantur bene v. g. dicendò, *procedere so- lum, ubi non adest verum privilegium, sed tantum ejus pretextus, vel, quod agant de privilegijs solum eatenus, in quantum sunt contraria Tridentino, volentes, sua non esse talia &c.* sed de hoc fati.

171. Illud hinc notandum, potissimam hujus authoris intentionem per hætenus allata ipsius argumenta, eò tendere, ut osten- dat, antiquatam, & non ampliùs proba- bilem esse illorum opinionem, qui docu- erunt, *legem Pontificiam non obligare in provincijs, nisi post juridicam ejus promul- gationem in illis, vel diæcesibus*; factam nimirum *authoritative*, hoc est, per eos, qui jurisdictione pollent ad publicandas leges Ecclesiasticas suis subditis more con- sucto, publicatione facta per cathedras, vel affixionem ad valvas Ecclesiæ &c. Nos id non requiri, sed sufficere unam Romæ publicationem, sed factam integrè juxta n. 156. diximus esse probabilius; quam vis negemus à P. Cardenas, vi argumentorum, quæ ab illo hætenus allata sunt, legitimè probari, quod intendit.

172. Ex dictis coll. i. verum esse, quod dam- natio facta ab Alexandro dicat: *Post decre- tum Urbani scandalosum est dicere, quod licet ei sacerdoti dare alteri stipendium di- midiatum in casu num. 167*. Secundò eti- am, quod vi huius decreti falsum sit dice- re: *post decretum Urbani licet sacerdoti ac- cipere integrum stipendium, & dare alte- ri dimidiatum, etiamsi pro causali fuerit assumptum; quia decretum Urbani non est in provinciis juridicè promulgatum, ne- gari tamen ex hoc sequi determinatè: er- go falsum est; quod decretum Urbani non obliget,*

obliget, ubi non est juridicè promulgatum; sed solum: ergo falsum est, licere illam divisionem stipendij, etiam post decretum Urbani, quia per hoc, quod non sit publicatum alibi, non cessat ratio, propter quam ex natura rei illicita est ea divisio, nimirum occasio cupiditatis turpis lucri; cum ergo hæc ratio stet, etiam post decretum Urbani licet alibi non publicatum, rectè falsum dicitur, licere illam stipendij divisionem, etiam post decretum Urbani.

173. Hinc resp. in forma ad illius argumentum in n. 135. & quidem i. cum dist. majoris: opinio, licet antè probabilis, non manet probabilis, post quam evidenter, & certò sit incompatibilis cum principio certo, conc. si solum probabiliter, & etiam cum incertitudine morali fiat incompatibilis cum principio certo, neg. maj. ex n. 162. Hinc transmissa minore quoad incompatibilitatem solum probabilem, ac incertam; nego eandem quoad incompatibilitatem evidentem, & certam; consequenter etiam nego consequentiam. Ad probationem minoris resp. simpliciter negando, quod in dictis decretis Alexandri VII. (de quibus n. 134.) contineatur hoc principium certum, *leges Pontificiæ, Romæ more solito promulgatæ, obligant in provinciis, licet in illis non sint promulgatæ*; simpliciter etiam nego, hanc propositionem priori contrariam (*leges Pontificiæ non obligant in provinciis, si in illis promulgatæ non sint*) ibi damnatam esse, ut scandalosam, consequenter, *ut certò falsam*.

174. Nam in hac propositione causali, damnatam tanquam scandalosam: qui non potest matutinum & laudes, non tenetur ad minorem, quam potest, *quia major pars trahit ad se minorem*; continetur hæc: *major pars trahit ad se minorem*. Quæro jam, estne hæc propositio *major pars trahit ad se minorem*, damnata ut scandalosa, & quidem indefinitè, seu universaliter, ex eo, quod illa propositio causalis, & priorem continens, ut scandalosa damnata sit? vix credam, id affirmari ab ullo, cum in electionibus, & alijs, quæ geruntur à Communitatibus, capitulariter, vel collegialiter etiam defacto rectè procedat; sed similis priori propositioni causali est ista: *sacerdos potest dupliatum stipendium licitè accipere pro eadem missa*, unum nimirum pro parte correspondente gene-

Tom. I.

raliter missæ; alterum pro parte correspondente specialiter celebranti, etiam post decretum Urbani VIII. seu ut explicat Cardenas, non obstante decreto Urbani VIII. prohibente talem acceptionem, *quia decretum non publicatum in provinciis illis non obligat*; ergo licet hæc (*decretum Pontificum non publicatum in Provinciis, in illis non obligat*) concederetur inclusa in illa damnata tanquam scandalosa, non propterea ista contenta damnata esset ut scandalosa; cujus ratio est ex n. 163.

Resp. 2. ad idem argumentum in n. 135. transmissa majore, nego min. ad hujus probationem neg. ma. Nam ex certa falsitate propositionis affirmativæ complexæ, & causalis, malè concluditur: ergo hæc determinatè pars complexi, est determinatè falsa; & contradictorium illius, certò verum, ut constat ex n. 163. aliàs ex hoc, quod certò falsum sit, *in hoc cubiculo datur fornax, quia est viridis*, inferre liceret, ut falsum determinatè: *ergo fornax non est viridis*, quia est contenta in propositione complexa certò falsa. Damnatur igitur sententia dicens licitè accipi duplex illud stipendium, etiam post decretum Urbani; tanquam scandalosa; quia etiam, si tale decretum non sit publicatum in provincijs, per hoc non deficit ratio illiciti, quæ est cupiditas turpis lucri, & venditio specialissimi fructus ex missa respondentis celebranti; quæ est manifestè simoniaca; non igitur evidens, aut certum est, propositionem negantem, solum publicationem Romæ factam sufficere, ut ubique obliget, esse impossibilem cum principio certo, post decretum Alexandri VII. ut contendit Cardenas in n. 135.

## §. V.

*An leges Pontificiæ promulgatæ, primum obligent post bimestre, lapsum à die promulgationis factæ?*

176. Supponendum, stando in natura legis Sex dictis colligi posse, quando legestam canonicæ, quam civiles obligent; hæc enim est, quod lex, postquam debite publicata est, suppositis cæteris ad legis naturam essentialiter requisitis, statim obliget, nisi legislator apponat terminum à die promulgationis factæ computandum,

F 2

ante

ante cuius lapsum nolit legem à se conditam, & promulgatam, vim obligandi in actu secundo obtinere. Et quoniam leges imperiales à suo conditore sic constitutæ sunt, ut licet rectè promulgatæ sint, nihilominus intuitu boni communis suspensæ quoad vim obligandi maneat, donec à die publicationis elapsum sit bimestre, ut manifestum est ex authent. *Ut novæ constitutiones*, collat. 5. quæstio est, an idem dici possit, vel debeat de legibus canonicis?

177. Aliquorum opinio est, esse probabile, quòd leges Pontificiæ non statim obligent à promulgatione, sed post bimestre ab illa, si in illis legibus nulla exceptio fiat. Ratio desumitur ex bono utili, quod non minus censendus est velle Pontifex, quàm Imperator, cuius leges id habent; *arg. c. 1. de novi operis nuntiatione*. Nam statuta Canonum adjuvantur constitutionibus Principum, quando nominatim de his, & expressè nihil statuunt: hinc jus canonicum in obscuris admittit interpretationem à jure civili, in clarè constitutis, ut notat Wagnerreck in *c. Ecclesie S. Mariæ de constit.* Ex hoc enim existimant auctores, se probabile argumentum ducere in omnibus materijs, in quibus canones nihil statuerunt, ita, ut defectum canonum suppleant leges civiles; ita Sebastianus Saccus *cit. c. 3. n. 2. 4.* Reginaldus *l. 13. n. 152.* Emmanuel Saër *Lex.*

178. Alij autem opinantur, etiam esse probabile, quòd in dato quæstionis puncto, Pontificiæ leges cum Imperatorijs non sint æquales. Pontifex enim in multis materijs fecit particulares suspensiones suarum legum. Sic circa matrimonia clandestina, eorumque invaliditatem, legem suam prohibentem, ad 30. dies suspendit. Idem in alijs decretis Tridentini fecit Pius V. non est itaque censendus Pontifex consensisse in generalem aliquam æqualitatem cum legibus Imperatorijs; aliàs in casibus particularium suspensionum frustra egisset; ita Suarez *de legib. c. 3. n. 18.* Vasquez *in 1. 2. d. 156. c. 3. n. 14.* & cum illis magna pars Doctorum. Hanc postremam opinionem judico probabiliorem, tum ex rationibus, quibus utitur; tum quia rationes in contrariu non sunt urgentes, & argumentum desumptum *ex c. 1. de nunt. novi operis*, jam solutum est n. 141.

Dices: in Bulla Pij IV anno 1564. quæ incipit: *sicut ad sacrorum*; & impressa est ad calcem Tridentini, ubi proposita quæstione (*ex quo tempore ceperint obligare decreta illius Concilij, & jus positivum spectantia?*) respondetur, quia jure etiam communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant, æquum nobis, & justum visum est, prædicta decreta à Calendis Maij proxime præteriti omnes obligare. Ex hoc quidam sic arguunt: ergo Pontifex per illam constitutionem expressè jus commune, id est, civile, approbat, recipit, & tempus pro legis obligatione sancitum, etiam in constitutionibus Ecclesiasticis æquum, & justum esse, agnoscit; quod maximè locum habere debet in hisce legibus, cum Ecclesia latius longè, quàm Imperium pateat, neque credibile sit, statim Germanis, Gallis, Indis, alijsq; Transalpinis posse innotescere legè, quæ in Campo Floræ, & ad Valvas Vaticani Romæ pependerit; Sic P. Robertus König *de constitution. n. 20. §. Dico. 2.* remittens ad Molinam *de jure & just. D. 395* contraria removementem.

Verùm hæc obiectio non evincit intentum. Nam constitutio Pij IV (de qua *num. præced.*) approbat quidem, & hoc in casu speciali decretorum Concilij Tridentini, quæ sunt juris positivi, recipit jus commune, tanquam æquum, & justum in eo, quòd nolit obligati subditos à die promulgationis statim, sed post lapsum certi temporis à promulgatione; qualiter fieri debet secundum jus civile, nimirum post juridicè factâ promulgationem in Provincijs; cum in dato casu super hoc non fuerit quæstio; ut constat ex priori numero & supra: sed nec probat, Pontificem loqui de tempore post promulgationem Romæ factam integrè juxta n. 156. Nam in hoc casu cessat ratio; cum includat tempus necessarium, ut lex Romæ publicata moraliter diffundi possit quoad sui notitiam ad communitates in singulis Provincijs; nec aliam promulgationem intelligat Molina, ut constat ex dictis n. 154 & seqq. Quare

Ad objectionem in n. 179. Resp. cum distinctione, & concedo quòd Pontifex in illa constitutione recipiat jus civile tanquam justum, ut detur sufficiens tempus, quo lex Romæ publicata, moraliter venire possit in notitiam ab earum provinciarum;

arum; sed nego, quòd recipiat jus civile, determinatè *quoad bimestre*, vel universaliter quoad omnem legem canonicam; cum expressè dicat: *quoad prædicta*. Justum agnoscit Pontifex etiam in eo jus civile, quòd leges suas etiam in aliquo loco juridicè promulgatas suspendat ad bimestre; sed in hoc non imitatur jus civile; imitatur tamen in eo, quòd & ipse concedat tempus, dum lex Romæ promulgata *promulgetur integrè*, hoc est, *moraliter certitudine innotescat alibi*; non autem, quòd, postquam promulgata est *integrè*, adhuc suspendat eam ad bimestre, ut facit jus civile. Nec aliud tenet Molina, à n. 155.

181. Occasione dictorum quæri potest, an Consiliarij Principum, vel illi, qui sunt de Magistratu, præcipientes legem aliquam condendam, vel jam conditam, mox promulgandam de imminuendo v. g. pretio mercium, aut pecuniæ, possint eà scientià uti, & citius, quàm lex promulgetur, similes merces, vel pecunias, currente pretio alicui hujus rei ignaro, distrahere? a liquorum sententia est, non esse licitum, neque Principi, neque Magistratui, nec alteri, cui hoc ab illis est revelatum; quia hæc praxis est abusus publicæ potestatis legislativæ in alicujus subditi præjudicium, hoc non licet: ergo. Alije contra probabilius docent, licere; quia usus talis scientiæ, non est usus, atque adedò nec abusus talis potestatis; pretium etiam, cum sit currens, non potest esse injustum; nec me charitas obligat, ut cum meo damno proprio, consulam alieno. Excipiunt tamen *dilationem promulgationis eo sine factam*, ut vel ipsi, vel eorum amici, ex hac occasione tempus nanciscantur res suas distrahendi. Talis enim dilatio esset immediatus usus, & abusus potestatis legislativæ; ita de Lugo tom. 2. de just. d. 27. c. 8. §. 7. hanc sententiam probabiliorè dixit in *M. S. delegib. d. 1. §. 10.* P. Herdinck; dixi; *obligat tamen charitas*, ne sic fiat, ut in allato casu emptor cadat de statu suo. Nam sic alterius grave damnum præponderat.

182. Ex dictis collig. 1. quòd, etsi Pontifex Pius IV. laudaverit eam juris civilis constitutionem, *quoad prorogationem temporis*, ut lex civilis maneret suspensa ad bimestre etiam post promulgationem; tamen *quoad hoc determinatè* tempus non acceptaverit.

1. quia ipse illis decretis Tridentini *trimestre* constituit ex specialibus causis. 2. quia alij Pontifices constituerunt solum *unum mensem*, ut aperte habetur in c. *Cum singula*, de præbend. in 6. ibi: *providemus, ut infra mensem, postquam præsens constitutio pervenerit ad eosdem* (qui scilicet habent plures Prioratus) *unum ex ipsis, quem voluerint, reliquis dimissis, eligere teneantur*. ubi vides legis obligationem suspendi solum *ad mensem*; & hoc solum titulo deliberationis pro uno reliquis dimissis eligendò.

Colliges 2. leges Pontificias, imò, & inferiorum Papæ Prælatorum constitutiones, & leges (quod etiam procedit de civilibus, & municipalibus, postquam integrè promulgatæ sunt, juxta num. 156) ubi vim earum legislator expressè non suspendit, statim obligare; Sic Castropalaus cit. p. 1. tr. 3. d. 1. p. 12. à n. 4. Nam in tali casu nihil obstat, quò minus lex totam vim suam exerat.

## ARTICULUS VI.

*An sit de substantia legis, quòd acceptetur à populo?*

184. **Q**uestio fieri potest de quavis lege humana, tam civili, quàm Ecclesiastica. Et quoniam in hac re, *generaliter affirmare, vel negare*, occasionem præbet multis non rarò inconvenientibus, ijs præsertim, quibus sufficit, legisse in libro alicujus, dictum generaliter, *lex non acceptata non obligat*, unde plurimi abusus, & justissimarum quandoque legum observantia prætermittitur, magno boni communis detrimento, paucis de utroque agendum erit.

## §. I.

*An in lege civili necessaria sit acceptatio populi?*

185. **P**rima sententia tenet affirmativam; sic Abbas, Hostiensis, Felinus, Innoc. Joann. Andr. in c. 1. de Treuga &c. aliique apud Suarez l. 3. de legib. c. 19. Altera est negantium; quam sequitur Suarez loc. cit. & l. 4. c. 16. cum multis alijs apud Castropalaum p. 1. tr. 3. d. 1. p. 13. n. 8. Pater Herdinck supra cit. probabile judicavit,

cavit, populi acceptationem ad vim ipsius obligativam requiri tanquam conditionem essentialem; argumentò sumptò ex l. de quibus ff. de legib. ubi dicitur: *leges ex nulla causa alia nos tenere, quam, quòd iudiciò populi receptæ sint.* Alij inde probant, quia *sub hac conditione* populi potestati legislativæ se sponte subjecerunt; Lessius l. 2. c. 22. d. 13. n. 98. Filliuc. Becan. & Reginald. in præfenti: sed & probabile censuit, eam absolutè non requiri (quia subditus non esset subditus; non enim subesset, nisi quando vellet; ex quo notabilis perturbatio in rempublicam redundaret) & ideo idem P. Herdinck, & Suarez de legib. l. 3. c. 19. cum Vasquez, Maldero, & Lorca in præfenti, subjungebat, inter has sententias, *probabiliorè videri, primò*, quæ docet, tunc eam requiri, quando legislator contra illam non excipit; secus, si excipit, si enim non excipit, inquit Escobar *theol. mor. l. 5. c. 2. n. 100.* existimandum erit, eum velle, suas leges non antè, quàm populus acceptaverit, vim obligandi exercere. 2. Quæ docet, tunc requiri, quando totus populus, vel major pars per eam sentit, se plus gravari, vel quòd contineat aliquid, de quo dicam infra à num. 198.

186.

Ante resolutionem videtur necessarium, præmittere explicationem illius quæstionis, *quando lex aliqua censeatur usu acceptata, vel non acceptata?* in hac re, ut *non acceptatio* vim habeat, ne lex post talem non acceptationem justè, seu legitime dicatur non esse *usu firmata*, consequenter non obligare, plura meritò in considerationem veniunt. Unde, ut in re, quæ maximè & necessitatis, & utilitatis est, rectè procedamus, quæres 1. an ex hoc rectè colligatur, legem debite promulgatam, non esse usu receptam, vel acceptatam, quòd non venerit in usum, seu exercitium, & observantiam *per merum non usum necessarium*, nimirum ubi non urgebat tempus, eam in usum deducendi? Responso est negativa; quia solus non usus legis, seu actus simpliciter negativus, ubi in usum eam deduci non oportebat, non inducit *desuetudinem*, & *non acceptationem*, quæ vim habet abrogandi legem; sic Azor *tóm. 1. l. 5. c. 4. q. 1.* Salas *híc d. 13. sect. 2. num. 11.* & complures alij apud Castropal. *cit. p. 13. n. 91.* cujus ratio

est, quia talis non usus *necessarius*, non est expressa *non acceptatio*, ut ex se patet; sed *nec est tacita*, ut constat in simili. Nam certum est, non usum privilegij affirmativi (seu concedentis facultatem faciendi aliquid actum positivum v. g. *accipiendi decimas, comedendi carnes diebus alijs veteris, eligendi ad beneficia*) non censeretur *tacitam ejus renuntiationem* propter non usum *necessarium*, v. g. *quia nunquam evenit casus*, quo quis uti potuisset, quia talis non usus non potest significare voluntatem internam se abdicandi eo jure. Et ideo *servitus aqua ducenda non amittitur per non usum*, si ideo non duxisti, quia fons exaruit l. 35. ff. de servitutib. præd. rusticæ.

Idem est, si non usus proveniat *ex pacto*; quòd verum est de non usu, *etiam dicitur*, si privilegium concessum sit *absolutè & non sub conditione usus*, quia talis non usus *necessarius*, nec ex natura rei, nec ex juris dispositione inducit voluntatem abdicantem se privilegio, aut renuntiationis acceptationem in concedente; ergo idem dicendum venit de merè negativo, & necessario non usu legis absolutè lata, & non sub conditione usus; quòd addo, quia aliud est, si *importet talem conditionem*, quale est privilegium de *nundinis*, ut habetur l. 1. ff. de nundinis: ibi: *nundinis, impetratis à Principe, non utendò, qui meruit, decennij tempore usum amittit.*

187.

Ex hoc per oppositum colliges, tunc dici legem *non acceptari*, quando *non observatur ipso facto, dum instat tempus illam observandi*; atque aded cum eo tempore fit contrarium ei, quòd lex petit. Nam tunc planè verum est, eam legem usu non recipi.

188.

Quæres 2. an talis non acceptatio legis, seu usus contrarius legi, eo ipso habeat vim efficaciter abrogandi, vel tollendi talem legem? Resp. quòd sic, si sit completus, & perfectus, nimirum factus secundum eas condiciones, quas habere debet. Nam consuetudo contraria, si sit legitima, & perfecta juxta *c. fin. de consulat.* potest abrogare legem, usu aliàs receptam, ut ibidem dicitur, & constabit ex dicendis. idem ergo poterit desuetudo, seu non usus legi contrarius; cum & hic fundare possit consuetudinem legitimam, atque perfectam legi contrariam. Condiciones autem necessariæ, ut talis non usus, seu desuetudo

189.

legi



legi contraria, legitima sit, & perfecta, sunt istæ: Prima, quod talis desuetudo, seu non usus inductus sit à tota communitate, vel saltem majori ejus parte. Secunda, quod fiat cum consensu legislatoris. Tertia, quod duret aliquo tempore, quæ tamen intelligenda veniunt, secundum limitationes, statim subjungendas.

190. Requiritur, quod inducatur à tota communitate, vel majori ejus parte, colligitur ex eo; quia, cum omnes, qui requirunt acceptationem ad substantiam legis, in quantum obligantis, loquantur de acceptatione populi, seu subditorum, ac communitatis cæteroque per eam ligandæ, per n. 185. eo ipso, ut verificetur non acceptari legem, verificari debet, vel totam communitatē, vel majorem ejus partem ei resistere, seu contravenire per non usum, seu omissionem usus, cum lex cæteroque urget ad usum. Nam sicut sine consensu majoris partis non habetur consensus alicujus communitatis; sic nec dissensus, ut colligitur ex L. Quod major, ff. ad Municipalem; ita Suarez hic l. 4. c. 16. n. 19. Azor p. 1. l. 5. c. 4. q. 5. & alij. Secundò requiritur consensum saltem tacitum, legislatoris, deducitur ex c. fin. de consuetud. Nam consuetudo vim abrogandi legem non habet naturā suā; sed legislatoris voluntate per legem in c. fin. & alibi declarata. Habetur autem consensus tacitus, cum lex, sciente legislatore non observatur; nec urgente observantiam, vel puniente transgressionem, intellige, quando potest citra majus malum; ita Sylvester V. lex 9. 6. Alij dicunt non requiri scientiam Principis; quod Principe etiam ignorante transgressionem legis desuetudo vim habeat abrogandi legem; cum id possit consuetudo. Sic Felinus in c. 1. de Treuga, & pace, n. 13. Suarez cit. l. 3. c. 19. & maximè l. 4. c. 17. & alij: ambæ sententiæ conciliari possunt, dicendò non requiri quidem consensum expressum, & personalem legislatoris; requiri tamen, & sufficere tacitum, vel legale; hoc est declaratum in c. fin. de consuetud. ut dicemus infra. Nam ex hoc eam vim habet consuetudo.

191. Cæterum sufficere consensum tacitum, seu præsumptum, qui habetur, quando facta legis promulgatione, cum posset, ejus observantiam non urget, valde probabi-

le est. Nam ex hoc rectè præsumitur, quod prudenter nolit, communitatem obligari lege suā, in sensu composito repugnantia majoris partis alicujus communitatis (intellige, quando justam repugnantia causam habet, ut dicemus n. 198.) & hæc præsumptio locum habet, si legislator sit conscius, si nescius inobservantia, & aderit semper tacitus ejus consensus. Sic. Azor p. 1. l. 5. q. 2. Abbas, & Felinus in c. 1. de treuga, vel pace. Ad quod demum 3. requiritur, ut aliquo tempore hic non usus, seu desuetudo duret; causam reddit Castropalaus cit. p. 1. tr. 3. d. 1. p. 13. n. 10. quia debet contra legem præscribere. Quantum autem tempus requiratur, variant doctores. Pro resolutione distinguendum est, an talis non observantia legis fiat sciente, vel ignorante Principe? quo posito:

192. Resp. ut per desuetudinem, seu non observantiam legis, factam ignorante Principe, imò & sciente (quantum est ad tempus requisitum) lex censeatur abrogata, sufficere decennium. Ratio est; quia consuetudo longi temporis sufficit ad abrogandam legem receptam; ergo desuetudo longi temporis sufficit à fortiori ad eam impediendam; decennium autem in jure reputatur longum tempus juxta Gloss. communiter receptam in c. fin. de consuetud. in 6. ita Suarez l. 4. de Legib. c. 16. n. 12. qui ibidem ad legem impediendam, maximè civilem, cenet sufficere etiam tempus decennio minus; cum ad tollendam jam receptam vim habeat decennium. Dixi: imò & sciente; nam tali casu, ubi Princeps scit legem à se conditam, ac debite promulgatam, à majori parte communitatis non observari, nec tamen ejus observantiam, cum potest citra gravius damnum, urget puniendo transgressores, videtur tacite consentire, ut dictum est; & hoc casu ad non observantiam, quæ lex in desuetudinem abivisse dici possit legitime, sufficere tres vel quatuor actus, docet Abbas, Felinus, & alij in c. 1. de Treuga.

193. Præter hoc notandum, quando queritur, an ad inducendam legis obligationem expectandus sit consensus, acceptatio, vel approbatio populi, seu subditorum, etiam postquam solenniter, prout exposuimus hætenus, promulgata est? hanc

hanc acceptationē dupliciter intelligi posse, unam quodammodo actualem, quæ est ipsamet observantia legis: eam enim servandō, eo ipso acceptatur. Altera est approbatio legis tanquam justæ, quæ ad obligationem, aut ipsam observationem subditos excitat. Ea verò approbatio iterum duplex est: prima est iudicium quoddam de legis æquitate, & ejus utilitate, quia non modò justa in se, sed populo commoda, atque utilis judicatur: Altera est consensus voluntatis, quæ legislatori edicenti acquiescit, & obligationi, quam videt sibi per illam legem imponi: quibus positis:

194. Ad quæstionem initio §. propositam Resp. 1. In lege civili ad ejus constitutionem nullam ex modo dictis acceptationem populi esse necessariam; ita Suarez l. 3. de Legib. d. 13. f. 1. & 5. cum alijs. Nam vel potest Princeps justè populum sibi subjectum adstringere, ut acceptet, ac exequatur legem à se latam, quæ habeat ceteras conditiones legis justæ, vel non? si potest; ergo populi acceptatio non est necessaria; si non potest; habet potestatem diminutam, ac inefficacem ad regendum populum, quod admitti non potest. Nam sic in nullo casu posset Princeps populum sibi subjectum, etiam sine causa legitima reluctantem adimplere legem, etiam justissimam, pænis justè compellere ad legis observantiam, quod manifestè repugnat rectæ gubernationi, & ordini in quavis communitate bene ordinata. Et ideo complures ex authoribus, qui docent, leges civiles, ut valeant, requirere acceptationem populi, hoc non tribuunt defectui potestatis in Principe laico; sed potius, voluntati ejus, nolentis obligare subditos independentè à populi consensu. Licet enim Princeps laicus potestatem acceperit à populo, ut multi volunt, (à quo liberè electus est) & hic potestatem ferendi leges concessam poterit restringere sub conditione, si populus legem acceptet; quia tamen non constat de hac restrictione, pactum illud inter Principem, & populum, tenet absque illa conditione. Nam ubi constat de pacto, & non constat de conditione, pactum tenet sine omni conditione. Confirmari potest discurrendo de singulis. Nam acceptatio actualis, quæ est ipsa legis obser-

vantia supponit legem totam, ac ejus obligationem; non enim obligat, quia observatur; sed observatur, quia obligat; unde talis observantia est potiùs effectus legis, & obligationis; cum ista inducat illam; &c.

Resp. 2. in lege civili, ut firmitatem obligandi obtineat, requiri, quòd defecto acceptetur, hoc est (cum lex urget) in usum, & observantiam deducatur; secus, cessare illius obligationem desuetudine completà secundum dicta à n. 190. Ratio est, quia desuetudine legitimâ, & completâ, legis obligatio impediti, & abrogari potest, ut constat à n. 189. ergo ut firmitatem suam in obligando retineat, seu vim obligandi contineat, necesse est, illam in usum, & observantiam deduci, cum urget; dixi firmitatem, hoc est vim semel captæ obligationis etiam deinceps continuet; non autem primum, ut vim acquirat. Dixi 2. desuetudine completâ. Nam antequam legis non observantia completa sit juxta n. 190. & seq. contravenientes Peccant. Non enim est, unde excusentur: non ex voluntate legislatoris nolentis obligare; cum intendat potiùs legem suam stabilire: non etiam ex non usu, & desuetudine; hæc enim, nisi legitimè completa sit, non habet vim impediendi, vel abrogandi legem: ergo.

## §. II.

### Resolvuntur argumenta contraria.

196. Contra prædicta dices 1. Potestas legislativa in Principe laico, est immediatè à populo, illi communicata sub conditione, si populus in legem consentiat; ergo ante hunc consensum lex civilis nondum est essentialiter constituta. Sed nego universaliter antecedens; nam hoc fallit in Principe, qui Regnum aliquod in bello justo vi, & armis occupavit, ut rectè notat Cardenas in Crisi Theol. tr. 1. de legib. d. 29. n. 46. deinde Resp. 2. N. ant. quoad ly sub conditione, si populus in eam consentiat; cujus ratio est ex n. 194. Aliàs enim populus potiùs se regeret, non autem Rex regeret adæquatè populum; & populus subesset, quando vellet, ut diximus n. cit.

Dices 2. quando major pars communitatis legi resistit, est moraliter certum, legem

legem bono communi esse disconvenientem; consequenter non esse justam, & obligantem ex n. 84. ergo, ut iusta sit, & obligans, consequenter essentialiter constituta, necessarium est, quod ei major pars populi non resistat. Resp. dupliciter fieri posse, quod ei populus, vel totus vel major pars resistat. 1. *rationabiliter*, & ex iusta causa. 2. *non rationabiliter*, nec ex iusta causa. Ex hoc Resp. cum distinctione, & concedo legem putè humanam, & civilem non obligare in casu, quo ei, saltem major pars communitatis, *ex iusta, & rationabili causa, moraliter certa, resistit*; non autem secus. Nam ex eo præcisè, quod lex gravis sit, non evadit iusta resistentia; cum illud gravamen lege impostum exigi possit à gravi necessitate boni communis, ac Reipublicæ conservandæ V. n. 92.

198. Dixi 1. si resistentia sit *rationabilis, & iusta*; ratio est ex n. 84. quia revera legislator humanus, populo *rationabiliter* resistente ipsi legi, non potest præsumi eo casu nihilominus velle obligare, Dixi 2. si resistat ex causa iusta, *moraliter certa*. Nam, ubi est dubium, num adsit iusta causa parendi legitimo superiori (cum hic sit in possessione potestatis legislativæ, & debita, sibi subjectionis à suis) impediri licite non potest, ubi morali certitudine de lege constat, & abest moralis certitudo de legis injustitia. Ex hoc sequitur, quod, quando major pars communitatis, sciente, nec puniente, cum posset, Principe non observat legem, reliquos excusari ab observatione legis, licet nondum elapsum sit sufficiens tempus, alioquin necessarium, ut contra talem legem sit præscriptum; sic Castropal. *cit. p. 1. tr. 3. d. 1. p. 13 n. 12*. Quia tali casu minor pars communitatis merito præsumit de tacito consensu Principis.

199. Dices 3. certum est, legem latam sub expressa conditione, *si populus acceptaverit*, non esse plenè constitutam, populo non acceptante; at Princeps Laicus, hoc, & non alio modo potest ferre legem; quia sic, & non aliter accepit à populo potestatem legislativam; nam potestatem illi populus contulit, ut ferat leges eo modo, qui est aptior populo, cuius bonum tenetur ipse respicere in ferenda lege; at modus ferendi legem solum sub ea con-

Tom. I.

ditione, talis est, nam populus melius cognoscet, quod sibi utile, vel inutile sit, quam legislator: ergo.

Deinde potestas regia, quondam à populo translata fuit eà conditione, ut ferret quidem leges, sed Reipublicæ commodas, & utiles; alioquin se ad obsequendum, & servandas leges minimè teneri, ideòque Julianus juris consultus *l. de quibus 32. §. 1. D. de legibus dixit*; leges nullà alià ex causâ nos tenere, *quàm quòd iudicio populi receptæ sunt*, consentitque Papinianus, dum, ut alias, retuli, legem vocavit ex Demostenie *is póleos cínin synthicin*, communem reipublicæ sponcionem, quasi cives collatis inter se suffragijs, ad ejus præscriptum vitam spondèant, quæ Juliani & Papiniani dicta, nequaquam passus esset in corpus Digestorum, quod confici curavit, referri Justinianus, si ejusmodi populi iudicio, & tacito consensu existimasset, suam auctoritatem infringi.

Ad argumentum in n. 199. Resp. data majore; N. min. cujus ratio est ex dictis, n. 194. & constabit etiam ex seqq. Hinc ad alterum Resp. tacitam illam conditionem potestati legum-lativæ, ut commodas, & utiles civibus leges duntaxat ferat, non à populo positam, sed ex sua natura inesse, cum Princeps teneatur omnino subditorum commodis providere, itaque ferat ipsa æquitas, sapienter enim Ammian. *lib. 19. Finis iusti imperij, ut sapientes docent, utilitas obedientium estimatur, & salus quod hausit ex Platone lib. 5. politicor. & ab Aristotele lib. 8. Ethicor. ad Nicomachi. qui ait, id spectare ad Principes, quòd communiter conducit Reipublicæ. Quare Justinianus rescribens ad Senatam Constantinopolit. l. unica §. 14. C. de caducis tollendis, ait: quod communiter prodest, hoc private nostra utilitati præferendum esse censemus; nostrum esse proprium, subjectorum commodum imperialiter existimantes. Et ne plura congeram, audi Ciceron. lib. 1. officior. Omnino, qui reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant, ut, quid quid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum, ut totum corpus reipublicæ curent, ne dum aliquam partem tueantur, reliquam deserant.*

Ex hoc autem aliud non sequitur, quàm prin-

G

prin-

Principi unam Reipublicæ curam omnibus alijs præhabendam, ipsique, non privatis commodis, sed subditorum, maxime studendum, consequenter prudentiâ summâ, & æquitate in ferendis legibus utendum esse: & si necessitas graviore aliquando functiones exigat, illas tamen quantum fieri poterit, humanitate temperandas. Inde tamen non sequitur, illum à consensu, approbatione, & acceptatione populi in suis edictis pendere, aut invitis non posse leges statuere, quamvis nihil injustum valeat statuere; alioquin populi esset de statutorum æquitate, & utilitate judicare, & illa vel accipere, vel abijcere, quod absurdissimum foret; cum & sapissimè plebs ineptissimè judicet, & æquum arbitretur, quod iniquissimum est. si autem necessaria foret approbatio Universalitatis in Comitijs generalibus, vel optimatum, plebe reluctante foret eadem difficultas, quæ in Principe; proinde vix ulla lex fortiretur effectum.

202. Dices 4. in c. *In istis 3. dist. 4.* expressè dicitur: *leges instituntur, cum promulgantur; confirmantur, cum moribus utentium comprobantur;* ergo leges non acceptatæ nõ obligant. Verùm ex hoc textu non probatur, valorem, & efficaciam legis, ab acceptatione dependere, 1. quia hic textus non habet auctoritatem Canonis, tamen si aliqui eum attribuunt D. Augustino, quòd additus sit post verba sancti; in re tamen non est D. Augustini, sed Gratiani, ut observat Suarez l. 3. de legib. c. 19. n. 1. Deinde esto haberet vim canonis; communiter tamen responderetur, leges moribus firmari *de facto*; non autem *de jure*. Unde sicut *mores legi contrariæ* infirmant, ac tandem abrogant, tacito nimirum legislatoris consensu; vel completâ præscriptione; sic *mores legi conformes eâ* confirmant, sed non constituunt.

203. Nec juvat, quod ibid. Subjungatur: *unde illud Telesphori Papæ, quo decrevit, ut Clerici generaliter à quinquagesima jejünandi propositum susciperent, & à carnibus, & delicijs abstinerent, quia moribus utentium approbatum non est, aliter transgressionis reos non arguit.* Nam, vel est sensus, ideo non obligare decretum Telesphori; *quia non fuit acceptatum?* vel, *quia annuentibus Pontificibus, consuetudine contrariâ, fuit abrogatum?* Si

dicas hoc *secundum*; nihil prodest. Nam *acceptatio, & consuetudo populi* diversa sunt, ut rectè notat Cardenas cit. tr. 1. in *Crist Theol. D. 29. n. 57.* Illa enim explicat contravenientiam legis, quin importet *tempus certum, cum legislatoris consensu legali*; quod tamen explicat *consuetudo* habens vim abrogandi legem; ergo licet decretum illud abrogatum sit *consuetudine*; non tamen probat, quòd *non acceptatione*, nisi confundas hanc cum illa, & si hoc dicas, adhuc non probas, *acceptationem* esse de substantia legis; quia nec de *consuetudine* id dici potest; hæc enim non tollit, nisi *firmitatem*, seu continuationem, ex n. 139.

Si autem dicatur *primum*; *ly quia non fuit acceptatum*, vel intelligitur *consentientibus saltem tacitè Pontificibus*; vel *invitis*? at hoc dici non potest; ergo illud. Si autem ex eo præcisè decretum illud desijt, quia acceptatum non est, dissimulantibus Pontificibus, non probatur acceptatio esse necessaria ad valorem, & efficaciam legis, ergo. Prima major probatur: nam in c. *denique, dist. 4.* S. Gregorius Magnus, agens de eodem decreto Telesphori, & consuetudine illi opposita, dicens: *Unde nec à tali consuetudine* (nimirum, comedendi carnes à dominica quinquagesimæ) *averti possunt*, subjungit: *& ideo cum venia* (nimirum indulgentiâ, seu dissimulatione) *relinquendi sunt, ne fortè peiores existant, si à tali consuetudine prohibeantur.* Ut enim ait Salomon: *qui multum emungit, elicit sanguinem.* Ex quo clarè patet, quòd decretum illud Telesphori firmitatem non habuerit, sed abrogatum sit, non attribui *non acceptationi*, sed *contrariæ consuetudini, cum venia Pontificum.* Talem autem consuetudinem habere vim abrogandi legem, etiam validam, & rectè, plenèque constitutam, etiam usu prius receptam constat ex n. 189.

Demum ex ipso textu cit. c. *In istis*, de quo n. 203. constat nullam auctoritatem tribui *non acceptationi*, sed Pontificum duntaxat indulgentiæ; qui, si non fuisset justus metus, quòd *peiores existent*, si pœnis eorum resistentiam coercere vellent, censuris, & pœnis Ecclesiasticis eos ad dictæ legis observantiam etiam invitos cogere potuissent, ut constat ex facto in plurimis

rimis casibus, ubi mala graviora timenda non sunt. Et ideo nihil ad hunc finem probatur, etiam ex illo textu, qui habetur in c. *cum olim*, 6. de Cleric. conjugat. ubi dicitur, nos igitur attendentes, quod orientalis Ecclesia *votum continentie non admittit &c. mandamus, si aliud impedimentum canonicum non obstat, ad confirmationem, & consecrationem ejusdem procedas*; ex quo textu aliqui deducunt, quod unica causa ab ipso Pontifice allegata, *que Græcos à voto continentie excusat*, fuerit, quod legem *non admiserint*, hoc est, non receperint; cum ergo id procedat in lege tam gravi, tanti momenti, ac honestatis, & alias ubique locorum recepta, quanto magis obtinebit in legibus minoris momenti, & necessitatis.

206. Ex hoc, inquam, textu non probatur, valorem, & efficaciam legis dependere ab acceptatione subditorum; nec in dato casu, *unicam causam*, Græcos exculantem, fuisse, *quod non admiserint*: sed solum, *quod Pontifex illos cogere noluerit*, ad vendendam continentiam, illisque contrarium volentibus *annuerit*, præcipue, quod tempore Innocentij antiquissima esset consuetudo, non emittendi illud votum in Ecclesia Orientali; quo casu, si lex contrarietur tam antiquæ consuetudini, Pontifices facilius mitigant leges suas, & consuetudini cæteroque non prævæ indulgenti consensu suum, ut dicemus n. 208. ergo nihil etiam ex hoc textu probatur, invito etiam legislatore, solius acceptationis defectu, legem non habere valorem, & efficaciam.

207. Dices §. *l. de quibus. 23 ff. de legib.* Julianus ait: *ipsa leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod iudicio populi receptæ sint*; ergo leges civiles iudicio populi non receptæ, seu acceptatæ nos non obligant; quia sic deficit unica causa nos tenendi, seu obligandi. Resp. dupliciter hunc textum intelligi posse 1. Quod hoc sit *ex natura legis*, tanquam aliquid substantialiter requisitum, ut dicatur plenè constituta. 2. Non quod sit de natura legis, sed quod solum, *ex benigna interpretatione voluntatis in legislatore*, nolente legem suam firmitatem obtinere, nisi populi iudicio per legis observantiam, & usum comprobetur.

208. In primo sensu textus male accipitur, & perperam explicatur: quia satis aperte constat, id esse contra intentionem Principum

Tom. I.

laicorum; tum, quia id arguit defectum efficacis potestatis, omnino necessariæ ad rectam gubernationem; tum, quia sic liberum esset subditis obedire, ubi, & quando volunt, quo vinculum debitæ subjectionis omnino tolleretur; quo casu essent subditi solum, quantum vellent; quod sanè plurimas, easque graves omnino turbationes causare aptum est in republica, ut constat experientiâ. In secundo autem sensu admitti potest; cum vis obligativa *non à iudicio populi*, cujus est parère, non iudicare, sed à legitima voluntate superiorum in legem derivetur, ergo cum superior declarat, se nolle, quod lex sua in actu secundo liget subditos, nisi factò ab ipsis comprobetur, quod quidem in rebus perquam onerosis, & antiquæ consuetudini non prævæ, contrarijs meritò præsumi potest (cum ea potestas non sit in destructionem, & ruinam, sed in ædificationem boni communis) independenter ab exercitio, quo lex in usum deducatur, non obligabit, non naturam legis, tanquam indigeret ea populi comprobatione, sed veniam Principis eo casu, populo ex benignitate suâ cursum dictæ consuetudinis indulgentis, aut novo legis onere gravare nolentis.

Et hæc præsumptio solum locum habet, ubi adest rationabilis, & iusta causa, propter quam communitas contra legem se opponit. Nam legislator nunquam prudenter præsumi potest, etiam tacite consentire in transgressionem, consequenter abolitionem legis à se conditæ, nisi quando adest rationabilis, & iusta causa, legem hinc & nunc non deducendi in observantiam; opposita enim voluntas manifestè repugnat voluntati, quam legislator habet in condenda lege; cum hæc fundetur in voluntate, quam habere debet, per leges suas providendi bono communi, ac ejus conservationi. Quare dicta præsumptio cessat, ubi Princeps populum parère reluctantem, etiam opinione iustæ causæ in contrarium, nihil ominis ad legis observantiam compellit, nisi manifesta sit iniustitia legis, quia possessio stat pro legislatore. Hinc

Ad objectionem ex *l. de quibus.* in n. 207. Resp. cum dist. leges ex nulla alia causa nos tenent, quam quod iudicio populi, *dependenter ab indulgentia Principis*, receptæ sint, C. *independenter ab indulgentia Principis*, N. ant. Ratio constat

G 2

ex di-

ex dictis, & confirmari potest ex eo, quia textus non loquitur de obligatione legis, quam ipsa lex inducit, cum debite promulgata est; sed de obligatione legis *continuata, & perseverante*; hoc enim sonat: quod iudicio, seu, ut alias dicunt, *moribus populi* receptæ sint; quod appellat legem deductam in usum, & consuetudinem. Quid verò dicendum, quando communitas supplicat principi pro suspensione, vel abrogatione legis, an, dum à Principe detur resolutio, interim obligent? dicemus à n. 224. Et ex his patet etiam responsio ad rationes sententiæ, requirentis acceptationem populi tanquam conditionem essentialem ad substantiam legis, de qua superius.

## §. III.

*An in lege Ecclesiastica necessaria sit acceptatio populi?*

211. **S**upponendum ex dicendis à n. 233. in Legislatore tam Ecclesiastico, quam civili, esse potestatem obstringendi subditos ad acceptandam, & observandam legem à se conditam, & debite promulgatam; unde quæstio est in præsens, an valor & efficacia legis Ecclesiasticæ sic dependeat ab acceptatione populi, ut eâ seclusâ non habeat valorem, & efficaciam invitos obligandi, licet ritè publicata sit, & per cognitionem debitam subditis applicata? In hac re dico cum P. de Cardenas *cit. n. 56.* defacto nullum esse canonem, vel legem, aut constitutionem, Ecclesiasticam, quæ dicat, vel declaret expressè, ut lex Ecclesiastica, postquam ritè promulgata est, & munita reliquis ab acceptatione subditorum distinctis, & cognita, inducat vim obligandi in actu secundo generaliter, *expectandam esse populi acceptationem, seu hanc esse de natura, & substantia legis Ecclesiasticæ*, nam omnes canones in contrarium allegari soliti, loquuntur de casu duntaxat singulari, ubi ex indulgentia legislatoris factum est, quod in *tali* casu, vel *talis* lex constituta non obstrinxerit, ut constat ex dictis à n. 202. ubi responsum est ad eos canones, quibus contrarij nituntur. In idem recidit *L. de quibus*, ut constat ex n. 207. præterquam, quod in modo ferendi legem, Ecclesiastica non necessariò sequatur jus civile, ut

diximus n. 178 Unde licet hoc necessarium foret in lege civili, non tamen obtineret in Ecclesiastica. Existimo tamen eum eodem n. 65. valde probabiliter dici, etiã leges Ecclesiasticas non obligare ante *communem* acceptationem ex benigna interpretatione Legislatoris Ecclesiastici, *quando causa rationabilis subest*; non autem quasi hoc necessarium sit ad valorem, ac efficaciam legis. Unde, ubi hæc præsumpta voluntas ex contraria illius voluntate constat (ut, cum urget legis observantiam) hæc præsumptio non habet locum. Ratio huius est ex dictis à n. 209 Et ideo dicendum, etiam legem Ecclesiasticam impediri posse (*ne firma sit*) defuetudine ritè completa. Constat hoc ex dictis à n. 189. Ex eo autem, quod sic impediri possit à *firmitate*, seu *obligationis inductæ continuatione*, non sequitur, quod antecederet ad talem defuetudinem, & non acceptationem, non fuerit essentialiter constituta, cum etiam lex omnino valida, & essentialiter constituta, tempore subsequenti per legitimam consuetudinem, à firmitate sua impediri, & omninò abrogari possit, ut dictum est à n. 189. & 190.

Si autem lex Ecclesiastica (idem est de civili) per continuatam inobservantiam, & defuetudinem, præsertim ignorante Principe, quoad obligationem abrogata est, & à Principe, seu legislatore innovetur, & quasi reproducat, urgendo deinceps illius executionem, dicendum est, subditos etiam invitos obligari, suppositis cæteris conditionibus justæ legis; Sic etiam *Lessius l. 2. Just. c. 22. n. 98. Covar. l. 2. Variarum, c. 16. n. 6. §. Quanto*, & alij. Nam in hoc casu cessat ratio, propter quam lex non acceptata, secundum auctores contrarios non obligat, nimirum præsumpta voluntas legislatoris dissimulantis inobservantiam legis; nec aliquis canon extat, qui pronuntiet, eam acceptationem legislatoris, vel ex natura legis id exigere; & aliunde legislator subditos etiam invitos simpliciter pœnis cogere potest ad obedientiam, ut diximus n. 194. & seqq.

Dixi: *nullum esse canonem, qui generaliter suspendat legis vim obligandi, seclusâ populi approbatione*. Nam idem etiam de lege canonica probant eadem rationes, quibus usi sumus à n. 185. pro lege civili;

civili; & quidem à fortiori; quòd certum sit summum Pontificem potestatem Ecclesie gubernativam non à subditis, sed immediatè à Christo, cujus Vicarius est in terris, accepisse; consequenter vim legis canonicæ obligandi in actu secundo, postquam ritè publicata, & debitè cognita est à subditis, non esse suspensam seclusà populi acceptatione, loquendo generaliter, sive spectemus jus naturale, sive positivum.

214. Hinc, si quæras, an, & quando subditi peccent non acceptandò legē debitè promulgatā? Resp. quòd Caramuel in *Theol. fundament. n. 1173. 2. Quartò. fund. 19. loco cit.* apud Patrem de Cardenas n. 73. doceat; homines liberos (scilicet non servos) quibus minùs necessaria jubentur, teneri acceptare præcepta, nisi fortè acceptaverint aliam legem, quæ illos privet libertate leges non acceptandi; ubi not, quòd Cardenas cit. ex principijs Caramuelis clarè ostendat, ipsius assertum procedere de quibusvis legibus, etiam *utilissimis Republica*, modò non sint *simpliciter necessariae* ad ejus conservatiōem, vel obtinendum finem, ad quem Respublica instituta est; has enim *simpliciter necessariae*, docet, in ipsa Respublicæ erectiōe acceptatas esse.

215. Verùm contrarium extra dubium est. Nam hæc propositio (*populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam*) est 49. inter damnatas ab Alexandro VIII. tanquā scandalosas. Nam, si peccat populus, sine ulla causa non acceptando legem, ex eo est, quòd obligetur acceptare legem; cum nemo peccet faciendò, vel omittendò aliquem actum, nisi obligatio sit, cum faciendi, vel omittendi. Quare dicendum, *graviter peccare subditos*, qui sine gravi, & justa causa reiiciunt, seu recusant observare legem, debitè promulgatam, si habeat reliquas conditiones justæ cæteroquin legis; sic Cardenas *cit. n. 78.* cum comuni. Ratio est ex declaratione Pontificia, damnanante oppositum tanquam scandalosum.

216. Deinde, si dato casu non esset obligatio acceptandi legem, id vel esset ex natura legis, essentialiter exigentis ad sui valorem, & efficaciam, populi acceptationem? vel ex benigna interpretatione mentis legislatoris nolentis legem aliter obligare? non primum? ex n. 201. & seq.

non etiam secundum? nam vel illa interpretatio fundatur in eo, quòd legitime præsumi possit, legislatorem nolle subditos obligare, quando *ex rationabili causa* recusant legē acceptare; vel etiam, quando *sine ulla causa*, sed solum ex suo arbitrio? si dicatur primum; nihil est contra præfens nostrum assertum, juxta dicta n. 197. secundum autem dicere, absurdum est, & nulli rationi consonum. Nam si locum haberet ea præsumptio voluntatis, non obligandi populum, *si pro puro nutu legi resistat*, non peccaret, sine ulla causa non recipiendò legem à Principe promulgatam contra infallibilem summi Pontificis declarationem in materia morum pertinente ad conscientiam, de qua n. 215.

217. Nec prudenter credi potest, Principem condere legem, *ea conditione*, ut non obliget, etiamsi populus absque ulla causa legislatorem confundat, ejus gubernationem quodammodo per illam legis planè frivolam rejectionem contemendò, deinde, cum, ut dixit Gregorius M. *supra. n. 204.* eo duntaxat casu Pontifex dissimulet non observantiam legis, quocæteroquin (si legem urgeret) *peiores fierent*; necessarium est, quòd, si non dissimularet, peccarent (alias enim *non fierent peiores*) sed hoc verum non esset, si lex etiam sine ulla causa licitè acceptari non posset; ergo.

218. Denique ex ipso etiam textu legis civilis, de qua supra, colligitur, non posse contrariam sententiam fundari in eo, quòd Princeps *in omni lege sua*, saltem tacitè dicat: *Volo per hanc legem populum obligari, nisi pro nutu suo resistat*. Nam in illo textu, ut rectè observat Cardenas *cit. n. 83.* non dicitur, *nos ex nulla alia causa legibus teneri, nisi, quia populi libero, ac mero nutu comprobatur*; sed quia *judicio populi*; quòd sonat *judicium conceptum ex rationabili, & justa causa*; & ut notat P. Herdinck sæpè *cit ex causa* non vulgi, sed *prudentum judicio sic estimata*, pro qualitate materiæ, circumstantijs temporum, & locorum &c.

219. Ex dictis colliges, hanc propositionem (*leges Principis Ecclesiastici non obligant ante acceptationem*) sic indefinitè prolata, non posse rationabiliter admitti. Sic enim vi datæ hujus universalis sequere-

tur, quòd Pontifex non velit obligari subditos lege sua ante acceptationem, etiamsi nullam habeant justam causam non acceptandi, consequenter, quòd *annuerit irrationabili voluntati subditorum*, quòd rationabiliter de Legislatore Ecclesiastico, imò nec Laico, cogitari non potest. Similiter (*leges Principis laici non obligant ante acceptationem, quia iste non potest justè velle, ut priùs obligent*) esse omnino rejiciendam, si procedat etiam in casu, quò carent justa, & rationabili causa non acceptandi legem cæteroquin justam. Nam ex dictis constat, vim legis etiam civilis non pendere essentialiter ab acceptatione populi; & rationabiliter præsumi non posse à Principe etiam laico ferri legem, ut nolit eam obligare, si populus eam irrationabiliter rejiciat.

220. Si quæras 2. an, ubi major pars communitatis acceptavit legem, eo ipso etiam obligetur minor? Resp. in hac quæstione aliquos distinguere, & affirmare, *quando communitas, ut communitas est*, acceptat legem in communi, eâ teneri totam communitatem, & singulos, in quantum ejus membra sunt; non autem: si qui pauci sint, qui in eam non compromiserunt. Ex quo inferunt, ad hoc, ut obligentur singuli opus esse, quòd acceptent singuli, vel per se vel per compromissarios, de quo plura Cardenas in *Crisi tr. 3. D. 29. à n. 111.* sed dicendum, ubi major pars communitatis acceptavit legem justam, teneri eadē singulos de illa. Nam, si necessaria foret acceptatio singulorum, vel per se, vel per compromissarios, id esset vel ex natura legis, vel ex interpretativa voluntate Legislatoris: neutrum dici potest; non primò, ut constat à n. 194. non etiam secundum; nam hæc voluntas interpretativa Legislatoris (*ut mea lex obliget, volo expectare acceptationē singulorum; et si eam etiam absque ulla causa rejiciant, nolo, quòd obliget*) non potest cadere in prudentem Legislatorem, tum propter ingentem difformitatem in tali communitate, ubi obedientes, & acceptantes legem, obligarentur; resistentes etiam irrationabiliter immunes essent, tum quòd valde irrationabile foret, tam irrationabili subditorum voluntati annuere.

221. Dices: si tali casu etiam illi, qui non acceptarunt, tenerentur, potestas legislativa potius esset in destructionem, & ruinam;

quàm in ædificationem; sed talis potestas nulla est, consequenter etiam usus ejus, atque adeò & leges inde profectæ. Sic Caramuel pluribus locis, prout refert Cardenas *cit. D. 29. num. 5. & seqq.* Verùm communis propè omnium Doctorem sententia est, In Prælati Ecclesiasticis esse potestatem obstringendi populum, etiam invitum ad legis observantiam, ubi non est rationabilis, & justa causa resistendi; ita plurimi apud Carden. *loc. cit. n. 10.* Hujus ratio est 1. ex decreto Alexand. VII. de quo n. 215. deinde, quando Paulus 2. *Corinth. 13.* asserit: Deum dedisse hominibus potestatem *in ædificationem, non in destructionem*, vel volunt universaliter intelligi, quòd homines non possent uti potestate concessa *in invitos, etiam sine ulla causa rationabili; vel tantum in invitos ex causa justa, & rationabili?* primum dici non potest; ergo secundum; sed sic jam conceditur potestas, quam intendimus; ergo. Prima min. probat. 1. quia lex, quæ non excitat in Republ. scandalum, tumultum, vel communis pacis exterminationē, sed potius tranquillitatem, & pacem, atque boni communis conservationem, non est in destructionem, sed ædificationem; at plurimæ tales leges latæ sunt in utraque Republica, etiam in invitos, sed invitos immeritò solùm, & irrationabiliter; ergo potestas hòc modò cogendi invitos, non est in destructionem; ergo nec talis potestas; ergo datur potestas obstringendi populum, etiam invitum ad legis justæ observantiam.

Ex hoc patet ad argumentum *in n. 221.* nam *major* universaliter accepta est omnino falsa; & evidenter contra praxim Ecclesiæ, cum plurimæ leges sint, ad quarum observantiam etiam per censuras, & pœnas gravissimas Ecclesia compulit earum observantiæ renitentes. Procedit ergo solùm, quòd potestas cogendi, etiam invitos ad legis observantiam, potius esset in destructionem, quando cogerentur etiam tunc, ubi est omnino gravis, & valde rationabilis causa resistendi, consequenter periculum esset, quòd inde peiores fierent, in graviora ruituri mala, ut sunt defectio ab Ecclesia, tumultus, & eversio pacis publicæ, scandala gravissima &c. non autem, ubi nulla rationabilis, & justa illis causa suffragatur.

§. IV.



§. IV.

An, si tempus instat observandi legem, ejus observantia præteriri possit, prætextu, quòd populus non consenserit.

223. **C**ommunis doctrina est, tribus modis dici legem aliquam esse acceptam. 1. quando sufficienter promulgata à majori parte communitatis non rejicitur; quia, qui tacet, consentire videtur. 2. quando Magistratus alicujus loci, scripto, vel verbo ostendit, eam sibi placere. 3. quando major pars communitatis, intellecta ejus promulgatione incipit eam servare. Sic Becanus *tr. 3. de Legib. c. 6.* Ex his per oppositum intelliges, quando dici debeat lex non acceptata. Si autem quæras 1. quæ non acceptatio valida, ac licita sit ad hoc, ut dicta non acceptatio excuset à culpa inobservantiæ, in casu quo alioquin observanda lex foret? Resp. quod tunc, si præcessit desuetudo legitime completa secundum dicta n. 189. & seqq. 2. quando propter rationabilem, & gravem causam in contrarium, prudenter, & merito præsumi potest, legem ea conditione latam à Principe, ut non obliget, dum usu recipiatur, secundum dicta n. 197, & 209.

224. Si quæras 2. an in casu, quo communitas supplex à legislatore petit legis abrogationem, ejus obligatio suspendatur? loquimur autem de casu solius legis humane, pro cujus abrogatione supplicatur. Resp. probabilius, quando ea lex est difficilis observationis, vel contrariatur receptæ consuetudini, cæteroque non pravæ, nec oppositæ juri naturali, & divino, eam suspendi tali casu, donec Princeps informetur de tali difficultate, vel consuetudine recepta; ita Castropal. *cit. p. 13. n. 4.* & apud eum Suarez *l. 3. c. 19. n. 12.* & *l. 4. c. 16.* Colligitur *exc. Certificari de sepultur.* ubi Clemens III. interrogatus, qualiter ea clausula (*salva justitiâ Ecclesiarum Parochialium*) quæ ponitur in privilegijs recipiendi cadavera defunctorum ad sepulturam in Ecclesijs non parochialibus, intelligenda veniat quoad portionem canonicam Parochialibus debitam? respondit: intelligendam secundum ejusque provincie consuetudinem ratio-

nabilem, & c. 1. de constitut. in 6. ubi Bonifacius VIII. dixit: quòd, licet Romanus Pontifex novâ constitutione tollat priorem, contrariam in jure communi contentam, quamvis id non exprimat, speciales tamen consuetudines, & statuta rationabilia non tollat, nisi id exprimat. Ex his enim sumitur ratio præsumendi; ex benigna interpretatione legislatoris Principem nolle legem suam obligare in talibus circumstantijs, dum super difficultate informatus mentem suam declaret, cum merito præsumatur, particulares ejusmodi consuetudines, & statuta ignorasse; quia non revocat, vel tollit, quod ignorat, nisi exprimat, ut rectè notat Gloss. *in cit. c. 1. V. Facti.*

Dixi suspendi legem, pendente supplicatione; quod dupliciter intelligi potest. 1. ut subditis interim liceat agere, ac si lex posita non esset. 2. ut eo casu absteatur ab omni actu legi contrario, expectandò Principis resolutionem: *in primo sensu*, pendente supplicatione, *suspendi legem*, probabiliter docet Bonacin *D. 1. q. p. 4. n. 41.* Salas *D. 18. S. 4. n. 21.* & alij apud Castropal. *cit. p. 1. tr. 3. D. 1. p. 13. n. 14.* etsi ipse judicet probabilius, legem suspendi solum in secundo casu, nisi prudenter metuatur turbatio in communitate (quia tunc prudenter præsumitur voluntas legislatoris nolentis obligare in talibus circumstantijs) quod non rarò evenire solet, ubi lex difficilis est, & antiquæ consuetudini contraria; ex n. 208.

Notand. autem de qualitate causæ judicium non esse sumendum à quocunque, sed, ut aliàs monui n. 218. ubi diximus (*an causa resistendi legi sit rationabilis, & justa*) non debere mensurari ex judicio vulgi, & privatorum; sed consilio prudentum, vel factò eorum, qui cæteroque in tali communitate sunt timorata conscientia, & studiosi boni communis; non privati commodi, ex quo frequentissimè tamen nascitur, leges aliquas Reipublicæ supra modum proficuas, & necessarias, ab his etiam, qui præsumunt, negligi, & inobservantiâ impediri; his præmissis:

Ad quæstionem initio §. propositam 227. Resp. quando lex urget, nõ posse licitè illius observantiam præteriri prætextu quòd non sit acceptata, quando non præcessit

*non acceptatio valida, & licita*, hoc est defuetudo prius legitimè completa juxta n. 189. & seq. Nam si eo casu posset licitè illius observantia negligi, vel esset, quòd nulla lex obliget, antequam populus acceptet? vel quòd hæc sit voluntas legislatoris? non primum, ex dict. sed nec secundum; nam hæc præsumptio indefinitè non procedit ex n. 216. ergo. Hinc illicitè non obtemperatur legi, ubi tempus adest, quo urget, si eo solùm titulo, quòd non sit acceptata, negligatur, seu non observetur, quando falsum est, non esse acceptatam, & tunc solùm resistitur, cum urget; nisi adsit rationabilis, & gravis causa excusans in eo casu particulari. Nam in hujus defectu nec adest superioris voluntas legitimè præsumpta, nec defuetudo ritè completa, quæ sola legis cæteris justæ inobservantiam in circumstantijs, quibus aliàs observanda foret, à culpa liberant, ut constat ex dictis. Dixi n. 189. *nos loqui tantùm de casu legis humanae*. Nã Cardenas in tract. ad proposit. prohibitas ab Innocentio XI. dissert. 1. in hac ipsa materia tres quæstiones movet circa leges Pontificias, in quibus quandoque sunt tria specialiter observanda circa acceptationem, quando lex illa est declaratoria alicujus veritatis. 2. prohibitoria. 3. pænalis, & non acceptata, nihilominus vim habeat, ut secus agentes peccent? Igitur sit.

## §. V.

*An Lex Pontificia, merè declaratoria alicujus veritatis, pendeat ab acceptatione?*

228. **Q**uæstio hæc movetur occasione decretorum, quibus Pontifex nonnullas propositiones condemnat, & declarat tanquam scandalosas in materia morum, & in eo stat, *an licitum sit in conscientia non acceptare, seu non conformare se illi decreto, in quantum declarat doctrinam in propositionibus condemnatis contentam, esse scandalosam?* Pro negativa stat Cardenas in tr. ad proposit. ab Innocent. XI. condemnatas, dissert. 1. n. 22. & apud eum Molin. tom. 2. de just. disputat. 325. Lessius c. 20. dub. 23 n. 192. Idè docet Castropal. tom. 7. tr. 32. D. 4. p. 24. n. 5. Rebell. l. 8. de just. q. 13. §. multò mi-

nus. & multi alij. Procedit autem quæstio pro casu, quo alicui *moralis saltem certitudine constat de tali decreto declaratorio* promulgato Romæ, vel etiam in Provincia; quo posito:

Resp. ubi morali certitudine constat de tali decreto declarante, non esse licitum illud *quæ tale* non acceptare, seu *nihilominus in praxi agere contra declaratam veritatem*. nam cui morali certitudine constat declaratio facta per tale decretum, ei morali certitudine constat infallibilis veritas per illud declarata; sed cui morali certitudine constat infallibilis veritas per illud declarata, illi nequit esse licitum, non acceptare, seu nihilominus in praxi agere contra declaratam veritatem; probatur: veritas declarata, est, quòd in praxi, seu usum deducere doctrinam, in propositionibus condemnatis contentam, sit scandalosum; sed hæc veritas, ex vi talis decreti est infallibilis (aliàs Summus Pontifex in eo, quòd toti Ecclesiæ in materia morum proponit, tanquam Christi Vicarius, posset errare) cui autem hæc veritas infallibilis morali certitudine constat, ei nequit esse licitum, non acceptare, seu nihilominus agere contra declaratam veritatem; certum enim est, illicitum esse, facere actum, quem quis morali certitudine novit, esse verè scandalosum. ergo. Hæc de illis decretis, *in quantum declaratoria sunt*. Ex hoc concludes, in his decretis Pontificijs, in quantum declaratoria sunt, non esse locum suspensioni (de qua n. 225.) pendente supplicatione contra ea apud Pontificem; quia, cum Pontifex quæ talis declarat aliquam veritatem declaratione non potente fallere; facta semel declaratione non potest facere, quòd veritas declarata non sit infallibilis, consequenter, quòd non sit illicitum contrarium agere.

## §. VI.

*An lex Pontificia, in quantum prohibitoria, vel pænalis pendeat ab acceptatione?*

230. **Q**uæstio hæc dupliciter intelligi potest de Pontificio decreto prohibente 1. quando prohibitio necessariò consequitur ad declarationem alicujus veritatis; 2. independenter à tali declaratione. Resp. si loquamur de decretis Pontificum non

non necessariò consequentibus declarati-  
onè veritatis, de illis discurrendum secun-  
dum doctrinã traditam à n. 211. nimirum  
ea nõ dependere ex natura rei ab accepta-  
tione populi, sed solùm ex voluntate legis-  
latoris, ubi est rationabilis, urgens, & gra-  
vis causa in contrarium, cujus ratio ibidem  
data est. de his verò, quæ necessariò conse-  
quuntur censet Cardenas *cit. dissert. 1. n.*  
*235.* peccari, non acceptandò illa, in  
quantum prohibitoria sunt.

231. Rationem dat, quia suppositã declara-  
tione Romanæ Cathedræ, formaliter, vel  
virtualiter docentis ea objecta esse illicita,  
eo ipso manent prohibita: ergo cum ne-  
cessariò acceptari debeat declaratio ex n.  
priori; eò ipso debet necessariò acceptari  
prohibitio. Idem dicendum, ait, de illis de-  
cretis, quod attinet ad prohibitionem *do-*  
*ccendi, & propugnandi* propositiones dam-  
natas; quia jure naturæ prohibitum est;  
*docere tanquam licita ea, quæ sunt ceriò*  
*illicita.* Sed ex hoc solùm sequitur, quòd  
suppositã declaratione Romanæ Cathe-  
dræ, objecta illa maneant prohibita jure  
naturali, & divino, non autem Ecelefia-  
stico: Nam ea declaratio non affert Pon-  
tifici necessitatem ea specialiter etiam *ju-*  
*re humano* prohibendi; quæ jure natura-  
li, & divino vetita sunt.

232. Quoad alteram partem de his decre-  
tis, *in quantum pœnalia sunt*, omnino di-  
cendum; valde probabile esse; leges Ec-  
clesiasticas *in quantum pœnales*, ubi po-  
pulus ex rationabili, gravi, & urgente ne-  
cessitate resistit, ex benigna legislatoris  
mente non obligare, nisi deducantur eti-  
am *secundum quod pœnales sunt*, in usum;  
non autem ubi ejusmodi causa deficit. Ra-  
tio est ex dictis. Cardenas tamen *cit.* licet  
hoc idem *n. 238.* probabile censet; *n. 240.*  
absolutè negat, posse non acceptari hæc  
decreta, etiam quæ pœnalia, *in quantum*  
*scilicet sub excommunicatione prohibent;*  
*doceri* doctrinam reprobata à Cathedra  
Romana; rationem dat, quia nulla est cau-  
sa rationabilis ad excludendam eam pœ-  
nam; *sed hoc ultra non probat;* & vix con-  
vincenter ostendi potest.

### ARTICULUS VII.

*An humanae leges obligent in conscientia?*

233. Non defuerunt, qui dicerent, legem  
humanam non inducere debitum

Tom. I.

*naturale, seu obligationem conscientie,*  
nisi quatenus declarat legem divinam; ite  
Gerson, & Almainus apud Castropal. *p. 1.*  
*tr. 3. D. 1. p. 14. n. 1.* sed contrarium cer-  
tum est; imò multi esse de fide docent, ut  
ostendit, & tenet Cardenas *in Crisp. 2.*  
*D. 22. n. 13.* de quo ambo fuse agunt; &  
colligi poterit ex dicendis *in seqq.* Lo-  
quuntur autem omnes *de lege justa;* per  
quam legitimus Superior obligare inten-  
dat etiam naturaliter; seu in conscientia;  
his præmissis; sit

#### §. I.

*An qualibet lex inducat obligationem  
conscientie?*

234. Videtur dicendum negativè; cum plu-  
rimæ sint leges *pure pœnales*, aut so-  
lùm *permissive*, quin obligent in consci-  
entia; sic jure gentium permittitur, ho-  
mines justo bello captos in servitutem re-  
digere; contra injustè occupantem terras  
alienas bellum movere; legitimè solutò  
primò matrimonio inire secundas nu-  
ptias &c, Econtra Castropal. *cit.* cum D.  
Thoma 1. 2. *q. 92. a. 2. ad 1. & q.*  
*93. a. 2.* tenet, nullam esse legem *veram;*  
*justam, & rationabilem,* quæ vim obligan-  
di non habeat; quia juris naturalis est;  
debere parère legitimo superiori, quando  
ex potestate; sibi, ut superior est, com-  
petente; constituit legem veram, justam,  
rationabilem cum intèntione obligandi;  
& hoc omnino probabiliùs dicitur, nec  
obstant; quæ in contrarium instantiæ af-  
feruntur. Nam, ut jam notavimus suprà  
de ratione legis non est; nisi ut aliquos;  
seu communitatem aliquam liget; eam  
nempe, quam legislator gravatam vult;  
boni communis intuitu, ut aliquam acti-  
onem præstet, vel omittat; esto eum, in  
cujus favorem ea lex, alios obligans non  
stringat; ut manifestum est in multis, u-  
troque jure. Ex his ad particularia descen-  
dendò

235. Not. 1. legem, qua conceditur; quòd  
in bello justo capti possint in servitutem re-  
digi, non esse legem veram *relatè ad capi-*  
*entem* (sic enim est meræ facultatis, & con-  
cessionis) sed *relatè ad sic captos, & alios;*  
qui prohibentur, ne justum ejusmodi bel-  
latorem in usu sui juris, & facultatis impe-  
diant. Sic Respondetur ad omnes casus;  
quibus

quibus alicuj privilegium, aut facultas aliqua juris dispositione conceditur. Ex hoc sequitur, *per dispositionem* aliquid *permittentem* v. g. (ut evitentur majora mala) eatenus *legem* esse, quatenus gravat, ac obligat alios permittenti subditos, ne permissione utentem perturbent, de quo plura dicam de lege permittente à n. 308. id, quod etiam intelligendum venit de privilegij concessione.

36. Not. 2. leges etiam *merè penales*, esse veras leges. Per has enim inducitur obligatio primùm *in iudices*, ut ubi boni communis ratio postulat, legum transgressores puniant; deinde *in subditos*, ne justæ pænarum impositioni, & executioni resistant. Ad hoc autè sufficit culpa politica, seu civilis; quo salvatur, quâ ratione leges certarum Religionum, quæ in conscientia non obligant ad actum immediatè præscriptum; sed tantum ad subeundam pænâ supposita transgressione, *leges* sint. Quando autem *consilium* in l. *Legis virtus. ff. de legibus*. numeratur inter *leges*; eo loco nomen *legis* sumi latè, pro qualibet regula, operantem, ratione suasiva boni decentis dirigente. Cæterum *consilium* à lege, propriè dicta omnino distingui, diximus à n. 90.

237. Not. 3. Ex eo textu ad Timoth. 1. *justo non est lex posita*; & ad Galat. 5. *si spiritu ducimini, non estis sub lege*. non deduci, nullam humanam legem obligare posse, nisi quatenus declarat legem divinam. Nam eorum verborum sensus alius non est, quàm justos *charitate*, & *spiritu Dei* operari bonum; non autem, timore pænæ; adeoque esto nulla lege alia ducerentur; juxta illud: *oderunt peccare boni virtutis amore*. Cæterum, cum lex non tantum sit, ut metu culpæ, aut pænæ cœrceat hominum voluntates à malo, sed etiam (ut diximus in tract. de Incarnat.) ut præbeat materiam virtutis, & laudabilis meriti, dū voluntate legitimi superioris se conformant, etiam justo, & his, qui Spiritu Dei aguntur, meritò lex posita est.

238. Not. 4. Cùm dicitur, peccatum esse *dictum, factum*, vel *concupitum contra legem Dei*; non excludi legem *humanam*; cùm etiam transgressio constitutionis humanæ consequenter redundet contra legem Dei. Nam, ut rectè dicitur Lucæ 10. *qui vos spernit* (nimirum legitimos suos præpositos)

*me spernit*. Et ideo rectius dicitur, quòd Princeps etiam sæcularis (etsi quòd electus sit, habeat à populo, vel subditis) potestatem regendi subditos, electione suppositâ, immediatè habeat à Deo. Nam *per me Reges regnant, & conditores legum justa decernunt*, ait Dominus Proverb. 8. & Sap. 6. *Audite Reges, quoniam data est à Domino potestas* vobis. Hinc Paulus ad Rom. 13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est*; & quidem ita, ut, si quis tali potestati resistat, Dei ordinationi resistat. Hinc omnino dicendum est, cùm legitimus superior legem constituit, quâ velit ejus transgressionem, legi oppositam, esse prohibitam, eo ipso peccare violatione legis; sic enim resistitur divinæ ordinationi, ut dictum est.

Et quoniam ex lege aeterna Dei tenemur obedire mandato hominis, in quantum præcipientis, vel prohibentis aliquid ex vi potestatis à Deo datæ, & positâ tali lege humanâ, inobservantia hujus, *ab illa* aeterna lege graviter prohibita est, etiam cum jactura aeternæ salutis, rectè colligitur, quòd homo possit præcipere aliquid, vel prohibere aliquid, non *directè* sub pænâ damnationis; sed *indirectè tantum*; quatenus ponit sub lege sua actum, vel omissionem debitam, quâ, culpabiliter non positâ, transgressor, vi legis aeternæ, reus fiat illius pænæ. Unde licet homo non cognoscat ea, quæ geruntur in alterius conscientia; nihilominus ab illo potest alius obligari in conscientia ad positionem, vel omissionem actus externi, cùm talis obligatio non tendat ad ea, quæ in conscientia fiunt, sed ad ea, quæ externè. Nam ut *externè* fiat, quod præcipitur, plurimum præfertim apud ingenuos, & honesti studiosos potest metus culpæ contra Deum, vel componendi omissionem actus debiti cum lege; cùm hoc sit dissonum rectæ rationi.

Ex hoc habetur, eo ipso, quòd scienter quis lædat legem humanam, lædi etiam legem divinam. Nam humanus legislator regit potestate acceptâ à Deo, ut diximus; hinc, cùm ipse legem imponit, Deus obligat, ut illa servetur; & pænâ aeternam illis constituit, qui contra eam graviter agunt. Et ideo non faciendò, quod lex humana præcipit, Dei legem violat de parendo justæ legi constitutæ ab eo, qui ad hoc potestatem à Deo habet, non

non violaturus cæteroquin hanc æternam legem Dei, nisi violaretur lex humana.

§. II.

An lex injusta ex parte rei præceptæ inducat obligationem conscientia?

241. **T**Riplici de causa lex potest esse injusta 1. ex parte rei præceptæ, cum præcipit, quod contrarium est bonis moribus, vel bono communi; 2. ex parte præcipientis, cum in eo deficit potestas ferendi talem legem; 3. ex parte subditorum, quando deficit fundamentum, & ratio, propter quam lex illis imponitur; quo posito: Resp. legem injustam ex parte rei præceptæ, quæ scilicet contraria est juri naturali, & divino, nullam inducere obligationem conscientia. Ratio est, quia hoc ipso non est lex; cum de ratione legis sit, quòd justa sit secundum ordinem rectæ rationis, ut dictum est n. 84. alioquin daretur obligatio ad peccatum formaliter. Idem dicendum venit, quando res præcepta adversatur bono communi, cujus utilitas, & commodum, directè intendi debet à lege, ad hoc, ut lex sit, juxta n. 91. Nam in hoc bono directè quærendo fundatur potestas legislativa, in quantum pollet virtute inducendi obligationem conscientia, nimirum in ædificationem, non in destructionem, & ruinam Reipublicæ, cujus illi regimen à Deo commissum est.

242. Ex hoc colliges, quando constat per legem conditam, seu potius jussionem ejus, qui alijs præpositus est ad illius Reipublicæ conservationem; principaliter, & directè quæri bonum privatum, cum onere, & detrimento communitatis, nullam induci obligationem conscientia in subditos; sic enim eajussio, seu lex, non foret lex; quia non foret justa ex parte rei præceptæ; tametsi aliàs ea res præcepta, etiam à subditis executioni data, non esset peccatum. Idem à fortiori sequitur, quando res præcepta directè tendit ad id, quod bono communi positivè nocivum est; quod frequenter fit, ubi Præpositi locorum condunt leges directè faventes utilitati Potentiorum, amicorum, consanguineorum, vicissim obsequia præstitutorum &c. magno populi, & majoris partis subditorum detrimento; qualiter fit edictis publicis excludendo exteros à vendendis mercibus

Tom. I.

leviori pretio, ut illi patci suas distrahant graviore, & lucrò suo; egenis tantò pretio destitutis &c.

§. III.

An lex injusta ex parte præcipientis inducat obligationem conscientia?

243. **R**esp. negativè; quia lex humana, in quantum inductiva obligationis conscientia, debet procedere à Superiore, quæ tali, hoc est, munito potestate legislativa in tali materia, & respectu talium personarum; ergo dispositio, quæ non procedit à Superiore, quæ tali, non est lex; ergo, ubi talis dispositio est injusta ex parte præcipientis, non inducit obligationem conscientia: excipe tamen, nisi in certis casibus, amore boni communis, hanc potestatem suppleat is, à quo id pendet; qualiter interdum contingit, cum quis occultò laborat impedimentò, propter quod est incapax muneris, & officij, quod gerit, dependenter à quo cæteroquin habenti tale munus legitimè, talis potestas jure competit, de quo agitur in l. Barbarius ff. de offic. Prætor.

244. Ex hoc defectu multæ hominum dispositiones, quas tanquam leges observari volunt, injustæ, consequenter nullæ sunt, & omni virtute carent in conscientia ligandi eos, in quos feruntur. Cujus ratio est, quia nulla jurisdictio extendere se potest ultra limites, ut dicitur l. ult. ff. de jurisdict. omni. jud. Cum enim statutum summat vires à potestate statuentium, per c. à nobis 1. de sent. excommunicat. ubi in disponente, vel statuente non est potestas disponendi, vel statuendi aliquid de tali re, vel in talem personam, dispositio, vel statutum, viribus caret.

245. Et ideo leges sæculares, quæ generatim latae sunt, per se, & ex objecto imponentes onus, seu gravamen, aut derogantes juri acquisito, ad personas, & res Ecclesiasticas se non extendunt; ita Bartolus in l. cunctos populos q. 5. n. 28. C. de SS. Trinitate Andreas Gaill. l. 2. observat. 32. Imola in c. 1. de Summa Trinit. Sylvester V. lex q. 15. Suarez l. de Eccles. immunitate c. 2. 2. & alij communiter. Nam quatenus extendunt se ad personas, & res Ecclesiasticas, injustæ sunt ex parte præcipientis; nimirum defectu potestatis ferendi leges, quibus li-

gentur personæ, ac res Ecclesiastica, utpote *divino pariter, ac humano jure à potestate laicorum exemptæ, ac libera*, ut dicitur *c. quanquam, de censib. in 6.* Nam sicut res sacræ à profanis, spiritualia à temporalibus discreta sunt, ita & potestas Ecclesiastica, ac profana, seu sæcularis sunt diversæ, ac discretæ, *c. duo sunt, dist. 96.* & quidem ea ratione, ut sicut corpus animæ, temporalia aternis, & profana spiritualibus, sic potestas laica, seu politica potestati Ecclesiasticæ cedere, ac subordinata esse debeat, in his, quæ tam profanas, quam res Ecclesiasticas concernunt, ut dicitur *cit. c. duo sunt dist. 96. c. solita 6. de majoritat. c. fin. de reb. Eccles. non alienand.* sed de hoc infra à n. 616.

q. IV.

*An. lex injusta ex parte subditorum inducat obligationem conscientie?*

246. **Q**uæstio est, si ex parte subditorum non subsit, vel cesset fundamentum, & ratio, propter quam illis lex imposita est, nihilominus inducatur, aut maneat obligatio conscientie in subditis ad parendum ei legi? ante resolutionem not. 1. legem eo ipso, quod lex sit, debere fundari in aliqua ratione, quæ legislatori suadeat, boni communis felicem, & tranquillum statum exigere, ut hic & nunc lex aliqua constituatur, præcipiens aliquid faciendum, vel omittendum. Not. 2. in hoc casu frequenter evenire, quod legislatorem ad condendam legem inducat præsumptio juris de aliquo facto, aut delicto particulari, vel saltem de probabili periculo, seu casu communiter contingente. In primo casu dicitur *lex fundata in præsumptione facti, seu casus particularis*; in secundo, *in præsumptione moralis periculi*: seu casus in talibus circumstantijs communiter evenientis; his præmissis:

247. Resp. 1. quando lex fundatur in *præsumptione facti particularis*, ubi constat de falsitate facti, nullam esse obligationem legis. Nam ubi veritas præsumptioni non convenit, cessat, & abest in legislatore animus obligandi, sine quo non stat lex; cum enim ea voluntas inducens obligationem innitatur *suppositioni talis facti*, tanquam fini adæquato, consequenter, si non formaliter, saltem æquivalenter sit

*conditionata*; conditione, & sine adæquato deficiente, nihil ponit in esse; ita Suarez *l. 3. de legib. c. 23. n. 9. & l. 5. c. 24. Vasq. 1. 2. D. 163. à c. 2.* Sayrus *in Clavi reg. l. 3. c. 7. n. 8.* Salas *de legib. D. 10. f. 4. & D. 16. f. 14.* &c. Unde etiam si tali casu superior falsitatem facti, consequenter præsumptionis ignorans, urgeat observantiam legis fundatæ in præsumptione juris *de facto*, vel *delicto aliquo particulari* (quia tamen præsumptioni non subest veritas) subditus ab ejus obligatione immunis est; quia tali casu non est lex *in veritate*, sed solum *in falsa præsumptione*; Sic Castropal. *p. 1. tr. 3. D. 1. p. 14. n. 12.* Aliud est, quod superior imponens legem ex præsumptione facti, non cognoscens, hanc esse falsam, *justè procedat quoad se, & suam conscientiam*; aliud, quod *justè procedat quoad rem*: aliud, quod sufficiat propterea primum ad hoc, ut lege teneatur subditus; ad hoc enim requiritur secundum; quia secus in legislatore voluntas obligandi non est efficax ex dictis.

248. Tametsi autem *præsumptio facti*, etiam probati secundum allegata, sed falso, sit *ocasio ferendi legem*, seu præceptum; non tamen ipsa, sed factum est *ratio finalis præcipiendi*; consequenter, esto illa stet, etiam cum constat de falsitate causæ finalis, non tamen stat lex, quæ unice innititur huic, non illi. Sic si quis à te petat *solutionem debiti*, & hoc coram Judice per falsos testes probet judice solutionem præcipiente, si tamen tibi constet probationum, consequenter præsumptionis de existente debito falsitas, non teneris in conscientia; nam animus obligandi fundatur *in causa finali*, quæ est *veri debiti solutio*, quæ veritate sublatâ lex vera non est; quod confirmatur: nam si quis cum impedimento dirimente re ipsa existente, sed inculpabiliter ignorato, contraxit, ac dein certam notitiam impedimenti, consequenter nullitatis matrimonij acquirat, non potest uti matrimonio, nec tunc quidem, quando judex etiam sub pœna excommunicationis præcipit, ut uxori cohabitaret, præcepto fundato in præsumptione falsa de nullitate impedimenti per probationes in re falsas allegata, ut habetur *c. tua nos, 26. de sponsal.* ubi proposito casu promissi matrimonij, securâ etiam copulâ inter spon-

sponsos (unde in foro externo jure antiquo præsumebatur matrimonium) præsumptio cognitâ veritate rejicienda dicitur; nam eum quandam mulierem quidam aliter inducere nequivisset, ut sibi commiseretur carnaliter, nisi desponsasset eandem: nullâ solennitate adhibita, vel alicujus præsentia dixit illi: *Te Joannes desponsat*: cum ipse Joannes non vocaretur, sed finxit se vocari Joannem: non credens esse conjugium, eo, quod ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet propositum contrahendi, sed copulam tantum exequendi carnalem; Pontifici propositum fuit, utrum inter prædictos sit matrimonium celebratum: cum mulier consenserit in eundem, & ille dissenferit, & dissentiat, nec aliud quicquam egerit, quam superius est expressum, nisi quod cognovit eandem: ad quod respondit Pontifex: quod, cum præfatus vir prædictam desponsaverit mulierem in propria persona, & sub nomine alieno, quo vocari tunc se finxit, & inter eos sit carnalis copula subsecuta: videtur forte pro conjugio præsumendum, nisi tu nobis expressè scripsisses, quod ille non proposuit, nec consensit illam ducere in uxorem, quod qualiter tibi constiterit, non videmus. Nos autem, quod juris sit rescribentes, dicemus, quod *si res ita se habet*, videlicet, *quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari*, cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit, & defuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt fecerit perficere conjugale.

249. Idem colligitur ex c. *inquisitioni* 44. de sent. excommunicat. ubi Pontifex rogatus, an, quando aliquis per allegata, & probata, per Ecclesiam compellitur alteri conjugaliter convivere, id præstare possit, *si certo sciat*, matrimonium esse nullum? respondit Pontifex: in quaestione facta est distinguendum, utrum alter conjugium *pro certo sciat* impedimentum conjugij, propter quod sine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit: an *non sciat pro certo*, sed credat? *in primo casu debet potius excommunicationis*

*sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatū operari mortale*: in secundo distinguimus, utrum habeat conscientiam hujusmodi ex *credulitate levi, & temeraria*, an *probabili, & discreta*, & quidem ad sui Pastoris consilium (conscientia levi, & temerariæ credulitatis explosa) *licet potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale*. Verum cum conscientia pulsat animū *ex credulitate probabili, & discreta*, quamvis non evidenti, & manifesta: *debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet*: ne in alteratro, vel contra legem conjugij, vel contra judicium conscientiae committat offensam, ubi patet non fuisse locum præsumptioni, cujus alia ratio non est, quam quia non tubest præsumptioni veritas. Hinc licet in Rubrica c. *Tua nos* 26. de sponsal. expressè dicatur, quod si alter contrahentium utatur verbis dubijs, animo decipiendi mulierem, & eam postmodum cognoscat carnaliter, ubi solum adest præsumptio affectus conjugalis; judicandum sit pro matrimonio *in foro judiciali: secus in penitentiali*, ubi contra præsumptionem constat veritas. Unde licet in c. *Is, qui*, 3. eod. dicatur, sponsalia de futuro transire in matrimonium, per carnalem copulam subsecutam, ita ut, quamvis hoc videatur matrimonium tantum præsumptum, tamen contra præsumptionem hujusmodi non sit probatio admitenda; intelligitur tamen solum *pro foro fori: non poli*; imò etiam pro foro fori, si constaret de veritate, consequenter præsumptionis falsitate, ut colligitur etiam ex c. *Inquisitionis* 44. de sent. excom.

Resp. 2. quando lex, seu præceptum fundatur in *præsumptione probabilis periculi*, non cessare talem legem, seu præceptum, esto cesset, seu absit periculum in aliquo casu speciali; ita Suarez, Salas, & alij supr. cit. Quia per hoc, quod cesset in casu aliquo particulari, non deficit veritas præsumptionis, *quod ex natura rei generaliter, seu communiter sic contingat*, seu, quod *illud agere, communiter periculosum sit*. Sic lex, quæ annullat dispositionem pupilli, factam sine autoritate Tutoris, stat, etiam si in casu aliquo particulari contingat, eum habere sufficientem maturitatem, quæ requiritur ad validè contrahendum; quia hoc non obstante generaliter verum

manet, in ea ætate communiter non adesse sufficientiam illius iudicij, citra periculum passivæ fraudis. Idem est de professo ante 16. ætatis annum.

251. Tota difficultas est in applicatione utriusque regulæ ad casum particularem, in quo quæritur, an hic, & nunc legi, quæ allegatur, locus sit? Nam etsi sciam *locum esse legi*, etiamsi in casu particulari absit periculum, *si lex lata est ex præsumptione periculi communiter conjuncti, & non esse locum legi, quando fundatur in præsumptione particularis facti, ubi constat de veritate oppositi*: quæstio tamen manet, unde cognoscere valeamus, quòd hæc, vel illa lex fundetur in præsumptione facti particularis, vel periculi generalis?

252. Castropalaus *cit. p. i. tr. 3. D. I. p. 14. n. 13.* resolvit quæstionem allatis exemplis, docens legem, seu juris dispositionem, quæ irritat contractus Minoris, & pupilli sine autoritate Tutoris, & alijs conditionibus requisitis, donationem vxoris factam marito, obligationem dotis, renuntiationem illius, aut legitimæ, confectio- nem testamenti, vel electionem sine solennitate, fundari in præsumptione generalis periculi ex natura rei regulariter intervenientis fraudis, ubi ejusmodi præscriptæ solennitates non adhibentur: e contra dispositionem juris, legem, vel præceptum aliquid statuens propter aliquod particulare factum, vel omissionem, præsertim imponens pœnam, vel positivam, vel privativam illi, de quo jus tale factum præsumit, consequenter pœnaliter disponit, communiter saltem fundari, in præsumptione particularis facti; sic quando Judex per sententiam in iudicio præcipit *restitutionem*, vel *solutionem* faciendam à Titio, quia secundum allegata, & probata Titius *detinet alienum*, vel *contraxit debitum*, præceptum procedit ex præsumptione facti, debiti scilicet reipsa contracti, vel actualis detentionis rei alienæ; quo casu is, cui tale præceptum pœnale imponitur, nullam in conscientia obligationem habet parendi, si certus sit de falsitate præsumptionis, consequenter præcepti, seu legis illi innixæ, ut dictum

est n. 247.

¶(o)¶

§. V.

*An lex pœnalis obliget in conscientia ad actum immediatè intentum?*

253. **C**Asus est, Superior Ecclesiasticus, vel sæcularis præcipit positionem, vel omissionem alicujus actus, & transgressoribus statuit pœnam, vel ipso facto incurrendam, vel saltem facto, seu sententiâ iudicis infligendam. In tali casu dubitari potest, an subditus in conscientia teneatur ponere actum immediatè præceptum v. g. *solutionem debiti*, præstandam sub pœna 100. aureorum, vel sub pœna depositionis verbalis, ita, ut omisâ solutione *verè peccet*; vel solum factâ solutionis omissione contrahat *debitum subeundi pœnam*, non contractâ culpâ conscientia, propter omisâ solutionem?

254. Ante resolut. not. hoc totum pendere ab intentione legislatoris, an voluerit subditum obligare in conscientia, & ad actum immediatè intentum à lege, & ad pœnam in casu transgressionis; vel solum ad pœnam? certum enim est, quòd, ubi necessarium judicaverit, ut obliget ad utrumque, id iuste possit; & si per solam obligationem ad pœnam, finem à se intentum sufficienter obtineri posse, visum fuerit, iuste obliget ad solam pœnam. Hinc tota quæstio est, unde in dubio colligendum sit, quòd lex canonica, vel civilis lata sit intentione obligandi subditum in conscientia ad *utrumque*, an *solum ad pœnam*? pro quo Not. 2. pœnas alias esse *spirituales*, ut sunt excommunicatio, suspensio, interdictum irregularitas in vindictam delicti, depositio, degradatio, privatio Ecclesiasticæ sepulturæ &c. quasdam merè *temporales*, eujusmodi sunt pœnæ pecuniaria, confiscatio bonorum, carceratio, exilium, infamia, mutilatio, mors &c.

Not. 3. quasdam pœnas esse, quæ supponunt necessariò *culpâ Theologicâ*, seu conscientia, hoc est peccatum contra Deum, imputabile delinquenti, & punito, vel puniendo, causâ delicti. Tales pœnæ sunt omnes censuræ, & plurimæ aliæ pœnæ Ecclesiasticæ, quæ infligi non possunt, nisi Reo peccati. Etsi autem pleræque pœnæ Ecclesiasticæ supponant peccatum grave; id tamen non procedit universaliter; fallit enim in excommunicatione minori, & in



& in suspensione non totali; v. g. solum ad unum actum, & pro una vice &c. distinguendum etiam est inter penas, quæ supponunt peccatum grave, an sint *late sententia*, nimirum, ut incurrantur ipso jure; vel etiam *ferenda*, nimirum post sententiam Judicis, quibus positis:

256. Resp. 1. ex hoc, quod delicto imposita sit *pœna spiritualis*, bene colligi, præceptum, vel legem pœnalem obligare ad utrumque nimirum, & ad actum immediatè intentum à lege, & ad pœnam. Nam omnes pœnæ spirituales, per legem constitutæ transgressoribus, supponunt culpam Theologicam, seu conscientia, commissam contra legem, quæ talem pœnam statuit ipso jure; ergo necesse est, quod lex obliget in conscientia ad positionem actûs immediatè intenti, si positiva sit; vel ad omissionem ejus, si sit negativa, ut tenet communis cum Suarez *l. 4. de legib. c. 18.* Sanch. *l. 6. c. 4. n. 49.* Bonacin. *D. 1. q. 1. p. 7. §. 4. n. 49.* Salas de legibus *D. 10. f. 9.* ex quo sequitur leges Ecclesiasticas, quæ transgressoribus imponunt pœnas spirituales, nec esse *merè præceptivas*, quæ obligent ad solum actum immediatè intentum à peccato, absque pœna; nec *merè pœnales*, quæ obligent ad solum pœnam, quin obligent ad actum immediatè intentum sub peccato: sed esse *mixtas*, nimirum in conscientia obligantes, & ad actum immediatè intentum, & ad pœnam, suppositâ transgressione legis.

257. Resp. 2. quando lex sive canonica, sive civilis transgressoribus statuit *pœnam solum temporalem*, non æquè convenire Doctores. Nam aliqui docent, tali casu legem esse *merè pœnalem*, quoties pœna solum est temporalis, nec aliud legislator exprimit. Hanc sententiam late probat Navarrus in summa *c. 23. à n. 55. & l. 1. consiliorum, consil. 3.* Eandem tenet Valentia in *1. 2. D. 2. q. 5.* tanquam probabilem, cum Diana *p. 1. t. 10. resol. 20* Mathæo de Moya in *questionibus selectis Theol. moral. tr. 6. D. 4. n. 22.* qui pro eadem, tanquam probabili, plurimos alios refert ibid. Idem sentit Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 1. p. 15. n. 12.* Nam ad rectam gubernationem necesse non est, sub culpa mortali præcipere; cum sufficiat culpa politica, vel civilis. Et ideo etiam Escobar *Theol. mor. tom. 1. l. 5. f. 2. c. 7.* probat. 26. pag.

164. quia legislator, inquit, qui ad pœnam temporalem, & æternam potest obligare, si solius meminit temporalis, non videtur intendisse obligare ad æternam; imò quando pœnæ spiritualis, & temporalis facit mentionem, ad solum temporalem obligare, ex sua intentione; docent non pauci. Priorem partem defendit etiam P. Henricus Herdinck *cit.* ut probabilem in *M. S. de legib. p. 19.*

Alij e contra docent, semper esse indicium gravis obligationis, etiam ad actum immediatè intentum à lege, non obstante, quod imponat pœnam solum temporalem, quoties ejusmodi leges eduntur in gravi materia sub verbis graviter præceptivis, nisi aliunde constaret, legislatorem velle tantum sub veniali obligare; sic de Moya *cit. D. 4. q. 3. §. 5. n. 28.* cum Vasquez *1. 2. D. 159. c. 2. n. 10.* Thomas Sanch. in summa *tom. 2. l. 6. c. 4. n. 60.* Becan. *Granad. &* alijs, quorum ratio est, quia, quando legislator utitur verbis graviter præceptivis in materia gravi, quin addat pœnam, colligimus, quod intendat obligare in conscientia graviter; ergo etiam, cum addit pœnam; hæc enim non infert defectum intentionis obligandi, sed legislatorem ardentius intendere legis adimpletionem; ita illi; his præmissis:

259. Resp. dicendum *ex hoc præcisè*, quod commisioni, vel omissioni alicujus actûs statuta sit *pœna merè temporalis*, non rectè argui, à legislatore præceptum, vel prohibitum esse talem actum, immediatè præscriptum à lege, *sub obligatione conscientia*, nisi aliunde intentio legislatoris constet, vel colligatur; sic Castropalaus *cit. n. 12.* & apud eum Navarr. *cit. c. 23. à n. 57.* Reginald. *l. 15. n. 50.* & alij. Nam ratio legis salvari potest in obligatione conscientia *ad pœnam*, suppositâ culpâ; etiam solum politicâ seu civili, per commisionem, vel omissionem actûs sub temporali pœna debiti; ergo, ubi ratio boni communis non exigit obligationem conscientia *pro actu* per legem immediatè intento; ac ejus bono debite consultitur metu solus pœnæ; nec legislator exprimit animum obligandi in conscientia, etiam in actu immediatè ordinato per legem, non est, unde colligamus voluntatem, ac intentionem ejus imponendi obligationem conscientia ad utrumquè. Confir.  
lex

lex alternativa, quæ scilicet vel formaliter vel æquivalenter petit, vel positionē alicujus certi actus, vel solutionem pænæ, si committitur actus, non obligat determinatè ad actum; sed leges, quæ imponunt pœnam merè temporalem transgressoribus, saltem æquivalenter sunt hõc modò alternativæ; ergo non obligant determinatè ad positionē talis actûs: min. prob. 1. ab exemplo aliarum legum, quæ petunt vel non fieri actû, vel petere licentiam faciendi actum, sic ut si neutrum fiat à subdito, sit reus culpæ; 2. omnis conditionata, saltem æquivalenter, est alternativa; sic lex, quæ, si quis luserit aleã sine licentia superioris, statuit multam 10. aureorum, conditionalis est, & pœnam exigit, si quis luserit sine licentia; resolviturque, seu æquivalet huic: *vel non lude sine licentia*; vel, *solve multam*; quæ alternativa est; sed sic se habent ejusmodi leges imponentes transgressorib<sup>9</sup> pœnam temporalem, nisi aliud exprimat legislator, quòd velit utrumque; contra illum enim, qui potuit aliter dicere, & non dixit, interpretatio justa fit; ergo.

260. Dixi: non rectè colligi animum *obligandi in conscientia ad actum immediatè ordinatum à lege, ex hoc præcisè*, quod transgressioni statuatur *pœna temporalis, etiam gravis*. Nam in hoc conveniunt cum hac opinione non tantùm authores primæ sententiæ in n. 258. licet contrarium sentiant Suarez, Sanchez, Bonacina, & complures alij apud Castropal. cit. n. 11. saltem in casu pænæ mortis &c. verùm ratio conclusionis (n. 259.) valet etiam in hoc casu.

261. Dices tamen 1. cum his; illæ graves pœnæ temporales debent esse justæ; hoc autè non fieret, si non supponerent culpam gravem in commissione, vel omissione actûs imediatè à lege ordinati, vel præscripti. sed Resp. dist. maj. nisi supponerent culpam, vel Theologicam, vel politicam, seu civilè, quæ scilicet consistit in deordinatione perfectionis debitæ, secundum ordinem alicujus Reipublicæ, quam importat commissio, vel omisio libera conc. simpliciter Theologicam neg. cum enim Legislator, si vellet, posset non obligare sub culpa Theologica per talem legem, ut dictum est; non necessariò supponit culpam Theologicam ea pœna apposita; sic distinctà minore neg. conseq.

Confirmari potest exemplo communitè recepto, quod affert Castropal. cit. n. 12. Nam custodibus murorum in bello lex imponi potest de vigilia in bello, sub pœna vitæ, quin ex vi hujus legis ad custodiam graviter obligentur in conscientia. Unde Navarr. cit. nihil speciale, inquit, reperitur *in pœna mortis, & mutilationis*, ratione cujus culpam mortalem debeat necessariò supponere. Hinc aliud est, talem, qui committit, vel omittit actum sub pœna mortis prohibitum, & sic exponit se gravis mali periculo, *peccare in conscientia, contra legem naturalem* per commissionem, vel omissionem talis actûs; aliud, quòd *contra illam legem humanam, & pœnalem*. Nam hanc obligationem ad ejusmodi actû nec exprimunt verba legis illius humana; nec arguit impositio pænæ.

Ratio hujus est ulterior. Quia, si pœna temporalis necessariò argueret obligationem conscientiæ ad actum immediatè ordinatum, esset ex eo, quòd temporalis pœna necessariò supponat culpam conscientiæ contra talem legem Reipubl. tanquam aliquid necessarium ad defensionem sui juris, at hoc fallit, cum æquè, imò frequenter magis salvum stet jus Reipublicæ metu solius pænæ temporalis, quàm culpæ Theologicæ; cum notum sit illud: *oderunt peccare mali formidine pænæ*. Deinde sic *omnis lex pœnalis foret mixta*, quòd tamen multi negant, volentes nullam pœnam temporalem, nisi mortis, & mutilationis esse indicium sufficiens, quòd legislator in conscientia voluerit obligare ad plùs, quàm solam pœnam, ut videri potest apud Castropal. cit. n. 11.

Dixi 2. in n. 259. *ex sola pœna temporali, etiam gravi*, non haberi sufficiens indicium, quòd lex obliget in conscientia ad actum immediatè ordinatum à lege, nisi *aliunde mens legislatoris constet*. Unde quæstio est 1. an saltem eo casu sit sufficiens indicium obligationis conscientiæ ad utrumq; , quando legislator utitur *verbis præceptivis, & simul injungit transgressoribus pœnam temporalem*? quæ autem verba sint propriè præceptiva? dicemus à n. 273. Responsio verior affirmat, nisi consuetudo legitima obtineat contrarium. Supponendum autem nos loqui de verbis præceptivis, *immediatè directis ad ipsum actum, directè ordinatum à lege*, v. g. *solutio-*

lutionem veltigalium &c. Nam verba præceptiva significant, quòd præcipiens intendat eum obligare, cui præcipit, ad illud præstandum, ad quod immediatè dirigitur præceptum; ergo si immediatè dirigitur ad ipsum actum directè ordinatum à lege, significat, quòd præcipiens intendat eum obligare, cui præcipit, ad actum directè ordinatum à lege; ergo est sufficiens indicium, quòd intendat obligare non ad solam pœnam, sed ad hanc, & simul ad actum immediatè ordinatum à lege, quando transgressoribus imponit pœnam temporalem non utcumque, sed utendò simul *verbis præceptivis immediatè directis ad ipsum actum directè ordinatum à lege*; ita Sanch. l. 6. in Decalog. c. 4. n. 60. & plures alij, quos citat, & sequitur Castropal cit. p. 15. n. 8. Dixi autem, nisi consuetudo legitima obtineat contrarium; hæc enim est optima legum interpretis, ut dicitur c. cum dilectus de consuetud. & l. minimè ff. de legib. Confirmari potest ex eo, quia si Legislator prohibens, vel præcipiens aliquem actum, non comminandò, vel statuendo pœnam aliquam transgressoribus, rectè colligimus, ipsum actum esse sub obligatione conscientie, quando materia potest sub tali obligatione constitui, & Legislator utitur verbis *præceptivis directè de ipso actu*; sed appositio pœnæ sub iisdem verbis præceptivis directè de ipso actu, non mutat verba, & eorum significationem; ergo etiam in hoc casu indicant obligationem conscientie de ipso actu.

265. Pro solutione contrariorum not. 1. concedi, quòd non debeant subditis imponi leges, & onera, præsertim conscientie, sine necessitate, sic aestimata à prudenti, ac Deum timente Legislatore cui cordi sit bonum commune; quando autem talis Legislator condit legem cum pœna temporali, simul & verbis præceptivis immediatè directis ad ipsum actum à lege directè intentum, est sufficiens indicium, inferendi eum aestimasse necessitatem obstringendi non tantum ad pœnam, sed ad ipsum etiam actum legis; multos enim cohibet metus peccati contra conscientiam, quos non cohibet metus pœnæ temporalis.

266. Not. 2. licet Legislator sciat probabilitatem sententiae, docentis universaliter, leges, quæ præcipiunt, vel prohibent aliquid sub pœna temporali, obligare in con-

Tom. I.

scientia solum ad pœnam, & non ad actum immediatè præscriptum, nec eam probabilitatem intendat tollere; exinde tamen non sequi, subditos esse absolute, sed tantum probabiliter deobligatos; quò non fit, oppositum esse probabilius, ac verius; nec semper locum esse, cuicumque probabilitati, prout revera multi abutuntur.

Not. 3. etsi verum sit, consuetudinem esse optimam legis interpretem; & Navarrus in Summa c. 23. à n. 55. & alibi, dicat, consuetudine receptum esse, quòd ejusmodi leges habeantur, ut merè pœnales; quia tamen alij Doctores (ut diximus n. 264.) negant hanc consuetudinem, ubi tales leges feruntur *sub verbis præceptivis*, ex illis nihil omnino certi, aut majoris probabilitatis concludi potest pro sententia nostræ opinioni contraria.

Not. 4. concedi, quòd legislator humanus non possit directè (secus indirectè) obligare ad pœnam æternam; & transmitti, quòd ubi ex duobus propositis unum conceditur, & alterum tacetur, censeatur exclusum, quòd tacetur, juxta c. Nonne, de præsumpt. sed ex hoc tantum sequi, quòd, quando legislator humanus transgressoribus legis statuit pœnam temporalem *absque verbis præceptivis* immediatè directis ad actum directè præscriptum à lege, ipsum intendere solum obligare ad pœnam; non autem, si secus.

Not. 5. cum dicitur, antiquos legislatores, & Principes seculares, imponendo leges sub pœna temporali, nihil cogitasse, aut curasse de obligatione conscientie: posse dupliciter responderi, & 1. contra utentes hoc argumento, inferendo, ergo nec ad pœnam est obligatio conscientie; quòd tamen non admittunt. 2. id immeritò dici, quando usi sunt *verbis præceptivis*, immediatè directis ad ipsum etiam actum directè ordinatum à lege; alias verba significassent obligationem ad actum, sine animo obligandi ad actum; quòd de illis non rectè dicitur. Unde etiam, cum dicitur: in dubio obligationis, & pœnatum, mitiorem interpretationem esse faciendam, admitto datam regulam, sed nego, quòd, quando legislator utitur *verbis præceptivis* de ipso actu immediatè, adsit dubium obligationis; nam supra quòd immediatè cadit præceptum, supra id im-

mediatè cadit obligatio, ut constat ex confirmatione in n. 259.

270. Quæstio est secundò, an sit sufficiens indicium, quòd legislator intendat obligare in conscientia non tantùm ad pœnã, sed etiam ad ipsum actum immediatè à lege ordinatum, quando non utitur verbis præceptum significantibus, *de ipso actu, sed indifferentibus?* Resp. negativè, & dico, tali casu esse obligationem conscientie ad solam pœnam, atque adeò legem esse merè pœnalem. Ratio est, quia, cum legislator potuerit significare, quòd intendat obligare in conscientia etiam ad ipsum actum immediatè ordinatum à lege, & tamen non fecerit, justè præsumitur contra illum, quòd noluerit obligare in conscientia ad actum, sed solùm ad pœnam transgressoribus statutam; hoc tamen intellige, *secusã consuetudine mentem ejus aliter declarante*; sic Azor p. 1. l. 5. c. 6. q. 5. Sanchez l. 6. in decal. c. 4. Suarez de legib. l. 5. c. 4. n. 9. & alij. Ex quo infert Castropal. cit. p. is. n. 10. Si lex dicat: *ordinamus*, ne aliquis è regno pœnias, vestes, vel arma extrahat, *sub illorum amissione*; talem extractionem non prohiberi præcepto, vel lege rigorosã (nimirum prohibente illam extractionem sub obligatione conscientie) sed tantùm transgressores subijciente pœnis, nimirum illorum amissioni, *taliter*, quòd vi, & armis eorum exactioni, & acceptioni resistere non possint.

271. Quæstio communiter etiam est hoc loco, an vectigalia justa debeantur in conscientia, si lex pœnam imponat non solventibus? negativam sequitur Navarrus in Summa, c. 23. n. 60. Angelus V. *Pedagogum* n. 6. & omnes, qui tenent indefinitè legem humanam, quæ transgredientibus statuit pœnam temporalem, non obligare in conscientia, nisi ad solam pœnam, de quibus sermo fuit à n. 257. Castropal. tamen p. 1. tr. 3. d. 1. p. 15. n. 13. *¶ Ex hoc*, sequitur affirmativam non tantùm, quando verbis præceptivis immediatè directis ad solutionem vectigalium lex fertur (quia præceptum est de re justa, & debita Regi) sed etiam quando *per verba indifferentia*, non quidem in vi legis humanæ, sed in vi legis naturalis, determinatæ per illam ordinationem, & decretum Principis. Nam jure naturali tenentur subditi

ad Principis sustentationem concurrere; quo autem modo debeant concurrere, assignat Princeps suo decreto, ergo tali assignatione factâ debentur illi vectigalia; sic ille.

In data quæstione judico valde probabiliter sustineri eam sententiam, quæ in conscientia obligat ad solutionem vectigalium, quæ justa sunt, quando Princeps legem fert *verbis præceptivis immediatè directis ad eorum solutionem; non autem quando verbis solùm indifferentibus*, hoc est, non præceptivis immediatè directis ad eorum solutionem. Ratio primæ partis est ex n. 264. ratio secundæ est ex n. 270. quia etsi jus naturæ obliget subditos, ut concurrant ad sustentationem Principis eo modo, quo ipse ordinaverit; quia tamen potest hoc ipsum ordinare dupliciter. 1. ut sine ulteriori culpa conscientie in omissione solutionis, subeant pœnam confiscationis, ubi non solverint; atque adeo obligando in conscientia solùm ad pœnam, non ad culpam; 2. obligandò in conscientia ad utrumque, ex lege naturali neutrum determinatè concluditur; sed solùm alterutrum, prout scilicet ipse voluerit, tanquam expediens communi bono; ubi autem utitur verbis solùm indifferentibus, rectè arguitur, non voluisse obligare in conscientia, & sub peccato ad utrumque, ut diximus n. 270. & tenet ipse Castropal. cit. num. 10. ergo. Cujus ulterior ratio est; quia cæteroquin etiam in eo casu, quo ipse Castropalaus (ut constat ex n. 270.) concedit esse obligationem solùm ad pœnam, dici deberet, & pœnam, & omissionem extractionis mercium, esse debitam sub obligatione conscientie, non quidem in vi legis illius humanæ, sed naturalis determinatæ per illam humanam. Nam jure naturali tenentur subditi Republicæ concurrere ad huius conservatõe; quo autem modo debeant ad hoc concurrere, assignat is, qui reipublicæ præest; ergo tali lege posita in conscientia debetur reipublicæ non tantùm pœna, si lex violatur, sed etiam non extractio v.g. armorum vetita sub tali lege; sed hoc non rectè sequitur juxta dictum authorem in n.

270. quando lex utitur verbis solùm indifferentibus; ergo nec illud.

## §. VI.

## De verbis exprimentibus naturam legis.

273. **I**N hac materia magnus omnino fons est dubitationum. Nam etsi frequenter constet de verbis legem exprimentibus; plura tamen in dubitationem veniunt, 1. an verba sint *præceptiva*, aut *vetantia*; an solum *hortativa*, *consiliativa*, an importent obligationem conscientie ad ipsum actum à lege immediatè ordinatum, an ad solam pœnam? &c. item esto sint præcipientia, vel prohibentia, an eo ipso obligent sub culpa gravi, ex hoc præcisè, quòd verba sint graviter prohibentia? vel quòd sint de materia secundum se gravi? vel imponant transgressoriù pœnam gravem &c. Pro resolut.

274. Not. 1. ex dictis n. 234. certum esse, quòd legislator tam civilis, quàm Ecclesiasticus, obligare possit in conscientia suos subditos; quia obedientie præceptum, vel potius obligatio obediendi, est non tantum juris humani, sed divini. Nam ad Roman. 13. v. 2. dicitur: *qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Item 1. Reg. 3. *Non te abjecerunt, sed me.* Ex quo clarè sequitur omnes leges humanas obligare in conscientia; quia ipsarum transgressio non est tantum offensà respectu Principis hominis, sive legislatoris humani: sed etiam DEI, adeoque necessariò lædit transgressoris conscientiam; ita communis cum S Thoma 1. 2. q. 96. a. 4.

275. Not. 2. in dubio, utrum verba legislatoris sint *consilium*, an *lex*? reputanda consilium; ita Sanchez l. 6. in decal. c. 4. n. 26. & 62. similiter, quando de veniali obligatione possunt intelligi, non debere ad mortalem extendi, juxta Sanchez loc. cit. ex vulgato axiomate, *quòd in dubio pro subditis sit judicandum*, ne scilicet graventur certò, ubi dubium est de lege posita.

Not. 3. verba, quæ ex communi Doctorum consensu legem affirmativam significant, esse sequentia: *præcipio, jubeo, impero, mando*: Quæ verò negativam, regulariter hæc: *prohibeo, inhibeo, veto, interdico*; ita Sanchez cit. n. 3. sed Sà V. *lex*, quem sequitur Azor in præfenti, putat verba *jubeo* vel *mando*, non importa-

Tom. I.

re gravitatem præcepti. Alia superioribus æqualia sunt, *teneantur omnes, obligentur omnes, nemini liceat*, & generaliter omnia, quæ necessitatem important: Sanchez cit. n. 38. Verum in his ipsis multi doctorum variant; quare

Not. 4. quòd, etsi verbum, *debet*, juxta 276. communiosem importet necessitatem, seu præceptum; quandoque tamen solum *debitum* honestatis, & decentie. Prima pars probatur pluribus juris utriusque textibus à Barbosa, de diction. usu frequent. dict. 77. à n. 1. & constat ex c. *Proposuit*, 24. §. *Super quo*. de appellat. ubi dicitur, quòd judex, à quo appellatur (quia appellanti omnino suspectus est) *non debet* cum ad respondendum super alijs compellere. Idem habetur in c. *oblatæ*, 57. §. *Superior quog.* ibi: potest, *imo debet* Superior Judex, ad quem fuerat appellatum, terminum providè moderari, ne gregi Dominico diu desit cura Pastoris.

277. Secunda pars etiam probatur. Nam 1. ubi verbum *debet* dirigitur ad personam, cujus favore profertur, non significat necessitatem, vel præceptum; sed tantum debitum honestatis, & decentie; cum enim possit renuntiare favori sibi concessò, eo ipso non est debitum præcepti, ut colligitur ex L. *Cum Pater*, 79. §. *mando*. ff. de Legat. 2. junct. Gloss. V. *Juri*. Secundò, quando subiecta materia repugnat, non importat necessitatem, seu præceptum, sed debitum solum decentie, ut diximus l. 4. tit. 1. quod verum est, quamvis addatur dictione *omnino*; ubi enim materia, in quam præceptum cadere deberet, præcepto repugnat, eo ipso legislator nolle præcipere meritò præsumitur; ita Sanchez l. 4. de matr. D. 23. n. 2. Abbas, Felinus, & alij apud Barbos. cit. n. 6. Et hoc etiam verum est in casu, quo si significaret præceptum, resularet absurdum, vel alicujus juris correctio, juxta L. *Prætor*, ff. de edendo. Imola in Clementin: *Attendentes, de statu Monach.* n. 7. & alij

278. Tertiò: quando verbum *debet* jungitur particule, quæ importat consilium (ut cum dicitur: *humiliter debet*) non necessitatem, sed decentie debitum importat; quia tunc à proprietate suæ significationis per adjunctum terminum distrahitur. ita Sanch. l. 6. *summe c. q. à n. 36.* Gloss.

in c. 1. dist. 6. V. *humiliter*. Similiter particula *non licet* non significat semper prohibitionem gravem, esto assumatur à Concilio generali; sic in Concilio Altifiodorenfi can. 15. dicitur: *non licet mortuum supra mortuum mittere*; & can. 18. *non licet presbytero in Ecclesia stare, dum Misse dicuntur*; & tamen non est graviter prohibitum. Quintanad. *singul. tr. 2. singul. ult. n. 3.* Unde idem tenet (quando ly *non potest* invenitur in jure, vel Pontificali) non induci propterea nullitatem actûs. Nam, cum dicitur, *non potest quis justificari, nisi prius fuerit peccatum confessus*, non significatur nullitas; cum possit per contritionem. Aliquando autem idem est, ac, *non decet, non expedit, non oportet* &c. Quintanad. *tr. 2. singul. 7. n. 4.* ubi docet validè patrum agere in confirmatione, qui confirmatus non est.

279. Verbum *oportet*, variè etiam sumitur. Nam interdum excludit *judicij arbitrium*, ut habetur *L. Verbum oportere 37. ff. de Verb. Signif.* Interdum accipitur pro *consentaneo, & opportuno*, ut testatur *Rebuff. V. Idem dicerem*, apud Pereyram in Elucidario de legibus l. 1. *elucid. 9. n. 223.* quandoque importat *necessitatem*, seu *præceptum*, teste Valentia 1. 2. *D. 7. q. 7. p. 6.* quæstiunc. 2, quandoque solam *decentiam*, ut tenet *Salon. 2. 2. q. 77. a. 1. cant. 8.*

280. Verbum *admoneo* non inducit *mandatum* per *L. Idemq. §. si quis ea, quæ. ff. mandati.* Verbum *monco* solùm importat *concilium*, *Vasq. 1. 2. q. 96. a. 4. D. 158. c. 3.* Si autem dicatur: *moneas, & inducas*, non indicari præcisam coactionem, nec per hoc dari potestatem compellendi, vult Pereyra *cit. n. 223.* Subjungens verbum *statuimus* esse novi juris inductivum, juxta *c. statuimus de offic. delegat. in 6.* interdum autem significare rem perfectam, & habere vim sententiæ definitivæ juxta *Gloss. V. statuimus, in c. Cum ab uno*, de sent. & re judicat. in 6.

281. De verbis imperativi modi dubium est, an absolutè prolata præceptum contineant? Sunt autem hujusmodi: *facite, caveate, solvite, abstineant omnes, nemo audeat.* Emman. Sà *V. Lex. n. 6.* docet, ea solùm importare obligationem sub veniali: *Sanchez cit. in decal. l. 6. c. 4. n. 39.* judicat in similibus standum regionis con-

fuetudini; quòd si neque de ea constet, docet recurrendum ad materiæ gravitatem, & necessitatem; quæ, si existimetur à legislatore ponderata, censenda erunt verba graviter præceptiva. Et hoc est probabilius; quia in decretis Concilij; & Pontificum, uti habetur in *Clement. Exivi, de verb. signif. §. Item* ex hujusmodi verbis cum materiæ gravitate conjunctis bene colligitur gravitas præcepti, argumento ducto à legibus canonicis ad civiles; ita *Castropal. tom. 1. tr. 3. d. 3. p. 9.* de legibus.

Dices: Alexander VII. die 18. Martij, 1665. ut scandalosam damnavit opinionem asserentem: verba Concilij *Trid. sess. 13. c. 7. quàm primum confiteatur*, non esse præceptum. Hinc P. Matthæus de Moya in *qq. select. Theolog. moral. tr. 6. d. 4. q. 3. §. 5. n. 33.* opinioni, principio, prioris numeri traditæ, non audeat ad hære. Verùm hæc non adversantur doctrinæ de verbis imperativi modi traditæ. Nam ratio præcepti non eruitur in præfenti casu ex solo verbo *confiteatur*, quod est imperativi modi; sed ex materia substracta, quæ in sumpturo sacram Eucharistiam de necessitate requirit animum non conscium peccati gravis, consequenter exigit ejus delectionem per Sacramentum pœnitentiæ, quod est medium (quoad nos) securius, & communius ad statum gratiæ.

283. Inter verba, quæ sui naturâ, nec præceptum important, nec præcepto acquipollent, numerat Sanchez l. 6. *decal. c. 4. n. 40.* & Pereyra *cit. n. 224.* sequentia: *monemus, hortamur, intendimus, ordinamus, statuimus, constituimus, innovamus, volumus, decernimus, sancimus.* Et per hæc, ait Pereyra, si ponantur, quin aliunde materiæ gravitas, vel superioris intentio appareat, nullius culpæ obligationem imponi; cujus ratio est; quia dum non constat subdito, actum à legitimo superiore suo esse præceptum, vel vetitum sub obligatione conscientiæ; omissione, vel positione talis actûs non violat subjectionem suo superiori debitam; sed in dato casu nec ex verbis, ut ponit casus, nec ex materiæ gravitate, nec aliunde constat superioris intentio; ergo.

284. Ex his tandem concluditur, cum tota vis humanæ legis, *saltem radicaliter*, pen-

pendeat à voluntate legislatoris, qua posita jus naturale subditos stringit ad ei parendum rectè quidem colligi, superiorem velle obstringere in conscientia, quando utitur *verbis præceptum importantibus*, vel ex natura sua, vel ex recepto jam usu in tali Provincia: non tamen rectè concludi universaliter ex solis illis verbis præceptivis, eam obligationem, vel *esse gravem*, ut constabit ex dicend. in seq. vel esse determinatè *de actu, per legem immediatè ordinato, seu prescripto*. Nam quando præcipitur, vel prohibetur aliquis certus actus, vel simul imponitur transgressoribus pœna legalis, vel non? si non? actus immediatè ordinatus à lege cadit sub obligationem conscientia in casu, quo lex utitur verbis præceptivis, tunc enim ratio præcepti externè significata, in aliud cadere non potest, expressum à lege. Sin autem simul imponit pœnam Spiritualem, quæ necessariò supponit culpam conscientia; saltem indirectè, actus immediatè ordinatus à lege, cadit sub obligationem conscientia; cum pœna, quæ tunc directè imponitur, statui non possit in dato casu, nisi propter culpam contra conscientiam, ut ponit casus: si denique pœnam solùm temporalem? & non utatur verbis præceptivis, *directis ad actum immediatè ordinatum* à lege, tunc obligationem conscientia, significatam verbis præceptivis simul, & pœnalibus, non esse determinatè de ipso actu immediatè ordinato à lege, sed duntaxat de pœna, constat ex dictis; ergo ex hoc, *quòd lex utatur verbis præceptivis*, non rectè infertur universaliter obligatio conscientia *de actu immediatè ordinato à lege*

285. Concluditur 2. quòd, licèt superior aliquid ordinet, & utatur verbis vel formaliter, vel æquivalenter præceptivis, etiam directis ad actum immediatè prescriptum per eam superioris ordinationem, non semper sequatur, cum actum esse sub obligatione conscientia sic, ut transgressio sit peccatum, si scilicet aliunde constet, superiorem non intendere subditis velle imponere obligationem conscientia, ut contingit in multis Religionibus, quarum leges, & regulæ (quantum est ex ipsis) non obligant sub peccato etiam veniali.

286. Concluditur 3. quandoque fieri, quòd superiores utentes verbis communibus (ni-

mirum nec formaliter, nec æquivalenter præceptivis) addant alia pariter non præceptiva, quæ tamen ex communi, & recepto jam usu, superioris voluntatem præceptivam sufficienter indicant; atque aded quoties Superior sic mentem suam declarat, intelligendum, *verè præcipere*. Unde si dicat legislator: *ordinamus in virtute obedientia, in virtute Spiritus sancti, sub interminatione pœna aeterna, sub comminatione indignationis SS. Apostolorum Petri, & Pauli*, semper censendum esse verè præcipere.

Concluditur 4. posse ex statutis particularibus communitatum particularium usurpari verba rigorosè præceptiva, nec tamen continere rigorosum præceptum. Unde si quis diceret in Societate JESU *præcipio, impero, mando*: & non adjungeret, *in nomine JESU, in virtute Spiritus sancti, vel in virtute S. obedientia*, non censeretur graviter præcipere. Si tamen relictis prioribus diceretur: *mando sub excommunicatione, vel sub interminatione pœna aeterna*; putat Thomas Sanch. *cit. in decal.* fore grave, & rigorosum præceptum. Hanc exceptionem, quam facit Societas, fecerunt antecedenter plures alia Religiones. Unde præter illa, quæ sunt juris communis, recurrendum in similibus ad municipalia, quæ si defuerint, standum est in jure communi.

Concluditur 5. omnino credendum, 288. verbum *præcipio*, seu *præceptum* usurpatum in jure canonico, vel civili, semper importare aliquam obligationem conscientia, nisi ejus significatio ex aliquo adjuncto minuat. Plures hujus rei probationes affert Cardenas *in Crisi Theol. tr. 3. de legibus D. 24. à n. 5.* sufficiat ea, quæ suggerit Clementina *Exivi de verb. signific.* Nam cum Clemens fuisset consultus, quæ regulæ Franciscanae obligarent graviter, quæ non? respondit, quòd, quæ significantur voce *præcepti*, aut *æquivalenti*, importent obligationem gravem, nimirum supposita gravitate materia. Sic enim textus ait: *apertè discrevit, quòd quoad quaedam ipsorum ex vi verbi transgressio est mortalis, & quoad quaedam alia, non; cum quoad quaedam ipsorum verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem; & quoad aliqua verbis alijs sit contentus*, nimirum Legislator. Unde sic arguitur: quando

quando legislator utitur verbo *præceptum*, vel *ei æquipollente*, ex vi illius verbi, significatur obligatio conscientie, & quidem gravis attenda materia gravitate, ut declaravit Pontifex in *Clement. Exivi*; ergo verbum *præcipio*, seu *præceptum*, ex vi *nativæ significationis suæ*, quam habet ex communi jam, ac naturali usu suo, in jure importat aliquam obligationem conscientie, nisi ex aliquo adjuncto illius significatio minuatur.

289. Dixi 1. *Ex vi nativæ significationis suæ*, quam nimirum habet ex institutione sua, communiter jam recepta; licet accidentaliter in communitatibus privatis ex declarata legislatorum voluntate ejusmodi verbum sumatur infra significationem suam nativam pro obligatione, seu debito solius decentie, ac honestatis, nimirum absque obligatione peccati, ut diximus n. 285. Dixi 2. quod verbum *præcipio*, seu *præceptum*, quo legislator utitur, *semper importet aliquam obligationem conscientie*. Nam et si Cardenas cit. velit hoc universaliter intelligi, ut, quoties legislator utitur eo verbo, significetur obligatio conscientie, & non solum obligatio *pœnalis*, consequenter etiam *moralis* ad ipsum actum sub lege positum; hoc tamen universaliter admitti non potest. Nam in casu, quo apponit pœnam transgressoribus temporalem, & utitur verbis præceptivis (si hæc non dirigantur ad actum immediate præscriptum a lege) important solum obligationem conscientie ad pœnam juxta dicta sup. non autem ad actum immediate positum sub lege, ut diximus loco cit. Dixi 3. *nisi ex aliquo adjuncto minuatur ejus significatio*. Certum enim est, terminos ex adjuncto aliquo syncategoremate, vel alio termino, ex materia substrata, vel ipso etiam contextu, vel clausulis appositis, à propria quandoque significatione distrahi, ampliari, alienari, ut constat ex his, *homo moritur, justus peccat, &c.*

290. De verbo *statuo* extat etiam speciale capitulum, quo Clemens III. *c. In ijs. 15. de verb. signific. in casu*, ubi dubitatum fuit: an verbum *statuo*, vim sententie inter partes habeat? dubitationem resolvit. Cum enim in quadam controversia inter partes A & B definienda, Archiepiscopus Mediolanensis post causæ cognitionem, in prolatione sententie, non fuisset usus his verbis: *talem partem condemno, vel talem partem ab-*

*solvo*: sed ita pronuntiasset: *ita statuo, & præcipio*, dubitatum fuit: an ea sententia esset firma? cum verbum *statuo* non videatur habere vim sententie?

Rescripsit Pontifex Clemens III. ut vult Gonzalez; aut Coelestinus III. ut notat Wagnereck ad dictum *c. In his*, vel, ut alter vult, *In ijs*, hæc formâ: *Nos attendentes*, quod hoc verbum *statuo*, secundum legem, rem perfectam significat, & cum effectu, non verbotenus accipitur (nimirum in eo casu) ite secundum Gregorium, quod præcipitur, & imperatur; & quod imperatur, necesse est fieri; & aliquando si non fiat, pœnam habet: considerantes nihilominus, quod juxta eundem Gregorium, *non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem, & intentionem; quia intentio non debet verbis deservire, sed verba intentioni*: interpretamur in præfati articulo, & definimus, quod præfati Archiepiscopi verba, tali formâ prolata, *perpetuo valituræ sententie obtineant firmitatem*.

291. Ex quo textu colligitur 1. quod sententia definitiva debeat continere abolutionem, vel condemnationem, ut dicitur 2. q. 6. c. *Ei, qui*; L. *omnium Judicum, C. de sent. & interloc.* hanc autem sufficienter contineri, si exprimitur per verba æquipollentia, ut in textu cit. per verba: *statuo, & præcipio*; de quo plura Gonzalez in cit. c. 15. *de Verb. signific. n. 2.* Colligitur 2. an verbum *statuo* importat præceptum, an non? non tam definiendum nudo ipsius verbi, aut vocis spectato cortice, sed potius spectatâ intentione loquentis, cum huic verba deservire debeant, non econtra; quod maxime etiam obtinetur, si consideretur materia substrata cum suis circumstantijs, ut casus explicat in hoc textu; & hoc in materia legum præcipuum est, ut stet intentioni ferentis legem.

#### §. VII.

*An, cum verba legis sunt graviter præceptiva, recte colligatur obligatio gravis.*

292. Quæstio est 1. an verba mentem legislatoris indicantia, si sint graviter præceptiva, sola sufficiant ad inducendam, vel cognoscendam gravem obligationem?



tionem? Verba graviter præceptiva sunt: *in virtute Spiritus Sancti, in virtute obedientiae, in virtute juramenti, vel voti facti; sub pœna præstiti juramenti, in nomine seu virtute JESU, sub interminatione gehenna, sub pœna maledictionis aeterna, sub pœna indignationis, vel maledictionis DEI, sub obtestatione divini judicij &c.* His nonnulli addunt verba præceptiva sub gravi, pœna non tantum spiritali, sed etiam temporalis v. g. *mortis, mutilationis, perpetui exilij &c.*

293. In hac quæstione videtur *ex solis verbis graviter præcipientibus* nec induci, nec cognosci gravem obligationem, seclufa gravitate materiæ. Nam graviter præcipere aliquid, non graviter necessarium ad finem, quem respicit potestas legislativa, est iniquum, & irrationabile, ac extra limites potestatis legislativæ; quia foret non in ædificationem, sed destructionem, & ruinam. Hinc rectè ait Gibalin. de sacra jurisdiction. *disquis. 2. q. 2. n. 6. quamvis superior milites prohibeat leve mendacium, aut verbum otiosum, etiam in virtute sanctæ obedientiæ, non idcirco, qui leviter mentitur, aut verbum otiosum profert, peccabit mortaliter.*

294. Gravitas porro rei præceptivæ non debet sumi ex re præcepta secundum se, sed ex fine, quem comparare intendit præcipiens; sic Gibalin. *cit. q. 5.* Finis autem, qui medio ex se indifferenti, aut admodum levi, gravitatem asserre potest, ille est, qui bonum commune primario, & per se spectat; bonum autem privatorum, non nisi secundario. Duæ etiam circumstantiæ juxta Suar. *D. 18. de censur. f. 3. n. 18.* gravitatem addere possunt, *scandalum, & periculum peccati mortalis* in quo hominem constituunt; sed intellege periculum proximum.

295. Ex dictis colliges, solam legislatoris voluntatem, ex verbis legem exprimentibus agnitam, non posse esse gravis obligationis sufficiens indicium; patet ex defectu potestatis re levi graviter præcipiendi, quam juxta magis communem non habent legislatores humani, fortè nec habere possunt, propter materiæ incapacitatem; Sanch. *in decal. l. 1. c. 4. n. 4.* consequenter ad dignoscendam gravem obligationem utrumque necessario requiri: *gravitatem materiæ, & legislatoris voluntatem agni-*

*tam, quæ licet non possit materiam levem graviter præcipere; potest tamen gravem leviter.* Not. tamen, quod si contra clara verba, gravem obligationem exprimentia, velis ferre judicium prudens, & practicum *de levi obligatione*, debeat tibi de levitate materiæ *evidenter constare*; quia in dubio non est spoliandus superior suam possessione; Sanch. *loc. cit. n. 3.* in fine, & ex illo P. Henricus Herdinck *in M. S. de legib. supra cit.*

Quæstio est 2. an, quoties adest gravitas materiæ, & legislatoris præcipientis voluntas agnita, toties adfit sufficiens judicium gravis obligationis ad actum immediate positum sub lege? Negativam complures sequuntur. Docent enim nullas leges tam civiles, quam Ecclesiasticas, pœnam temporalem imponentes, obligare sub mortali, nisi id expresserit legislator, ut notavimus à n. 257. ubi retulimus hujus sententiæ defensores; quibus positus.

296. Cum per ea, quæ præmissimus, constet, *ex solis verbis graviter præceptivis*, non rectè argui gravem obligationem ad actum immediate positum sub lege: nec *ex sola gravitate pœnae temporalis* statutæ transgressoribus, nec etiam *ex gravitate pœnae temporalis, & verbis graviter præceptivis*, si hæc non dirigantur ad actum immediate præscriptum à lege: quoties legislator in materia gravi utitur verbis graviter præceptivis, *immediate directis ad actum sub lege positum*, etiam si statuat transgressoribus pœnam solum temporalem, esse sufficiens signum gravis obligationis non tantum ad pœnam, sed ipsum etiam actum; secus, si verba, licet sint præceptiva, non dirigantur ad actum immediate positum sub lege. Ratio primæ partis est; quia tunc adest *præceptum directè circa actum*, ut ponit casus; præceptum autem propriè importat obligationem conscientie ex n. 288. ergo tunc adest obligatio conscientie directè circa actum; sed quando materia directè præcepta est gravis, & graviter præcipitur, est obligatio gravis; ergo cum utrumque concurrat in dato casu, etiam si transgressoribus statuat pœnam temporalem, obligatio conscientie erit gravis non tantum ad pœnam, sed etiam ad actum directè positum sub lege. Ratio secundæ partis est; quia si verba præceptiva non diriguntur ad actum, non est, quod externe

ternè significet in legislatore intentionem obligandi conscientiam *ad actum*; ut dictum est n. 270.

## §. VIII.

*De obligatione non apponendi, vel removendi obicem implenda legis.*

298. **Q**uæstio est, an quis peccet, dum apponit obicem, seu impedimentum, vel illud non removet vel, si prævidet, eo stante se non valiturum implere legem, quam aliàs deberet? Peccari quandoque in tali casu, certum videtur. Nam ex communi doctorum sensu, peccat obligatus ad horas canonicas, si breviarium, quod habet, liberè, ac sine omni causa justa comburat, prævidens, se cras non habiturum aliud, consequenter non valiturum persolvere pensum horarum ceteroquin debitum: non tamen peccari *semper*, etiam certum videtur; nam excommunicatus non peccat, non procurando absolutionè ab ea censura, esto prævideat, se non valiturum audire sacrum eo die, quo aliàs eà remotà deberet; nec opifex tenetur abstinere à labore sibi conveniente, licèt prævideat, se illo stante non valiturum satisfacere præcepto jejuniij. Ex hoc sequitur non posse admitti hanc doctrinam, quæ *indefinitè*, ac *universaliter* docet peccari, quoties impedimentū apponitur executioni præceptæ, vel impedimentum jam appositum non tollitur, vel apponendum non removetur. Nam hoc fallit in multis casibus, ut colligi potest in exemplis jam allatis.

299. Dices: superior præcipiens finem, simul præcipit media necessaria; sed inter media necessaria est non apponere, vel jam appositum impedimentum executioni præceptæ remove; ergo, qui hoc non facit, peccat. Sed hoc argumentum à Theologis non admittitur. Nam fallit in multis, seclusà distinctione. Deus enim efficaciter vult, & præcipit poenitentiam de peccato, quin velit, aut præcipiat præviam existentiam peccati, licèt sit medium unicè necessarium ad poenitentiam, deletivam peccati; idem est de pœna damnatorum, quæ non stat sine impœnitentia finali; & tamen illam DEUS efficaciter vult, quin velit efficaciter istam. Hinc dicunt, quando quis efficaciter intendit finem, non requiri, quòd e-

tiam efficaciter velit medium unicè necessarium, quando prævidet aliunde futurum sub conditione, quam habet in sua potestate, ac purificat intendendò finem. Sed his prætermisissis.

Resp. ad argumentū dist. maj. Superior præcipiens finem, simul præcipit media, *ea voluntate, qua vult finem*, transl. secus neg. ma. hinc *transseat*, quòd, ubi finem præcipit absolutè ac simpliciter, etiam absolutè ac simpliciter præcipiat media; hoc tamen negatur, ubi finem præcipit solum sub conditione, seu ex suppositione, quòd subditus sit expeditus, seu non justè impeditus in talibus circumstantijs ad ponendum finem. Nam ubi est justa ratio non ponendi, vel non removendi certam circumstantiam, non præcipit non positionem, vel remotionem talis circumstantiæ; sic, ubi necessitas infirmi exigit præsentiam Petri quà stante hic die festo nequit adesse sacro, præcipiens auditionem facti, Petrum non obligat ad subtrahendam infirmo suam præsentiam.

Difficultas est, quæ leges, vel præcepta *per se loquendò*, simpliciter, & absolutè præcipiant finem, consequenter appositionem mediij unicè necessarij, & remotionem impedimenti impossibilis cum executione legis vel præcepti? Resp. talia esse præcepta, seu legem naturalem; sic Castropal. p. 1. tr. 3. D. 1. p. 21. n. 2. Nam obligatio, quam importat jus naturale, nascitur ex ipsis rebus ex se, & antecederet ad omne jus positivum, consonis, & dissonis naturæ rationali, quà tali, ac primæ regulæ omnis honesti: ergo non potest esse limitata ad hoc, vel illud mediū ponendum; aut hoc, vel illud impedimentum removendū; sed necessariò extendit se ad omne medium unicè necessarium; & quodvis impedimentum impossibile cum executione finis præcepti: quamvis non immerito dici possit, etiam jus naturale non accipiendum de actu, vel omissione actus sub quacunque circumstantia; cum sæpe contingat, in certis circumstantijs licere, quod in alijs jure naturali non licet: secus autem dicendum est in jure, seu legibus, & præceptis positivis; nam hæc non obligant cum tanto rigore: sic quia *mentiri*, & *odisse D E U M*, jure naturali vetitum est, nec vitæ periculum excusat ab obligatione *non mentendi*,

endi, vel non odio habendi DEUM seclusio errore; secus tamen est in præcepto positivo audiendi sacrum, jejunandi; nemo enim die festo tenetur audire sacrum; aut die jejuniij abstinere ab esu carnijs, si per hoc subiret vitæ periculum, prudenter existimatum, inde nasciturum.

302. Quæstio tamen ulterior est, quæ sint illa media, ad quæ ponenda; vel impedimenta, ad quæ removenda obligant, vel non obligant leges, aut præcepta positiva?

Resp. Sanch. l. 1. in decal. c. 15. n. 4. & Salas l. 2. q. 71. tr. 13. d. 2. f. 9. à n. 117. hanc obligationem desumendam esse ex modo, quo quodlibet præceptum receptum est. Hanc responsionem ex parte approbat Castropal. cit. n. 3. dicens: in præceptis, & legibus positivis, eorum mediorum appositionem esse sub obligatione, quæ per se, & natura sua necessaria sunt ad illorum executionem, ac eorum impedimentorum omissionem, vel remotionem, quæ per se, ac naturâ suâ obstant illarum executioni. Quoad reliqua verò servandum id, quod fert consuetudo, & modus, quo ejusmodi leges, & præcepta in usum deducta sunt.

303. In prima parte hujus regulæ omnino judico, eam rectè procedere quoad media per se necessaria; vel impedimenta per se obstantia, quando ea apponi, hæc omitti possunt, ubi non suffragatur causa sufficienter excusans ab earum positione, & istorum remotione; consequenter in casu, quo moraliter (spectato nimirum judicio prudenti, ac peritorum in materia, de qua ponenda, vel removenda queritur) possibilia sunt subdito. Sic surgere de lecto, adire templum, tempore, quo erit sacrum ex obligatione audiendum, est medium per se necessarium, consequenter per se præceptum lege audiendi sacrum, quoties adest causa excusans in ijs circumstantijs, à positione illorum mediorum, vel appositione impedimentorum, quibus stantibus ex natura rei actus præceptus executioni dari non potest. id ipsum tamen limitari debet ad omissionem medij, vel appositionem impedimenti, quo fit, ne præceptum executioni possit dari, quando contingit, vel jam urgente præcepto, vel saltem cum est in proximo, ut urgeat. Nam eo casu apponere impedimentum naturâ suâ impediens executionem, fou-

implerionem præcepti, aut legis urgentis, prohibitum est; puta, si die, quo audiendum foret sacrum, te committeres ludo, somno, aut alteri actioni non necessaria, cum sacri auditione impossibili, prævidens futurum, ut inde sacri auditio impediatur; secus dicendum est, ubi præceptum nec actu urget, nec in proximo est, ut urgeat; ita Castropal. cit. n. 3. d. dixi, cum Sanchez, salas, & alijs. Nam in hoc casu ista impedimenta non sunt, nisi remota.

304. Quoad alteram partem de appositione, vel non remotione impedimentorum, quæ quis apponit, sciens impeditum iri finem, ac executionem præcepti, actu, vel in proximo urgentis, non est illicitum ea apponere, vel remove, quæ jam est recepta consuetudine, vel modò, quo certæ leges receptæ sunt, pro apponibilibus, licitè habentur, licet alioquin necessaria non sint; quia Legislator tali casu non imponit præceptum cum extensione ad finem v. g. jejuniij in ejusmodi circumstantijs. Ex communi enim Doctorum consensu agricolæ, fabri lignarij, vel ferrarij, & alij, toto die graviter labore corporali defudantes, non obligantur ad abstinendum ab ejusmodi labore (licet divites sint, nec tali die illo labore ad alimenta familiæ, aliave domus suæ onera indigeant) quamvis prævideant, se titulo fatigationis ad conservandas, vel restaurandas vires, non valituros implere legem jejuniij. Dixi: si talis actio, vel exercitium corporis, aut etiam animæ (v. g. studium in docendis, vel addiscendis literis, concionando &c.) in numero eorum exercitiorum sit, ad quorum circumstantiam leges se non extendunt; quod tandem reducitur ad eam regulam, jus positivum, sive prohibens, sive præcipiens, non extendi ad casum in circumstantijs, in quibus adest iusta causa, subditum eximens ab observantia legis; ut cum sunt tales circumstantiæ, quibus stantibus prudenter, ac merito præsumi potest, legislatorem à subdito in præsentis statu, & talibus circumstantijs constituto, non exigere positionem, vel omissionem actus, illis seclusis cæteris ex obligatione ponendi, vel omittendi. Talis tamen censeri non debet, appositio impedimenti, quæ fit in fraudem legis, nimirum de invidiâ, & animo cluden-

di vim legis; cum nemini fraus sua patrocinari debeat. Casus videtur esse, si quis *precise*, ne teneatur ad abstinentiam à secunda refectioe in quadragesima v. g. susciperet exercitium aliquod corporale, tantæ quandoque fatigationis, quantam subeunt mechanici prosequentes operas suas; si id fieret, secluso omni alio honesto fine, comparatione cujus illud exercitium haberet rationem medij.

## ARTICULUS VIII.

## De Actibus legis.

305. **Q**uatuor actus legi proprios communiter numerant Authores, juxta *L. legis virtus*: ff. de legibus, ubi Modestinus ait: *Virtus hæc est, imperare: vetare, permittere, punire*. Ex hoc inferunt Doctores cum D. Thoma 1. 2. q. 92. a. 1. nullam esse legem, quæ saltem aliquo modo, & ratione vel non *imperet*, vel non *vetet*, seu prohibeat, vel non *permittat* aliquid faciendum, vel factum *non puniat*; Sic Azor p. 1. l. 5. c. 5. q. 5. Suarez de leg. l. 1. à c. 15. quos citat, & sequitur Castropalaus p. 4. n. 1.

306. Loquendò autem de lege *imperante* & *vetante* not. 1. licet imperans actum aliquem præstandum, eo ipso etiam, saltem indirectè prohibeat omne aliud incompossibile cum existentia actus, per imperium intenti; adhuc tamen *imperare*, ac *vetare*, seu prohibere, inter se differunt. 1. quia lex imperans (quam alij etiam vocant *præceptum affirmativum*, seu positivum, sumendò *præceptum* non strictè, prout diximus superius; sed latè pro lege generaliter) directè intendit *positionem alicujus actus*; & *vetans*, seu prohibens (quam alij vocant *præceptum negativum*) directè intendit *omissionem actus*, Præceptum enim positivum, seu *affirmativum* est, quod directè (nimirum ex fine, quem immediatè respicit) præcipit positionem actus; *negativum*, quod directè intendit alicujus actus omissionem. Et ideo etiam leges aliæ sunt affirmativæ, aliæ negativæ: illæ præcipiunt actus humani exercitium, istæ prohibent. Harum tamen distinctio in praxi malè colligitur ex vocabulis, quibus proferuntur: rectè ex objecto, in quod legislator directè fertur. Unde licet lex affirmativa etiam prohibeat, quid quid est in-

compossibile cum actu, quem intendit; consequenter ejus omissionem petat; id tamen solum exigit *indirectè*, quatenus directè quarit positionem actus. Hinc licet in rigore quælibet lex, verè ac propriè aliquid *imperet*, nimirum positionem vel omissionem actus; hoc ipsum tamen imperium ex fine directè quæsito esse aliud affirmativum, quando intendit alicujus actus humani positivum exercitium; aliud negativum, si ejus omissionem, sive puram, sive positivam.

Ex hoc colliges: in quæstione, *an lex aliqua, vel præceptum sit affirmativum, vel negativum? de qualitate judicium esse ferendum ex fine per legem, vel præceptum directè quæsito*; non autem ex verbis, quibus voluntas, & dispositio legislatoris effertur, aut enuntiatur; sic, licet omnis actus intellectus sit intellectio, alia tamen est affirmativa; alia negativa. Hinc sequitur, istam legem, vel præceptum: v. g. *die festo non omittes sacrum* (licet effertur verbis, seu propositione negativâ) nihilominus esse affirmativum; quia finis ejus directè intentus, est positio alicujus actus, nimirum auditio sacri; & hoc (*abstinebis à mendacio, blasphemia &c.*) esse negativum; esto effertur propositione affirmante; quia finis ejus directè quæsitus, est ommissio mendacij, blasphemix &c.

Pro lege *permittente*, not. licet alicui aliquid *permittere* non inducat obligationem, quâ teneatur is, cui permittitur; inducere tamen obligationem in alios, ne facientem id, quod sibi permittitur, impediant, vel propterea puniant. Hinc si, quod alicui permittitur, est bonum, prohibentur alij, ne ipsum in ejus usu impediant; si verò sit malum, inhibentur Judices, ne, si faciat, propterea puniant. Ex hoc colliges: dispositionem superioris, qua subdito aliquid *permittit*, non esse legem, in quantum respicit eum, cui fit aliqua permissio; sed in quantum respicit alios, quos obstringit, ne in actu permisso alterum impediant, aut (si malus, sed permissus est) propterea puniant; quod tamen intellige de illis, qui permittenti subditi sunt; aliàs enim eos lege suâ, alteri aliquid permittente, non posset obligare; cum nulla detur jurisdictio in non subditum.

Advertendum præterea, esse discrimen

men inter *permittere*, & *dispensare*, *commutare*, & similia. Nam *permissio* non tollit obligationem legis, si sit ad actum malum prohibitum, sed datur, cum quis violat legem *impune*: dispensatio autem datur, quando legis obligatio, completens personas hujus communitatis, ab hac persona tollitur, & manet circa reliquas. *Commutatio* autem fit per translationem obligationis v. g. si relaxetur jejunium, cum onere, illius locò, dicendi rosarium. Similiter *dare licentiam*, *interpretari*, *abrogare*, *derogare*, & similia inter se differunt. Nam *licentia*, seu facultas, latius patet, quam dispensatio; quamvis enim omnis dispensatio sit licentia, non tamen e contra, Religiosus enim non valet exire domo, *sine licentia*, quando tamen ei licentia datur, non dispensatur in lege, sed potius completur modus operandi præscriptus in lege, ut nemo exeat *sine licentia*. *Interpretari* legem, non est tollere obligationem, sed declarare illam in hac circumstantia non obligare. *Suspendere* nec est legem tollere, nec obligationem ejus; sed solum effectum ejus suspendere ad tempus. *Derogare legi*, est auferre eam in perpetuum, non in totum, sed solum quoad partem; *abrogare* autem est auferre legem in perpetuum quoad totum, postquam vim obligandi adeptam est; hinc legem impedire, & cassare, ne robur obligandi consequatur (ut si Princeps legem constitutam à civibus, indigentem ipsius Principis confirmatione, non confirmet) est *legem irritare*. sic Pereyra *cit. à n. 212.*

310. Adverte 2. *Permittere* apud latinos idem esse, ac *sinere tolerare*, *concedere*: sed apud Juristas *permittere* tripliciter accipitur, ut notat Sylvester V. *permittere n. 1.* Nam 1. quod nullo jure prohibitum est, permissum dicitur; sic contrahere secundas nuptias, permissum est. *c. Hæc ratione 31. q. 1.* deinde, quando contra humanas constitutiones aliquid indulgetur: v. g. contrahere in quinto gradu. *c. quodam, 35. q. 3.* Demum quando permittitur illicitum, ut vitetur id, quod est magis malum, & illicitum. v. g. permittitur adulterium, ut vitetur homicidium. *c. Si quod verius. 33. q. 2.*

311. Adverte 3. *Permissionem contra legem*  
Tom. I.

esse triplicem: 1. dicitur *permissio simplex*, quæ indulget pœnam, sed non culpam, qualis est permissio meretricum ad vitanda majora peccata, *c. denique, dist. 4.* Altera *removens impedimenta*; qualiter Ecclesia permittit ritus Judæorum, prohibens Christianis, ne illos impediunt, propter bonum inde sequens, ut habetur *c. qui sinceram, dist. 45.* Demum *coadjuvans*, ut contingit, cum Ecclesia permittit Clericum occidi justè à Judice Laico, seu seculari, cum degradandò, & tradendo, juxta *c. degradatio de Pœnitent. in 6.*

Ex hoc infertur distinctio inter *permissum*, & *concessum*. Nam *concessum*, in moribus, dicitur, ut opponitur *prohibito*; ac idem valet, atque *licitum*; quid quid nec in jure canonico, nec in jure civili reperitur expressè prohibitum, *c. qui spirituale. 3. q. 4. & L. Nec non 2. quod ejus ff. Ex quibus causis Majores*; de quo videri etiam potest Barbo *in axiomat. juris, axiomat. 46.* quæ propterea hic afferre volui, ex Pereyra *cit. à n. 209.* ut propria horum terminorum significatio noscatur, & inde tam legum, quam sacrorum canonum expositio ritè ac sine confusione fieri possit ex mente legis, expressâ verbis scriptæ legis.

Circa *legem punientem* not. *punire*, 313. prout est actus legis, significare idem, ac *imponere*, vel *infligere* pœnam, quo significatur delictorum debita coercitio, vel satisfactio, quæ à lege, vel à ministris legis, aut legis ministerio imponitur, per Azon, *in summa de pœnitent. & L. si pœna ff. de pœnis. Lex enim punit, & vindicat*, quod quisque commisit *c. Pœnitentia, dist. 3. de pœnitent.* Hinc lex pœnalis obligat Judices ad executionem pœnæ per legem statutæ, seu punitionem; subditos autem ad hanc sustinendam. Not. autem *pœnam*, aliquando esse *taxatam* in lege, diciturque *legalem*; aliquando autem non, sed committi arbitrio Judicis, & tunc dici *arbitrariam*; ita Sanch. *l. 6. Consil. moral. c. 1. dub. 21. n. 1.*

Ex hoc fit, quod Judex inferior non possit totaliter remittere pœnam legis 1. quia cum & ipse sit legibus subjectus, non potest in illis dispensare; hæc autè cogunt Judices, ut illas exequantur 2. quia sic, vel parti læsæ, si quæ sit; vel Republicæ

blia facit injuriam, & anam dat delicta perpetrandi. S. Thom. 2. 2. q. 67. a. 4. Sotus l. 5. de Just. q. 4. a. 4. Hoc tamen limita, ut non procedat de supremo Judice; hic enim potest, ex causa justa, in lege sua dispensare: intellige tamen, non pro libitu suo, sed quando pars læsa remittit, & inde reipublicæ damnum non sequitur; Sanch. cit. n. 3. Felin. c. qualiter. q. ad corrigendas de accusat. limita 2. ut non procedat in casu, ubi est *justa causa* pœnam minuendi; tunc enim etiam Judex inferior eam mitigare, seu minuere potest; Covar. l. 2. Variarum. c. 9. n. 8. Sanch. cit. D. 21. n. 10. patet ex L. quid ergo. q. pœna gravior. ff. de his, qui not. infam. L. Et si severior. L. si Possidonium. C. Ex quibus causis irrog. infam.

315. Justa verò causa est *etas*, ut pueritia, vel auxilium. q. In delictis. ff. de minorib. Item *senectus*. L. Divus. ff. de termino mort. 2. *paupertas*, quando pœna est pecuniaria. L. Illicitos. q. ult. ff. de offic. praesid. 3. *doli defectus*, quando scilicet non ex deliberatione, nec consilio, sed subita animi passione, vel dolore commissum est delictum L. Absentem q. ult. ff. de pœnis. 4. quando est *consuetudo* non mala, sed legitime præscripta. c. Cum contingat, de foro compet. c. Inquisitioni. de accusat. &c. plures vide apud Sanch. cit. Verùm hæc intellige ante sententiam latam, quâ Judex Reum condemnavit ad aliquam pœnam. Judex enim inferior non potest eam minuere, si pœna illa sit in lege taxata, siue arbitraria; Quia jam officio functus est. L. Quod jussit. ff. de re judicat. Bart. in l. 1. ff. Si quis jus dicenti. n. 14. Excipe crimen hæresis, per c. Commissa 34. de elect. in 6.

316. Quamvis autem *punire* sit proprius actus legis, non tamen idem est de *premio*; nam licet collatio præmij aliquando procedat à Superiore ferente legem, ut rectè notat Castropal. cit. tr. 3. disp. 1. p. 4. n. 3. non tamen requiritur necessariò; ut præmium à Superiore sicut punitio procedat; cum aliquando possit procedere à non Superiore, vel æquali, sicut consilium. Quare præmij collatio non est necessariò actus legis propriè dictæ.

317. Dices: omnis actus legis propriè dictæ, est sub obligatione; ergo actus, qui non

sunt sub obligatione, non sunt actus legis propriè dictæ; sed inhabilitatio *personarum*, vel *irritatio certorum actuum*; imò præscriptio multorum, quæ continentur in Rubricis missæ, Breviarij, & similibus non ponit actum, cui imponitur inhabilitas, vel nullitas, sub obligatione; nam talis inhabilitatio, vel irritatio afficit etiam ignorantes, quod non verificatur, ubi actus est sub obligatione; ergo tales actus non sunt actus legis propriè dictæ; contra id, quod diximus n. 305. Resp. trans. antec. cum sua conseq. N. subsumptum, quoad inhabilitationem, & irrationem; nam de Rubricis dicemus à n. 1310. ad probationem ejus. Resp. quod lex inhabilitans aliquem v. g. *ad contrahendum*, duo præstet. 1. quod obliget eum ad non faciendum talem actum, nisi servatâ præscriptâ formâ; 2. quod tollat omnem juris dispositionem, si qua sit, quæ actui valore in tali foro tribuit sine illa celebrato. Unde fit, quod, si ignorans utrumque juris effectum celebrat contractum, omisâ tali formâ, immunitis sit à culpa; non autem ab inhabilitate, vel actus celebrati nullitate; quia ignorantia non facit *personam* habilem; cum non faciat, quod detur lex tribuens valorem actui sic celebrato, nec tollat carentiam legis habilitantis personam, vel validantis actum, quod tamen esse deberet, ut actum poneret *validè*, cum ignorantia prohibitionis.

Ex hoc idem etiam respondetur ad dispositionem, directè irritantem certos actus. Nam si *fieri actum sine forma*, quæ præscribitur, vetat, & simul tollit omnem aliam ejusdem fori dispositionem, vi cujus antè validus erat, rectè dici potest dispositio legalis, seu habens vim legis, & ponens ejusmodi actum sub obligatione, vel non ponendi sine tali forma, vel non ponendi validè, hoc est, ne ab alijs in tali foro pro valido recognoscatur, & habeatur; de quo V. Suarez lib. 1. de legibus, c. 17. n. 10.

## ARTICULUS IX.

### De materia Legis.

Cum omnis lex debeat esse *justa*, ut diximus n. 83. & seqq. necesse est, quod sit de actu, consequenter materia, saltem mate-

materialiter, seu fundamentaliter bona, & honesta, nimirum ordinabili ad finem virtutis; cum finis legis sit subditos facere bonos, nimirum *directivè*, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 2. a. 1. Et ratio ulterior est, quia, cum lex præscribat agenda, vel omissenda, si aliud, quàm bonum agendum, aut malum vitandum præscriberet, nec iusta, nec rationi consona foret, ut rectè notat P. Martin. Becanus tom. 1. tr. 3. de legib. q. 3. n. 4. quia tamen bonum commune Reipublicæ humanæ postulat, ut leges positivæ, illi præscriptæ, accommodatæ sint humanæ conditioni, ac imbecillitati; omnino conveniens est, non omnia, etiam mala minima *humano jure* prohiberi, ne nimia legum humanarum coactione homines in majora prolabantur. Et quamvis omnia mala, etiam minima jure naturali. & divino prohibeantur (cum utrumque attendat, quod unicuique individuo convenit, id tamen à lege humana fieri non oportebat; cum hæc attendat, quod *conveniens sit communitati*; si enim omnia jure naturali, & divino vetita, etiam humano vetarentur, transgressor dignus fieret pœnâ apud Deum, & hominem, quod fragilitati hominum foret nimis grave, non autem, si secus.

320. Nec obstat, quòd multæ leges sint, quæ gubernationi politicæ attendant potius, quàm morum honestati (quales sunt leges de præscriptione, tuentes possessorem bonæ fidei contra verum rei dominum; negantes actionem de fraudato infra dimidium &c.) ex quo videtur sequi, non requiri, quòd materia legis *præcipiens* sit actus honestus; vel *vetantis*, actus turpis; præsertim cum etiam actus indifferentes præcipi, aut vetari possint: non, inquam, obstat; nam illæ ipsæ leges respiciunt actus fundamentaliter bonos nimirum ordinabiles ad commune bonum reipublicæ; ne scilicet maneant incerta rerum dominia; ut caveantur tot lites inter communitatis membra, ut domini juribus suis diligentius invigilent, &c. id, quod etiam responderetur ad alterum, quod dicitur de actibus indifferentibus, si qui dentur; cum & illi ad rectos fines ordinari possint, adeoque præcipi; vel prohiberi, si ad malos.

321. Ex dictis colliges 1. quòd, licet leges non tantùm Ecclesiasticæ, sed etiam civiles, debeant esse de bono faciendo, & ma-

lo vitando, relatè ad finem; quem natura talis legis respicit nimirum salutem æternam, vel temporale, ut dictum est superius: esse tamen discrimen aliquod in hoc ipso inter eas leges. cum enim finis legum Ecclesiasticarum sit *spiritualis*; civilium, *temporalis*: illarum quoque materia spiritualis esse debet, nimirum vel formaliter, vel habilitate, seu aptitudine ad eum finem; civilibus sufficiente materia temporali. Illæ enim præcipiunt, vel prohibent certa quædam objecta, quatenus conducunt, vel impediunt, homines à fine supernaturali; istæ verò solùm, quatenus à fine temporali, qui est recta gubernatio, & felix Reipublicæ status: his præmissis:

## §. I.

An actus interni possint esse materia legis humanæ?

Cum omnis lex humana præcipiens 322. versetur circa externum aliquem actum ponendum *modo humano*, consequenter *directè*, ut objectum intentum respiciat exercitium actus humani, actus autem humanus præter actum externum necessariò importet aliquem actum internum: quæstio est inter Doctores, quinam actus interni ex mente legislatoris conjuncti esse debeant actui externo præcepto, qui illum in ratione objecti medij constituent, quo legi à subdito, positione actus præcepti, satis fiat.

Pro resolutione not. 1. multorum esse 323. sententiam, eos internos actus ex mente legislatoris esse conjunctos actui externo præcepto, qui illum in ratione *veræ virtutis* necessitate medij constituunt; probant 1. *ex c. dolentes, de celebr. Missarum*, ubi præcipitur officium divinum *studiosè & devotè* recitari. 2. Ecclesia potest præcipere *verum actum orationis*; sed hic non erit *talis*, nisi simul præcipiat omnes illos actus internos, qui actum virtutis Religionis constituunt. 3. quia nisi hæc sententia vera esset, posset quis præcepto Ecclesiæ per meras simulationes satisfacere; ita Suarez l. 4. de legib. c. 13. n. 6: cum multis alijs gravissimis Doctoribus, dum agunt de obligatione divini officij quoad actus internos.

Not. 2. ab alijs doceri, illum actum 324. inter-

internum esse conjunctum cum externo præcepto, qui necessitate mediæ necessarius est, ut actus externus præceptus *in esse physico externo, integer, sicut præcipitur, liberè & humanò modò ponatur*; ita Coninck p. 3. q. 83. à n. 291. alijsque complures v. g. Ecclesia præcipit *recitationem divini officij*, ad quam, ut sit actus humanus, requiritur, quòd *velim illud legere, vel dicere, & ex hac voluntate* procurem attentionem internam, quæ ad singulorum vocabulorum perfectam pronuntiationem est sufficiens. Nam sine his actibus internis, non potest *in esse reali* poni externa *recitatio intenta* divini officij, liberè, & humanò modò.

325. Nota 3. hanc secundam sententiam à prima distingui, quòd hæc (præter proximè dictos actus internos) requirat etiam internam devotionem, & internum DEI cultum, distinctum à supradictis, quod negat Coninck; unde consequenter docet, ab Ecclesia non posse *præcipi actum internum, nisi indirectè*, quatenus scilicet necessarius est, ut existat liberè, & humanò modò actus externus, prout præceptus est. his præmissis,

326. Quæstio est, an legislator humanus potestatem habeat prohibendi actus internos? quæ quæstio tripliciter intelligi potest 1. de actibus merè internis, non necessariò conjunctis actui externo. 2. de mixtis ex internis, & externis, & hoc cum distinctione, vel quatenus actus externus requirit, ut existat liberè, ac humanò modò, *in esse physico*? vel præter hoc, ut existat *in esse morali*, non tantum *actus humani*, sed virtutis v. g. Religionis.

327. In hac quæstione judico primò, probabilius esse, nullà potestate humanà *directè* præcipi posse actum purè internum sine omni externo. Ratio est; quia nemo potest *directè* præcipere, vel vetare, quod non potest cognoscere, & judicare: atqui Ecclesia extra tribunal confessionis, non potest similes actus cognoscere, & judicare; ergo nec præcipere: min: prob. quia non potest, utpote visibilis, judicare, nisi de actu externo, scilicet *cadente sub sensum*. Et ita tenet Castropalaus p. 1. tract. 3. D. 1. p. 6. n. 2. cum communi

328. An autem à legislatore humano præcipi possit actus *mixtus ex interno, & externo*, non conveniunt Authores. Nam

(ut notat P. Joannes de Cardenas in Cris. Theol. tract. 1. D. 9. n. 428.) D. Thomas, Sylvester Durandus, Joannes Medina, Angelus, & Rosella omnino negant Ecclesiam posse præcipere actus internos, etiam ut conjunctos per se cum actibus externis; alijs volentibus, posse præcipere faltem indirectè actus internos, sine quibus externus in esse physico haberi non potest; non tamen eos, sine quibus haberi non potest in esse virtutis, ut jam dictum est.

Ad hanc quæstionem, Resp. 1. probabiliorum videri opinionem, quæ docet, Ecclesiam posse præcipere actus externos, mixtos internis, qui necessitate mediæ, vel simpliciter necessarij sunt, ut actus externus *in esse physico* existat modo humano; sic Castropal. cit. n. 3. si enim lex præcipiat orationem vocalem, vel aliquem *contractum celebrari, tributa solvere* (cùm hi actus externi humanò modò fieri non possint *in esse physico*, sine voluntate faciendi tales actus) eo ipso præcipit istos actus externos, tacitè præcipiendo etiam illos internos, sine quibus illi in esse physico existere non possunt modo humano; aliàs enim præciperet, quod obtinere non potest.

Resp. 2. probabilius etiam esse, lege humanà præcipi posse actus internos, qui necessitate mediæ, seu simpliciter necessarij sunt, ut actus externus existat non tantum *in esse physico*, sed etiam *moralis* orationis, venditionis, contractus, & similibus denominationum; ita Suarez l. 4. de legib. c. 13. à n. 5. Salas, & alij, quos citat, & sequitur Castropalaus cit. n. 3. Pro quo not. quòd actus externus secundum se, frequenter indifferens sit ad hanc, vel illam denominationem non tantum physicam, sed etiam juridicam, vel moralem. Exemplo sit: possum ego dare alicui pecuniam, *datione physica*, & reali, seu externà; hæc datio indifferens est, ut sit *emptio, solutio debiti*, vel *donatio*, aut *remuneratio*; & in esse talis formaliter constituitur per intentionem dantis. Similiter potest quis liberè proferre verba *promissoria*, vel externa signa contractus, cum, vel sine animo interno promittendi simpliciter, vel se obligandi. Potest Sacerdos proferre verba consecrationis, absolutionis, & similia, vel *nomine suo*, vel *nomine Christi*, & hoc vocamus *esse juridicum*



dicum, vel morale, quod actus externus fortitur ab interno; de quo loquimur in hac responsione.

331. Hinc not. esse morale actus externi posse dupliciter considerari. 1. quatenus importat actum externum, ut conjunctum cum interno, quo constituitur præcisè in linea actus moralis sub denominatione talis actus humani, v. g. *formalis donationis, sacramentalis contractus &c.* 2. quo constituitur in linea actus virtutis, seu honesti, formaliter, quod fit intendendo finem alicujus virtutis, quo posito: not. 2. dictam conclus. in num. præced. procedere de actu externo, quoad esse morale in primo sensu, nimirum, quando actus exterior fortitur denominationem formaliter v. g. *donationis, contractus, orationis simpliciter, & sine addito*, non autem merè materialiter, & purè actione physicà. Nam in casu, quo legislator præcipit ejusmodi actum v. g. *contractum, solutionem, orationem*, lex cadit non solum in actum exteriorem, sed etiam internum, non quidem per se, ac directè, sed quatenus est forma actus externi in esse talis denominationis, sub qua præcipitur.

332. Hujus autem ratio est. Quia non potest legislatori humano negari potestas præcipiendi ea, quæ necessaria sunt ad humanam, & politicam gubernationem reipublicæ, ac debitum DEO cultum (alias enim vis rectè rempublicam gubernandi, præsertim in his, quæ in republica tam Ecclesiastica, quàm civili ad principem illius finem principaliter pertinent, omnino manea foret, & imperfecta) sed posse præcipere *veram orationem DEI, verum contractum*; & consequenter vitare *purè simulatum*, spectat ad potestatem rectè gubernandi rempublicam, præsertim cum manifestum sit, plurimum obesse Reipublicæ, facere *contractus merè fictos, conficere Sacramenta solum materialiter, fundere preces ad DEUM solum ore, & non corde*; ergo humano legislatori negari non potest potestas præcipiendi actus illos internos, qui simpliciter necessarii sunt, ut actus externus dicatur *verè*, ac *simpliciter contractus, oratio &c.* id, quod non fit sine omni actu interno.

333. Resp. 3. probabilius esse, reliquos actus internos, sine quibus simpliciter salvatur denominatio actus externi, sub qua præ-

cipitur, non cadere sub potestatem legis humanæ; ita Castropal. *cit. n. 4.* Nam si etiam hoc casu præciperet actum internum, præciperet eum directè, ac per se, hoc autem non potest ex n. 327. & constat, quia cum possit obtinere finem legis, sine tali actu interno, *posse illum in tali casu præcipere*, non pertinet ad rectam gubernationem. Maj. etiam patet; quia tali casu non præciperet eum propter externas actiones, & *solum indirectè* ratione necessitatis, quæ requiritur, ut forma, constituens actum externum *in esse morali orationis*, v. g. *externæ* propriè dictæ.

§. II.

Resolvuntur rationes contrariæ.

NON defuerunt, qui existimârunt, legis humanæ materiam directam, etiam per se, posse esse actus merè internos. Pro hac opinione apud Castropal. p. 6. n. 1. citatur Rosella V. *absolutio 1. à n. 28.* Medina C. *de oratione q. 15.* Gloss. *in c. Cogitationis dist. 1. de pœnitentia; & in Clement. 1. de heret. q. verum, V. de eo ipso*; quorum fundamenta sunt seqq. Primum est, quod quælibet lex præcipiat actus humanos, & liberos, quod importat actum internum, sed hoc solum probat, quod importet actum internum externo mixtum, ubi ad hujus esse physicum, vel etiam morale necessarius est; non autem actum merè internum. Idem respondetur ad illud, quo dicunt: *lex præcipit, ne pro mercibus accipiatur ultra pretium taxatum.* Nam & hoc solum probat prohiberi actum internum indirectè, in quantum prohibet efficaciter ejusmodi actum externum, vendendi merces ultra taxam pretij; qui enim directè prohibet aliquem effectum, vel finem, indirectè etiam prohibet causam, vel medium illius efficaciter illativum, ut dictum est n. 300. hoc autem non est propriè habere jurisdictionem in actum internum; illa enim ad actus sibi subditos *directè* datur. Et ideo etiam fit reservatio actus interni mali (cum certa peccata externa reservantur) solum indirectè, in quantum efficaciter causant talem actum externum.

Secundum est, quod si lex humana non possit versari circa actus internos præci-

præcipiendos, aut vetandos, posset versari solum circa actus externos, ut notorios, & manifestos. Nam soli hi actus externi possunt perturbare Rempublicam, ac ei nocere: sed in hoc negatur sequela cum sua probatione; nam quilibet actus externus, si malus sit, *per se, loquendo* habet, *posse perturbare Rempublicam*, esto per accidens id non habeat ratione circumstantiæ *occulti*, ob quod evadit incognoscibilis solum per accidens, non autem *per se, & naturâ suâ*, qualiter id habet actus merè internus.

336. Ex quo etiam respondetur ad tertium fundamentum, quo dicunt, ideo humanâ lege actus merè internos non posset præcipi, vel prohiberi, quia ab hominibus cognosci, ac puniri non possunt, ut ipsi diximus n. 327. sed hoc non obstat. Nam homicidium, adulterium, & usuræ, etiam occultæ, humanâ lege prohibentur, etsi puniri non possint, utpote non cognitæ, quia occultæ; respondetur inquam, rationem nostram in n. 327. procedere ex eo, *quia actus merè interni, per se loquendo, & naturâ suâ*, non autem merè per accidens, sunt incognoscibiles, ac impunitibiles. Quare ad dictum argumentum in forma dist. Maj. ideo actus merè interni, humanâ lege directè præcipi, vel prohiberi non possunt, quia *per se, ac naturâ suâ* ab hominibus cognosci non possunt, nec *puniri. Conc. quia solum per accidens fit*, quod cognosci non possint, & puniri. n. Maj. Nam hoc non obstat, concedo; secus, illud. Probatio minoris nihil juvat, nam homicidia, adulteria, usuræ externæ, naturâ sua sunt cognoscibiles ab hominibus, consequenter punibiles, licet per accidens fiant *occultè*, quod non est de natura talis actus.

337. Quartum fundamentum est ex eo, quod Christus habuerit potestatem in actus tam externos, quam internos hominum, directè prohibendos; & hanc potestatem Ecclesiæ, ac Successoribus suis reliquerit, ex quo fit, & hos habere potestatem in actus tam internos, quam externos fidelium. Secunda pars Ant. prob. quia verba, quibus eis hanc potestatem reliquit (nimirum *ligandi, & solvendi*) sunt indefinita, & generalia.

338. Ante resolut. not. ad rectam fidelium gubernationem spectare non tantum po-

testatem, quæ respicit bonum commune fidelium, *quatenus inter se communicant*; sed etiam bonum cujuslibet, *quatenus pertinet ad cujusq. salutem, ac finem supernaturalem*, ad quod utique necessària est potestas Sacramentaliter solvendi à peccatis (quibus à fine supernaturali recedunt) si ea Ecclesiæ, vel Christi Vicario manifestent. at inter peccata non tantum sunt actus externi, sed etiam purè interni, ut per se constat; ergo potestas Sacramentaliter etiam ab his solvendi, pertinet ad rectam Ecclesiæ gubernationem, consequenter à Christo Successoribus suis communicari debuisse.

Not. 2. *potestatem ferendi leges esse jurisdictionis contentiosæ*, quæ scilicet directè respicit bonum commune, ac exerceri potest etiam in invitum, ut dictum est n. 98. *potestatem autem sacramentaliter absolvendi à peccatis*, non esse *jurisdictionis contentiosæ*, sed solum *voluntariæ*; quia requirit voluntatem penitentis, & respicit bonum ejus spirituale. Ex hoc resp. ad argumentum. in num. 337. datū, quod Christus utramque potestatem reliquerit suis Successoribus, nimirum jurisdictionis contentiosæ, seu legislativæ, ac voluntariæ pro fidelibus, in quantum hæc explicat potestatem absolvendi sacramentaliter à peccatis etiam purè internis, si Christi Vicario per peccatorè manifestentur; ex hoc tamen non probari, à Christo Successoribus suis communicatam esse potestatem directè præcipiendi, vel prohibendi actus merè internos. Nam hæc potestas est legislativa fori externi, seu non sacramentalis, ut dictum est num. præced.

Accedit, quod, quando Vicarius Christi, vel alius Sacerdos absolvit à peccatis merè internis per penitentem in confessione expositis, non agat tunc *nomine suo*, sed in persona Christi, & quidem relatè ad personam particularem; hoc autem non sonat actū potestatis legislativæ humanæ, quæ directè non respicit bonum speciale unius, sed commune, in quo omnes communicant. Similiter cùm dispensant in votis, ac juramentis, quæ est causa inter DEUM, & hominem, hunc debitorem, illum creditorem; non exercetur actus jurisdictionis legislativæ; cùm hæc non particulare, sed commune bonum fidelium attendat, ut sæpe dictum est.

Quintum

341. Quintum fundamentum est, quòd Ecclesia sæpe prohibeat, & puniat actum externum, non ratione sui, sed ratione actus interni, ut patet ex *Clement. 1. q. Verum, de Heret.* ubi excommunicantur Inquisitores, ex odio, vel amore turpis lucri, procedentes in causa fidei, ubi clarus est casus de actu interno, non necessario ad actum externum, in esse physico, vel etiam morali, quatenus est exercitium potestatis inquirendi. Similiter in *c. Dolentes, de celebrat. Missarum*, præcipitur 1. *attentia* in recitatione divini Officij. 2. In receptione beneficij curati præcipitur intentio suscipiendi Sacerdotium, si recipiens nondum sit Sacerdos. 3. *in usu passivo Sacramenti*, v. g. Eucharistiæ, præcipitur *recta dispositio animi*, nimirum ne recipiat cum conscientia peccati gravis; ergo potestas saltem Ecclesiastica, extendit se ad præcipiendos vel prohibendos actus merè internos.

342. Resp. 1. generaliter, à nobis concedi, quòd humanâ lege *indirectè* præcipi, & prohiberi possint actus etiam merè interni, quando nimirum simpliciter necessarij sunt, ut existat actus externus in esse physico, imò & morali, secundum eam scilicet denominationem, secundum quam est objectum directum illius legis, ut jam dictum est. Sic quando alicui præcipitur *confectio Sacramenti*, cum actus externus non possit in esse morali (à ministro facti nomine Christi) consistere, sine interna intentione, non suo ministro, sed Christi nomine operandi & faciendi, quod facit, indirectè animo etiam interna intentio sub præceptum cadit; his positis:

343. Resp. 2. ad singula objecta; & ad 1. de excommunicatione lata in Inquisitores, dico illum malum actum externum, propter quem imponitur excommunicatio, secundum se aptum esse, ut sit objectum directum legis pœnalis simpliciter, & sine limitatione; consequenter per legem illius Clementinæ non tam ampliari potestatem puniendi inquisitionem ex quocunque pravo affectu, sed restringi ad casum, quo imperatur *ex pravo affectu lucri*, vel odio personæ; præter quam, quòd ut actus ille externus cadat sub legem pœnalem, necessarium sit, quòd existat *ex tali affectu*; igitur pœna non cadit in actum internum *præcisè*; sed externè proditum. Hinc

Tom. I.

Responderi posset 2. cum Salas *de legib. D. 9. S. 1. à n. 8.* ejusmodi actum externum puniri dicta lege Ecclesiastica cit. Clementinæ, quando per eum aliquo modo manifestatur, & saltem moraliter (prudenti nimirum judicio) deprehensibilis redditur ille pravi affectus, non autem secus. Idè respondetur ad *Clement. 1. de statu Monach.* ubi excommunicantur Benedictini accedentes ad curiam, *animo accusandi Prælatum*, nimirum, si talis animus externo signo aliquo manifestetur.

Ad 2. in n. 341. *de attentâ, & devota oratione officij divini.* Not. 1. Orationem tripliciter posse sumi, 1. *Generalissimè* pro quovis opere bono. 2. *Generaliter*, pro quavis laude DEI, & gratiarum actione. 3. *Specialiter* pro petitione rei decentis à DEO. Præter hoc alia *intentio est directâ*, cum res in se est volita; alia *indirectâ*, cum res est volita in sui causa, seu cum volumus causam, quam videmus habere connexionem per se cum tali effectu; aut certè non impedimus, quod deberemus, & possumus.

Not. 2. *attentionem* esse duplicem, 346. *internam, & externam.* Hæc consistit in negatione distractionis externæ, id est, negotij, vel occupationis exterioris, quæ facit, ut talis operatio externa non sit in ijs circumstantijs actus externus talis virtutis. Sic attentione externâ careret, qui dum oraret horas, simul pingeret, vel cum cane aliquo jocaretur &c. *interna* consistit in interna applicatione mentis ad eam actionem, cui attendi debet; quæ tripliciter fieri potest. 1. ad verba integrè proferenda, & actiones eo tempore præscriptas suo ordine peragendas. 2. ad sensum verborum, vel significationes ceremoniarum, aut actionum, quæ tunc faciendæ sunt. 3. ad DEUM, & res divinas contemplandas. Hanc attentionem postremam in actionibus cæteris, extra Missam, præ reliquis commendat Tamburinus *in meth. celeb. missæ, l. 2. c. 3. n. 2.* quibus positis;

347. Resp. ad object. ex *c. dolentes*, in omni oratione, quâ DEUM oramus, vel colimus, præter attentionem externam, etiam præcipi *aliquam internam.* Nam adstrictus orationi officij divini, tenetur ad aliquam intentionem orandi, hoc est, faciendi actum externum non tantum cum attentione externa (aliàs enim non foret etiam oratio externa) sed etiam internâ, saltem

faltem ea, quæ velit integrè proferre verba, & debito ordine peragere actiones externas eo tempore præscriptas; aliàs enim nec ritè faceret actionem *externam*, lege debitam, nec faceret actum *præceptum*. Omnis enim actus præceptus est actus humanus, qui non stat sine intentione libera: sed illa voluntas, seu intentio integrè proferendi verba, & debito ordine peragendi actiones externas, eo tempore præscriptas, est aliqua attentio interna, ex n. priori; ergo. Hinc concedo, in c. *dolentes*, præcipi hunc actum internum, seu attentionem internam, sed indirectè solum non directè ut dictum est *num. præced.*

348. Ex his etiam patet ad rationes à n. 323, quatenus volunt humanâ lege præcipi posse actus internos, non tantum simpliciter necessarios, ut actus externus existere possit in esse physico, & morali, quatenus *hoc* importat actum internum, quo externus constituitur in esse talis actus v. g. *donationis* formaliter, actionis *factæ formaliter nomine Christi* &c. juxta dicta à n. 330. sed etiam *in linea virtutis*, seu actus *formaliter honesti*, ut velle videtur P. Suarez supra *cit. in n. 323*. Nam *ad. 1. ibid.* ex c. *dolentes*, jam constat ex n. priori. Ad 2. Concedo, quòd Ecclesia possit præcipere *verum actum orationis*, sed *externæ*; non autem *merè internæ*, nisi quantum requiritur, ut oratio externa *in esse orationis externæ*, tam quoad esse physicum, quàm morale (nimirum talis actus humani) verè existat, atque aded, quantum requiritur, ut *oratio externæ* sic actus externus talis virtutis, modo humano, ac liberè positus, quod stat, quin sit formaliter *ex fine virtutis*, nimirum imperando eum *ex intentione honestatis*, quæ specialis est tali virtuti.

349. Ad 3. in n. 323. quòd *præcepto Ecclesiæ satisfieri posset per meras simulationes*, notandum est, *simulationem* propriè dictam, esse affinem mendacio. Nam sicut *mendacium verbis aliud* significat, quàm sit in mente; sic *simulatio aliud factis*; & ideo vocatur *mendacium in actibus vitæ* v. g. *si animo mæstus letitiam gestu, & risu significet*. ita Pereyra in Elucidario, n. 1452. & ideo *simulatio* & *fictio*, non convertuntur simpliciter; hæc enim adhiberi potest ad significandum *falsum*, & *verum* (ut cum quis sanus claudicat, ut si-

gnificet se claudum) quo casu significat *falsum*; vel ut repræsentet alterius claudii gressum, qui verè claudus est, quo casu significat *verum*; hoc posito:

Resp. ad dict. object. negandò, ex hoc, quòd quis ponendo actum externum vocalis orationis cum attentione externa, & interna (in quantum hæc importat voluntatem attendendi, ut integrè, ac ordine, temporèque debito ponantur omnia verba, quæ sunt illi orationi vocali præscripta) licet careat animo exercendi eum actum ex fine, aut propter honestatem virtutis (v. g. *Religionis*) sequi, posse quem præcepto Ecclesiæ satisfacere per meras simulationes. Ratio est, quia, qui ponit actionem externam cum tali attentione externa, & interna, nihil *falsum* significat, & tamen præcepto Ecclesiæ orandi horas Canonicas satisfacit; ergo non sequitur, satisfieri præcepto Ecclesiæ *merè simulatione*. *Nihil falsum significat*; quia significat per illum actum externum sic positum, quod habet in animo, nimirum omnia verba ordine, ac tempore debito pronuntiandi externè cum externa attentione, de qua n. 345. quam suppono etiam præstari. *Præcepto Ecclesiæ satisfacit*, secundum objectum directè intentum, quod est omnium verborum pronuntiatio externa cum interna attentione secundum ordinem, cæremonias, & tempus debitum; his enim positis Ecclesia ex natura rei præceptæ ab ipsa, per se nihil potest exigere, nihil punire; ergo.

Ex dictis colliges. 1. Ecclesiam nunquam præcipere fidelibus, ut in oratione fundenda habeant hanc, vel illam intentionem, non necessariam, ut existat actus externus in esse physico, & morali, secundum quod hoc explicat intentionem ritè ponendi, seu pronuntiandi omnia verba orationis præscriptæ secundum ordinem, & ritum lege præscriptum; sic Castropal. *cit. p. 1. tract. 3. D. 1. p. 6. n. 4.* Nam ea potestas alium actum internum præcipiendi, necessària non est ad rectam Ecclesiæ gubernationem in bonum commune, seu in eo, in quo fideles communicant. Et ideo solum præcipit, *horas dicere, jejunia sustinere* &c. nihil memorans *de intentione*.

Colliges. 2. si quis jejunaret, vel elemosynam daret, præcisè ob vanam gloriam

riam, satisfactorum legi humanæ, in quantum illi actus subsunt ei legi humanæ v. g. Ecclesiasticæ; nec incursum pœnam, non observantibus eo casu legem, statutam in transgressores. Ex quo satis confirmatur, nunquam humanâ lege præcipi actum internum, qui solum per accidens conjungitur externo, qui est sub lege.

353. Colliges. 3. quod n. 323. dicitur, *ab Ecclesia præcipi rectam animi dispositionem in receptione Sacramentorum*, probabilius negari cum Castropal. cit. n. 5. Nam hoc relinquit præcepto divino, quo jubemur divina, & Sancta, sanctè tractare. Similiter dum in recipientibus *beneficium curatum*, exigit *intentionem suscipiendi intra annu Sacerdotium*, ea non debetur vi solius præcepti Ecclesiastici; sed in vi consensûs in conditionem, quem præstat recipiens beneficium, appositam ab Ecclesia beneficium sub ea conditione concedente. Nam sic Ecclesia utitur potestate non in invitum, sed tantum in volentem, consequenter illa exigentia non est actus, nisi jurisdictionis voluntariæ, non legislativæ, propriè loquendò, quæ est jurisdictionis contentiosæ, ac exercetur etiam in invitum.

354. Colliges. 4. etsi Ecclesia obligans ad certas *orationes vocales*, eoipso etiam indirectè obliget ad aliquam *attentionem internam*, ut diximus n. 350. non præcipi tamen aliam, quàm attentionem internam, quâ explicat internam mentis applicationem ad eam actionem, cui attendi debet v. g. in oratione vocali debita ex præcepto, ut verba integrè proferantur, & reliqua cum cæremonijs, ordine, ac tempore debito fiant; cujus ratio est ex dictis. Nam Moniales æquè obligatæ sunt ad horas, quàm beneficiati; in illis tamen, vi præcepti Ecclesiastici non exigitur alia intentio, & attentio interna, ut per se patet, & confirmari potest ex dicendis à n. seq. ergo.

## §. III.

*An opinio, negans Ecclesiæ potestatem directè præcipiendi actus internos, nunc adhuc sit probabilis?*

355. Ante resolutionem not. 1. P. Joannem Dicastillo, virum sapientem, & pium tom. 1. tract. 5. de Euch. D. 5. D. 7. n. 86. apud Gobat in experientijs tract. 5. n. 744. docere, quòd Ecclesia non pos-

Tom. I.

sit præcipere, etiam indirectè, ullum actum internum, qui non est necessarius ad physicam existentiam actûs externi: hinc infert, quòd Ecclesia, cum præcipit auditionem Missæ, non possit præcipere auditionem Missæ *ex motivo Religionis*, consequenter impleri præceptum tum de Missa, tum de horis Canonicis, liberè ponendò solum actum externum, esto absint quæcunque aliæ intentiones, modò non impediunt actum externum, ut fiat, prout fieri solet externè.

Rationes hujus Authoris sunt sequentes. 1. quia non requiritur ullus alius actus internum ad physicam existentiam orationis externæ. 2. quia non debemus ponere ullam obligationem *gravem*, sine aperta lege, vel consuetudine obtinente vim legis. Nam certè, inquit Aragonius, 2. 2. q. 83. a. 12. *concl. 3. videtur valde durum, & à pietate Christiana alienum, mittere aliquem in infernum, aut dicere, quòd peccet mortaliter, sine evidenti, & certa ratione.* Et ideo etiam monet celeberrimus ille vir Joannes Gerfon l. 4. part. 3. de vita spirituali, lit. O. dicens: *Doctores Theologi non debent esse faciles ad asserendum aliquas actiones, vel omissiones, esse peccata mortalia: nam per ejusmodi assertiones voluntarias, rigidas, duras, & nimis strictas, nunquam eruuntur homines à luto peccatorum, sed in aliud profundius (quia desperatius) demerguntur. Quid igitur expedit, amarius, graviusque reddere illud Christi jugum, quod suave est, & onus leve. Præstabitur præterea sedulius servitium D E O, cujus mandata gravia non sunt: sic ille; quibus positus: Subsumit: sed nulla lex scripta potest exhiberi, quæ mandet intentionem, *orandi aliter*, quàm laudatione vocali, & decente pronuntiatione verborum, atque sententiarum continentium laudem DEI, ut videri potest apud Gobat tract. 5. in Theolog. experim. n. 746. nec etiam constat de consuetudine obligante ad intentionem aliam; ergo.*

Deinde, quia plurima sunt in Breviario, quæ non sunt *preces*, vel *petitiones*; imò multæ sunt petitiones rerum, quas non possumus nos petere; ergo non possumus habere intentionem illa petendi, quæ per verba significantur. Accedit, quòd imperiti linguæ latinæ, ut Moniales, satisfaciant

L 2

357.

faciant cum intentione dicendi officium decenter exteriùs quoad pronuntiationem vocalem. Quomodo enim habent intentionem petendi, quod significant voces formaliter? Demum, cum quis in Breuiario dicit: *juravi, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Diabolus stet à dextris ejus &c.* certè rarus est, qui per hæc intendat ea significare, quæ formaliter significantur. Nam si formaliter proferres, & non jurasses, quòd nullum peccatum grave committere velis, mentireris illud orando; hæc rationes certè sunt valde congruæ; sic ille, & plures alij.

358. Ex his concluditur Patrem Dicastillo docere, satisfieri obligationi, dicendi horas Canonicas per solam voluntariam, vocalem, decentemque pronuntiationem verborum, ac sententiarum, quæ in breuiario continentur, esto non habeat animùm, quidquam formaliter per ea significandi; hanc opinionem vocat Gobat *cit. n. 751.* non penitus improbabilem. Difficile certè est, taliter orantem peccati mortalis condemnare.

359. Not. 2. Patrem Joannem de Cardenas in Crisi Theologica, in qua exponit primum propositiones prohibitas, & damnatas ab Alexandro VII. tum in altera, ubi damnatas ab Innocentio XI. plures sententias, quæ antè etiam à gravissimis Doctoribus, tanquam verè probabiles asserbantur, numerare nunc inter damnatas, & vi eorum decretorum antiquatas, nec amplius probabiles. Inter alia, in Crisi Bipartita, *tr. 1. de probabilitate d. 9. c. 20. a. 12. n. 428.* dicit, fuisse non paucorum Theologorum opinionem, quæ docuit, *in Ecclesia non esse potestatem præcipiendi, aut vetandi actus internos, nisi solum indirectè, quatenus requiruntur ad præcisam, & absolutam positionem actuum externorum;* ex quo infert, *Doctores hujus sententiæ, omnino negasse, posse Ecclesiam præcipere actus internos, etiam ut conjunctos per se cum actibus externis.* Et hanc opinionem ibidem tribuit Divo Thomæ, Patri Coninck *p. 3. q. 83. à n. 291.* & alijs à nobis relatis supra. Subjungit *n. 429. virtute decreti Alexandri VII. continentis propositiones, ab illo prohibitas, antiquatam manere hanc opinionem, atque adeo jam*

*non esse probabilem sententiam, quæ docet, Ecclesiam carere potestate præcipiendi, aut vetandi actus internos, etiam mixtos, & per se requisitos ad esse morale actionum, quod componitur ex internis, & externis.*

Ratio ipsius est, quòd ea opinio non maneat probabilis, quæ est impossibilis cum principio certo; sed illa opinio nunc est impossibilis cum principio certo; ergo nunc non manet probabilis. Min. prob. Nam *ex hoc, quòd aliqua doctrina (quæ dicit aliquid in praxi, seu usu & executione sua, esse licitum) à Pontifice damnatur, ut scandalosa, certum sit, talem usum in praxi, non esse licitum;* sed huic opponitur opinio, quæ dicit, in praxi (quantum est vi solius legis Ecclesiasticæ) satisfieri, ponendò actum externum præceptum sine actu interno non requisito ad esse morale talis actus præcepti: sic enim in praxi liceret usus doctrinæ, quam Pontifex damnat ut scandalosam; consequenter ut certò falsam; ergo. Min. prob. 1. ex decreto Urbani VIII. quo tanquam scandalosa, consequenter certò falsa, ut præmisit ead. disp. 9. a. 8. damnatur hæc opinio: *duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licitè accipere, applicandò petenti partem, etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, etiam post decretum Urbani VIII.* sed cum hoc principio certo, ex infallibilitate, quam habet Summus Pontifex in his, quæ toti Ecclesiæ proponit ut facienda, vel omittenda in materia morum, impossibilis est opinio dicens, ab Ecclesia non posse prohiberi actum internum, etiam mixtum cum externo. Nam in hoc casu expressè prohibetur ea *intentio applicandi partem specialissimam.*

Probat. 2. ex decreto Alexandri VII. ubi inter damnatas est 14. hæc: *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ;* quam propositionem ait ibid. *n. 436.* doctam, & traditam, *ut probabilem,* à Sylvestro, Alensi, Gabriele, Paludano, Cano, Victoria, & alijs: sed huic principio certo opponitur ea opinio, quæ negat Ecclesiæ potestatem præcipiendi actus internos cum externo mixtos. Si enim non potest præcipere actum internum per se necessarium ad esse morale actus externi, omittendò *internum proponitum, vel dolorem,* non violabit Ecclesiæ præce-

360.

361.

præceptum de Confessione ( ex voluntario defectu eorum actuum ) nulliter confitendo, consequenter satisfacit Ecclesiæ præcepto per Confessionem voluntariè nullâ, quod directè opponitur damnatâ, vicus certò falsum est, satisfieri Ecclesiæ præcepto per Confessionem voluntariè nullâ: ergo ut satisfiat Ecclesiæ præcepto, illi actus interni ab Ecclesia præcepti sunt, consequenter præcipi possunt.

362.

Circa hanc doctrinam Patris de Cardenas, quam deductam ex ejusmodi Summorum Pontificum decretis, varias Doctorum opiniones condemnantibus, ut *scandalosâs*, in multis resolutionibus, circa opinionum probabilitatem citatus Author usurpat, not. 1. cum recta hujus doctrinæ intelligentia, cum primis in materia de legibus, quam hic tractamus, pernecessaria sit, ut sciatur, quid circa illam, in obligatione, & expositione legum tenendum, ex Doctorum interpretatione doctrinali, aliqua necessariò præmittenda esse; quare Not. 2. concedi omnino, propositionem contradictoriè oppositam alteri certò vera, esse certò falsam, eadem cœritudine falsitatis, quâ cœritudine veritatis vera est opposita. Nam verificativum affirmantis, est falsificativum contradictoriæ negantis; sic cursus Petri verificans hanc ( Petrus currit ) falsificat istam: *Petrus non currit*; ergo quod illam reddidit certò veram, istam reddidit, certò falsam.

363.

Not. 3. ut propositio aliqua evadat certò falsa, ex eo, quòd contradictoriè opponatur certò vera, requiri, quòd ei opponatur, in quantum est certò vera, & oppositi-  
one certa. Hinc, cum propositio aliqua complexa, sub terminis complexè enuntiantibus aliquid, per Sedem Apostolicam damnatur ut *scandalosa*; ex qua damnatione falsum evadit, ejus propositionis usum in praxi esse licitum ( quomodo enim in praxi licitum, prudenter dici potest, quòd certò scandalosum est, & usu suo aptum inducere spiritualem animæ ruinam? ) necesse est, alteram illi contradictoriè opponi, ac contradicere formaliter in eo, quòd ipsa complexè enuntiat. Nam aliàs non affirmaretur, & negaretur idem formaliter secundum idem, sine quo non stat contradictio formalis, nec cœritudinem haberet ex tali decreto Pontificio. Ex hoc sequitur, vi hujus propositionis ( qui non potest reci-

tare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem ) quæ, prout jacet, est 54. inter damnatas ab Innocentio XI. tanquam scandalosâs ( & consequenter est certò falsa in ordine ad usum assertæ ab ipsa doctrinæ ) non reddi certò falsam, nisi propositio contradictoriè, vel virtualiter opposita illi, prout jacet, ac complexè enuntiat dictum sub data causali, enuntiet complexè oppositum, nimirum, quòd licet omittat reliquas horas, quas potest, qui non potest matutinum, & laudes; quia major pars trahit ad se minorem.

362

Not. 4. alterum principium, quo utitur Cardenas, ad intensionem suam, de qua n. 360. esse hoc, quòd ipsum etiam antecedens, quòd vel formaliter, vel virtualiter infert, illatione evidenti, aliquam propositionem decreto Pontificio damnatam, ut *scandalosâs*, maneat formaliter, vel virtualiter damnatum, ut expressè docet in 3. part. *Crisis Theologicæ*, ad propos. damnatas ab Innocentio XI. dissert. 33. c. 4. à n. 28. Nam ex hoc infert, hanc ( qui non potest recitare majorem partem Primæ v. g. licet possit minorem, non tenetur recitare minorem ) nec virtualiter esse damnatam, licet ( ut ille supponit ) damnata sit hæc ( qui non potest recitare matutinum, & laudes, non tenetur ad reliquas horas ) cujus rationem dat, quia illa de majori parte Primæ, non infertur evidenter ex ista de majori parte totius Officij, eò quòd sit evidens, materiam primæ, quæ primæ, secundum quòd subest præcepto recitandi primam, esse præceptam divisibiliter, sicut constat de materia totius divini officij per septem horas distincti.

364.

Dixi, ut ille supponit, nimirum dictam propositionem damnatam esse. Nam in re id non bene dicitur: ex eo enim, quòd damnata sit hæc causalis propositio ( qui non potest matutinum & laudes, non tenetur ad reliquas horas, quia major pars trahit ad se minorem ) non rectè sequitur, damnatam etiam esse, vel formaliter, vel virtualiter istam: qui non potest matutinum, & laudes, non tenetur ad reliqua. Nam ista non est impossibilis cum illa, cum stante veritate hujus, consistere possit integra certitudo de falsitate illius; quòd non fieret, si cum illa vel impossibilis esset, vel ex illa inferretur illatione evidenti;

365.

nam si quis dicat, eum, qui non potest recitare matutinum & laudes, non teneri ad reliqua, *quia materia, etiam totius officij est indivisibiliter præcepta*, aut ex alia causali; vel, præcepta esse reliqua dependenter à matutino, & laudibus; cujus oppositum non est evidens; non contradicit alteri damnatae, in quantum complexè certò vera est; quibus positis:

366. Ad quæstionem initio propositam resp. probabilius esse, vi eorum decretorum, de quibus Cardenas cit. sententiam eorum, qui docent in Ecclesia non esse potestatem præcipiendi, vel vetandi actus internos, nisi indirectè solum, quatenus per se necessarij sunt, ut actus externus existat in esse physico, & morali, *actus externi humani*, secundum denominationem, sub qua præcipitur, non esse antiquatam, aut numero probabilius expunctam. Nam ea nec opponitur ulli principio certo; nec evidenter infertur, etiam virtualiter, ex aliquo decreto Pontificio, damnata; nec talem infert, ut dicemus in seqq.

367. Antequam respondeam ad ejus fundamenta, præmittendum est: quæstionem versari in eo, an potestas humana (Ecclesiastica v. g.) præcipere possit actus aliquos externos sine omni interno, qui non est per se necessarius, ut actus externus existat *in esse physico, & morali*, in quantum *esse morale actus externi* explicat, aut petit *aliquid amplius*, quam esse physicum actus præcepti, liberè positi, ut ordine, ac tempore, atque modo præscripto existat? ubi vides intali casu *actum internum* (hoc est voluntatè, & attentionem, ut actus externus, externè fiat, prout lex ipsū externè fieri exigit) à P. Cardenas non numerari inter *actus mixtos* per se requisitos *ad esse morale actus externi*, sed *aliquid amplius*, quo scilicet constituatur *in esse morali* v. g. *virtutis*, ut manifestum est ex ejus doctrina in 3. p. *Cris. Theol. cit. dissertat. 34. c. 2. a. 1. à n. 7.* Nam duplex esse *morale actus externi* considerari potest; *unum*, à quo habeat denominationem *actus humani ac liberi*, quod habetur per actum voluntatis, actum externum imperantis, ut in esse physico externè existat; alterum, à quo habeat *esse morale* in linea alicujus *virtutis*, vel *vitij*, aut *inducentis aliquem effectum moralem* v. g. *obligantis* &c.

Exemplum dat ibidem n. 8. dicens: 368. si lex humana præcipit fieri *contractum*, tunc debere intelligi *præceptum esse actum mixtum ex interno, & externo, vi præcepti debet adjungi alius actus internus* (sine quo esse poterat externus) *conducens ad esse morale externi in linea virtutis, obligantis* v. g. quod non habet contractus externus præcisè *per esse morale actus liberi, aut humani*, etiam voluntariè positus, secundum omnem formam externam, nisi ei adjunctus sit actus internus, seu animus v. g. *se obligandi, aliquid petendi* &c. Sic igitur intelligendò, ex ejus mente *actus mixtos, & esse morale actus externi in esse virtutis*, ejus sententia est, eorum opinionem, vi dictorum decretorum manere nunc antiquatam, & improbabilem, qui docuerunt, non esse in Ecclesiæ potestate prohibere *actus mixtos*, seu actus externos cum internis, requisitis ad esse morale virtutis obligantis, prout nimirum hoc explicat aliquid ultra intentionem liberè, ac ritè ponendi actum externum, ut expositum est. Et in hoc casu judico sententiam, huic doctrinæ contrariam, esse probabiliorè, ex ratione data n. 366. in fine.

Ad argumenta igitur illius, & primum in n. 360. concedo Maj. N. min. ad hujus probat. conc. maj. N. min. ad hujus primam probat. in n. 361. conc. Maj. quòd certò falsum sit, *etiam post decretum Urbani VIII. licere Secerdoti pro eadem Missa duplicatum stipendium accipere, petenti applicandò partem specialissimam fructus ipsi celebranti correspondentem*; sed nego hanc (*Ecclesia non potest præcipere actus internos, qui necessarij non sunt, ut actus externus existat in esse physico, & morali solius actus externi, externè ritè facti*) esse oppositam illi; ergo sententia, quam docet Dicastillo, & alij, quorum sententiam nunc Cardenas vi ejus argumenti vult antiquatam, non opponitur illi certo principio, nec impossibilis est cum illo. *m. ostenditnr. nam, quæ impossibilia sunt, ex eo talia sunt, quia sibi contradicunt vel formaliter, vel virtualiter, & illativè; sed sententia affirmans (ab Ecclesia non posse præcipi actus internos, non conjunctos per se externo, ut physicè existat in esse morali, actus humani, externè, ritè, ac liberè positò*



positi) nec formaliter, nec virtualiter contradicit illi certæ ex damnatione Pontificia; ergo. Min. de contradictione formali per se patet; & consideranti utramque manifestum erit, nullam inter eas esse contradictionem formalem. Sed nec habent illam oppositionem virtuales. Nam, ut ei illativè, seu virtualiter opponatur, necesse est, quòd ex damnata evidenter sequatur contradictorium hujus sententiæ, sed hoc non fit. Esto enim ex illa damnata evidenter inferatur, ut certum, *post decretum Urbani VIII. non licere Sacerdoti pro una Missa duplicatum stipendium accipere, petenti applicandò partem illam fructus specialissimam*; huic tamen non contradicit etiam virtualiter, dicens: *quòd Ecclesia non possit prohibere actum internum per se non conjunctum cum actu externo, ut existat in esse physico, & morali actus humani, seu liberè externè positi*, ut manifestum est, ergo.

Deinde, *vi illius decreti*, damnatur ut scandalosa, & doceri, aut practitari prohibetur solum hæc propositio: *etiam post decretum Urbani VIII. non datur ulla lex, prohibens cum illa intentione, partem illius fructus applicare petenti, & sic acceptare duplex stipendium pro una Missa*; sed cum illa non est impossibilis ista: *etiam post decretum Urbani VIII. non datur, nec dari potest ulla lex Ecclesiastica, prohibens, cum illa intentione, partem fructus illius, applicare petenti, & sic acceptare duplex stipendium pro una Missa; quando ea intentio non est per se necessaria ad hoc, ut externè, ac in esse physico liberè fiat illa acceptatio, & applicatio externa*; nec etiam ex ista evidenter inferitur illa, ergo id, quod tenent Doctores, contra quos agit Cardenas cit. loco; nec impossibile est cum principio certo ex vi ejus decreti; nec tanquam antecedens evidenter infert illam damnatam; ergo eorum doctrina, vi ejus decreti, nec manet antiquata, nec numero probabili-um expuncta. Min. prob. Nam illud Urbani decretum *antecedens*, de quo in data propositione damnata, vel fuit præcisè *declarativum*, quòd sit falsum, aut scandalosum dicere, *nullam omnino dari legem, quæ prohibeat illam applicationem fructus, & acceptationem talis stipendij, vel dispositivum*, inducendò novum jus, & legem

Ecclesiasticam, *quæ prohibeat talem applicationem, & acceptationem*? Si primum? nihil illi contradicitur per doctrinam, quæ asserit, *non dari legem Ecclesiasticam, quæ id prohibitum sit*, ut patet ex terminis. Nam dicenti: *nulla datur lex prohibens hunc actum*; nec formaliter, nec virtualiter contradicit asserens: *quòd nulla datur lex Ecclesiastica prohibens talem actum*. Si secundum? tunc damnata solum est falsa, vi decreti, *ex suppositione*, quòd dicat nullam dari legem, *etiam Ecclesiasticam*, quæ prohibeat talem acceptationem cum ejusmodi intentione. Sed nec sic illi contradicit opinio eorum Doctorum.

Probatur. Nam vel dicit Carden. quòd Pontifex per illud decretum antecedens constituerit legem Ecclesiasticam, quæ prohibeat illam acceptationem, & intentionem internam, *in quantum necessaria est, ut liberè existat ille contractus in esse physico*, seu in esse externo externè liberè posito; vel etiam illam, *quæ ad hoc non est necessaria*? at hoc secundum negatur, & supponit, non probat Cardenas; quia hoc versatur in quæstione; primum autem non negant illi Doctores, qui libenter concedunt, præcepto, vel prohibito actu externo, etiam indirectè præcipi, vel prohiberi actus internus *per se requisitos*, ut actus externus externè fiat liberè, & humanò modò; non autem *non necessarios*; ad promissionem autem *externæ applicationis fructus Missæ* per se necessarius non est actus internus, seu intentio illa interna, *verificans applicationem externam*.

Unde not. internam intentionem, vel applicationem illius fructus dupliciter posse intelligi, vel quatenus significat actum voluntatis, quo applicatio externa, & vocalis constituitur in esse applicationis externæ, *liberè volita*, quæ est applicatio voluntaria, sed *solius oris*: vel quatenus significat actum voluntatis, qua externa, & vocalis promissio, seu applicatio constituitur *in esse verè formaliter*, & consequenter in esse applicationis *factæ corde*. Et hujus intentionis omissionem internam negant illi Doctores, posse præcipi ab Ecclesia, cum Ecclesia prohibet, ne in praxi quis utatur eâ doctrinâ, quam continet propositio damnata, de qua n. 360. volentes, illo Urbani decreto antecedenti, solum prohiberi ab Ecclesia illam, quæ per se necessaria est,

ut illa oris, seu vocalis applicatio existat in esse liberè positæ. Nec ex hoc sequitur, *talem applicationem fore simpliciter licitam*. Nam ex hoc quòd non detur *lex humana*, directè prohibens illam *applicationem cordis*, non sequitur, illam *cordis applicationem* simpliciter esse licitam; quia cum illo stat, quòd detur *lex divina* illam prohibens. Igitur sententia dicens, ab Ecclesia non prohiberi, nec posse prohiberi illam liberam applicationem fructus liberè factam *corde & ore*, sed tantum *liberam applicationem oris*, non dicit aliquid impossibile cum eo, quod certum est, ex vi ejus decreti.

372. Ad alteram rationem ex decreto Alexandri VII. in n. 361. Resp. similiter, negandò, quòd hæc propositio (*Ecclesia non potest præcipere, vel prohibere actus internos, per se non necessarios, ut actus externus habeat suum esse physicum, liberè voluntum, at que positum in esse externo ritè externè factum*) sit impossibilis cum principio certo, ex vi ejus decreti. Nam decretum illud, vel consideratur in quantum *declarativum*, vel in quantum *prohibitivum*, vel in quantum *punitivum*? in nulla autè acceptatione illi opponitur opinio horum Doctorum; ergo. Non in quantum est *declarativum*, quòd ea propositio sit scandalosa, consequenter, quòd sit certò falsum, *satisfieri præcepto Ecclesie per confessionem voluntariè nullam*. Nam huic certæ, nec formaliter, nec illativè contradicit ea propositio Doctorum; cum veritas ejus propositionis stare possit, quin vel formaliter, vel virtualiter dicat satisfieri præcepto Ecclesie per confessionem voluntariè nullam, ut patebit ex num. seq. ergo.

373. Ad hoc exponendum not. 1. omnino concedi, quòd *confessio sacramentalis* non sit valida, nisi sit confessio cordis, & oris, hoc est, nisi cum actu externo ponantur etiam actus interni, doloris, & propositi, qui non sunt per se necessarii, ut confessio externa, in esse confessionis, *externè fiat liberè*, sed ut fiat *validè*. Not. 2. præceptum, ut, cum quis vult facere confessionem sacramentalem, eam, quantum est ex se, faciat validè, consequenter nihil omitat voluntariè, cujus defectu esset invalida, esse præceptum juris divini; atque adeò in eo casu omissionem eorum actuum interiorum esse objectum legis divinæ prohibentis eam.

Not. 3. pariter esse juris divini, ut fideles confessionem sacramentalem *ali-* 374  
*quando faciant*; at ut fiat *hoc tempore* v. g. *tempore Paschali*, præceptum esse Ecclesie. Quare objectum directum præcepti Ecclesiastici est solum *tempus*, quo fieri debet *confessio jure divino debita*; non autem ipsa confessio sacramentalis; hinc, qui doceret: *omittens confessionem, jure divino debitam, peragere tempore Paschali, satisfacit præcepto Ecclesie*, formaliter doceret propositionem damnatam; atque adeò etiam ille, qui doceret, *quòd satisfaceret præcepto Ecclesie, tempore Paschali faciens confessionem voluntariè nullam*; quia *non faceret tempore Paschali confessionem jure divino debitam*. Ex quo clarè sequitur, eos actus internos, quibus intrinsecè constat *confessio jure divino debita*, solum *indirectè præcipi ab Ecclesia*, nimirum quatenus *tempus confessionis jure divino debita*, directè præceptum ab Ecclesia, haberi non potest in esse physico, nisi ponatur *confessio jure divino debita*. Nam tempus Paschale, in quo fit confessio voluntariè nulla, non est *tempus confessionis jure divino debita*. Duratio enim *confessionis invalidæ*, & duratio *confessionis validæ*, realissimè differunt; at hanc durationem, seu temporalem existentiam directè præcipit Ecclesia; & eam omittit, non ponens ejus modificatum, nempe *confessionem validam*; ergo revera solum indirectè respicit illos actus internos, quatenus talis *duratio* in esse solum physico illis existentibus, haberi non potest.

Dices cum Patre de Cardenas *tract. 1. de probabilit. D. 9 c. 20. a. 12. n. 439.* 375  
 Vel satisfacit præcepto Ecclesie, qui facit confessionem voluntariè nullam, scilicet sine contritione; vel non satisfacit? Si primum? contradicitur definitioni Alexandri VII. Si secundum? ergo omissio contritionis est violatio præcepti Ecclesiastici; ergo præceptum Ecclesiasticum interdicat omissionem contritionis; cum nemo violet præceptum per omissionem, nisi omissio prohibeatur per præceptum, vel nisi omitteudò illud, quod præceptum jubet. Resp. quòd faciens confessionem voluntariè nullam *eo tempore, quo debet ex præcepto Ecclesie*, non satisfaciat præcepto Ecclesie, non quidem violandò illud *formaliter*, & directè,

directè, *voluntaria nullitate* confessionis, omittendò substantiã confessionis jure Divino debitã; sed consequenter, & indirectè, nimirum directè omittendò *circumstantiam* confessionis jure Divino debitã, non exercendò scilicet confessionem jure divino debitam, *tempore præscripto*, consequenter omissione temporis intrinseci, quod petit præceptum Ecclesiæ. Hinc dist. conseq. ergo *omissio contritionis, ratione sui formaliter*, est violatio præcepti Ecclesiastici, neg. *illative solum, & consequenter* (quatenus secum trahit omissionem circumstantiæ, nimirum temporis, curjus esse physicum haberi non potest, nisi existat confessio jure divino debita) concedo conseq. dist. etiam secundum consequens: ergo præceptum Ecclesiasticum *directè, & formaliter* (nimirum ratione omisiã contritionis), neg. *indirectè solum, & ratione circumstantiæ*, quæ sine illa quoad substantiam haberi non potest in esse physico, C. conseq. sed hoc nihil facit ad probandum, quòd Ecclesia præcipere, vel prohibere *directè* possit actus internos, qui per se requisiti non sunt, ut *objectum ejus directum* physicè existat. Eadem distinctio adhibetur reliquis ibidem additis.

376. Sic sit casus: Titius *jure naturali* debeat Cajo centum; deinde Judex, sub pœna, ipso facto incurrenda, præcipiat Titio, *ut ipsi Calendis Maij solvat*, quod jure naturali debet; nemo dicit, Titium *formaliter* violare præceptum Judicis *propter omissionem solutionis quoad substantiam*; & eo titulo incurrere, ipso facto, pœnam præcepto statutam; sed tantum *propter omissionem circumstantiæ temporis*, nimirum, quòd solutio jure naturali debita, facta non sit *Calendis Maij*, sic res se habet in casu nostro.

377. Dices. 2. cum eodem num. 440. vel Ecclesia præcipit *duntaxat*; quòd in hoc tempore facias confessionem *externam*; vel quòd *in hoc tempore* facias confessionem validam cum omnibus requisitis internis? Si primum? ergo non violat præceptum Ecclesiæ, qui duntaxat facit confessionem externam, quamvis invalidam, cujus oppositum definit Alexander VII. Si secundum? ergo præcipit tempus in ordine ad actus internos eliciendos simul cum confessione externa. Resp. Quòd Ecclesia directè præ-

Tom. I.

cipiat *duntaxat tempus confessionis debite jure divino*, consequenter *circumstantiam ejus*, quod jure divino ponendum est; dist. conseq. ergo præcipit tempus in ordine ad actus internos eliciendos *directè debitos ex jure divino*; & *solum indirectè jure humano debitos ratione circumstantiæ*, ut hæc existat in esse physico conc. *directè debitos ex jure humano*, N. conseq. sed ex hoc non probatur intentum, ut diximus n. 366. in fine; ergo. Probat igitur solum, quòd Ecclesia directè præcipiat tempus, quo fieri debeat confessio *jure divino debita*; & indirectè confessionem jure divino debitam; quia sine hac illud existere non potest.

Dices 3. cum eodem, n. 441. tempus per se non est materia præcepti; quia tempus præcisè sumptum non est operatio hominis, nec cadit sub ejus potestatem liberam: ergo dum Ecclesia præcipit tempus confessionis validæ, exercendæ cum contritione, præcipit & confessionem externam, & simul contritionem in tali tempore exercendam; ergo Ecclesia potest præcipere actus internos in tali tempore exercendos simul cum externis. Resp. 1. reponeudò argumentum. Peccata per se non sunt materia præcepti affirmativi divini (hoc enim directè intendit positionem alicujus actus) quia peccatum præcisè sumptum, non est operatio hominis, ab illo licitè ponibilis, nec cadit sub potestatem Legislatoris, qua præcipere possit, ut peccata fiant; ergo, dum DEUS præcipit *veram confessionem peccatorum*, præcipit & *confessionem, & simul peccata*; quod est absurdum. Patet conseq. quia ibi præter confessionem externam, validè positam, præcipiens tempus ejus, præcipit non tantum circumstantiam temporis, sed etiam substantiam utriusque actus externi, & interni, ut vult dictum argumentum; & hoc non ex alio capite, quam, quia tempus secundum se non potest præstari ab homine, sed nec *vera confessio* peccati præstari potest ab homine *sine peccato in re commisso*; ergo DEUS præcipiens *confessionem veram* præcipit & *confessionem, & peccatum in re commissum*; quod non admittitur.

Resp. 2. cum distinct. Ant. Tempus, *secundum se, & præscindendò ab operatione*, cujus est circumstantia, non est materia præcepti, transf. anteced. si consideretur *in ratione circumstantiæ alicujus operationis*, aliq

M

aliq

alio jure debitæ, nego ant. ad hujus probat. eadem est distinctio. Nam licet tempus *præcisè* (in quantum abstrahit ab operatione, cujus est circumstantia) non sit operatio hominis, est tamen ejus *circumstantia*; & ut aliquid sit materia præcepti, factis est, quod sit vel operatio hominis, vel quod sit circumstantia ejus, quod est in libera potestate hominis; at sic contingit in præsentia, dum Ecclesia præcipit tempus confessionis validæ, seu jure divino aliàs debitæ; ergo. Hinc patet ad 1. consequens dicti argumenti; nam distinguo: ergo dum Ecclesia præcipit tempus confessionis validæ, exercendæ cum contritione, *indirectè* præcipit & confessionem externam, & simul contritionem in tali tempore exercendam, transf. præcipit *directè*, nego consequ. dist. etiam secundum consequ. ergo Ecclesia potest præcipere actus internos, in tali tempore exercendos simul cum externis, *indirectè*, transf. (in quantum scilicet necessarij sunt ut existat physicè circumstantia, quam *directè* præcipit) potest præcipere *directè*, nego consequ.

380. Dixi, *transseat*; nam simpliciter negandum est, quod efficaciter volens aliquem finem, necessariò debeat velle medium unice necessariū ad hoc, ut physicè existat finis. Deus enim efficaciter potest velle *pœnitentiam de peccatis commissis*, quin velle debeat *peccata commissis*; licet pœnitentia physicè non possit existere sine peccatis commissis; quia (ut loquuntur Theologi) sufficit mediū esse *vel volitum, vel cognitum ut aliunde futurum*; ergo licet *circumstantia temporis*, de confessione jure divino debita, non possit physicè existere, nisi physicè existat confessio jure divino debita (hæc est confessio externa, & actus interni, quibus in esse validæ intrinsecè constituitur) non propterea sequetur, quod præcipiens circumstantiam confessionis jure divino debitæ, necessariò præcipiat etiam *indirectè* confessionem jure divino debitam; cum hæc jam sit aliunde præcepta, & ab Ecclesia, ejus circumstantiam præcipiente, id ipsum sit jam cognitum.

381. Ad alterum principium ejusdem Authoris, in num. 364. relatum Resp. 1. dato, id verum esse, jam tamen ostensum esse, quod ex sententia Doctorum quam negamus vi dictorum decretorum antiquatam, & numero probabilium expunctam, tanquam ex antecedenti, per e-

videntem illationem inferatur ulla propositio damnata. Deinde Respond. 2. vi dati principij non sequi, *sub eadem certitudine* falsum esse antecedens, ex quo per evidentem illationem inferitur propositio damnata, qua certitudine certum est, eam damnatam esse scandalosam. Nam si una præmissarum non sit certa eadem certitudine, qua certò falsa est damnata, ex vi illationis, ex illis factæ, non habet certitudinem, nisi quam habent præmissæ; ergo si præmissæ non habent certitudinem, quam habet damnata ex vi eorum decretorum, nec falsitas antecedentis habet certitudinem, quam habet damnata ex vi illorum decretorum. Sic licet metaphysicè certum sit, *omnem currentem moveri*, & solùm probabile, *Petrum currere*, conclusio non habet majorem certitudinē, quam habeat complexio præmissarum; nec ex illis præmissis metaphysicè certum esse *Petrum moveri*.

Ex dictis colliges 1. doctrinam eorum Authorum (qui docent, *Ecclesiam non posse præcipere, vel prohibere actus internos, nisi indirectè, quatenus scilicet per se requisiti sunt, ut physicè existat objectum directè præceptum*, sive sit operatio aliqua, sive ejus solùm circumstantia) nullatenus impossibilem esse cum principio certo ex vi illorum decretorum, etiam in quantum præcisè prohibent *doceri*, aut *practicari* eam propositionem damnatam, *prout jacet*; nam dictorum Authorum doctrina neque practicat, neque etiam docet *satisfieri præcepto Ecclesie per confessionem voluntariè nullam*; prout jam ostensum est. Unde ulterius concluditur, quod nec peccet contra principium certum ex vi illorum decretorum, in quantum *punitiva* sunt. Nā si non continet culpam, nec contrahit pœnam. Omitto plura, quæ contra principia Patris de Cardenas opponi possent, ex ijs, quæ prænotavimus a n. 362. de quibus fortè per decursum: nam non omnis propositio *certò falsa est*, quæ opponitur alicui simpliciter, contentæ in alia complexa, *certò vera, solùm, in quantum complexa est*, ut patet consideranti; sic autem sæpè Cardenas comparat sententias Authorum relatè ad damnatas, quibus illæ non opponuntur, *ut damnate sunt*, nimirum, *prout jacent, & complexè sunt vera*; de quo in sequentibus; ergo.

383. Colliges. 2. quando transmisimus supra, quod propositio per sedem Apostolicam damnata, ut *scandalosa*, consequenter sit *falsa*, debere intelligi, quod *sit falsum, licere juxta illam operari*: nam quando certum est, quod aliqua operatio eo ipso, quod exerceatur, scandalosa sit, hoc est, *apta inducere ruinam spiritualem*, nequit esse licitum, aut prudenter judicabile ut verum, quod *licite, seu citra culpam exerceri possit*. Ceterum non omnis propositio *ex hoc, quod scandalosa sit, falsa est*; nam, qui de proximo (qui externè habetur vir probus) narrat gravia delicta, quæ re ipsâ perpetravit, verum dicit, & tamen hoc dictum est scandalosum.

384. Colliges. 3. ex hæcenus dictis, rectè sequi, Ecclesiam non posse præcipere, vel prohibere *directè* actus internos, *lege coactivâ*, hoc est, ita, ut talis prohibitionis transgressores pœnis coercere possit. Nam illi, cujus cognitionem habere nequit, decernere pœnam non potest; secus est indirectè, ut ex dictis liquet. Ceterum omnino fieri potest, quod potestas humana quem obliget ad aliquem actum internum, ex suppositione obligato voluntariâ v. g. ut, *si velit profiteri Religionem, habeat intentionem se obligandi* &c. ubi vides actum internum non præcipi *directè*, nisi ex suppositione, aut sub conditione, quod velit certos effectus, qui haberi non possunt sine causa, quæ, *in esse talis*, constituitur per actum internum.

## §. IV.

Respondetur ad alia argumenta.

385. Antequam ea proponam, not. ex P. de Cardenas p. 3. *Crisis Theologica, dissert. 34. c. 2. a. 2. n. 32.* juxta illum dubius modis posse defendi sententiam, quæ negat Ecclesiæ potestatem *directam in actus internos*; primò, quod non possit in illa dari potestas, condendi legem, *nisi coactivam*, juxta quam Legislator possit judicare, & exequi pœnam, quæ relatè ad actus internos impossibilis sit in non valente cognoscere actus internos; & hoc sensu sententiam negantem à pluribus attribui S. Thomæ. Secundò si dicatur, posse ferri legem circa actus internos, non quia impossibilis sit *lex purè directiva* circa illos; sed quia is modus gubernationis,

Tom. I.

*actus solùm externos imperandi*, est conformior naturæ hominis, & hanc tribuit Patri Suarez l. 4. de legib. c. 12. n. 9. Primum modum ait esse falsum, & secundum principia intrinseca improbabilem; secundum autem ait, esse probabilem, non tamen niti fundamento urgenti, sed solùm cuidam congruentiæ; quo posito:

Supponit. 1. duplicem esse legem; aliam *purè directivam*, & aliam *directivam, simul & coactivam*. Purè directiva est, quæ præcipit obstringendò conscientiam; cujus obligatio soli judicio conscientiæ relinquitur. Directiva simul, & coactiva est, quæ præter præceptum imponit pœnam tacite, vel expresse; quæ etiam dicitur *lex comminatoria*. Supponit. 2. legem *coactivam* etiam esse duplicem: aliam nempe coactivam *coactione internâ*; aliam *coactione externâ*. Coactione *internâ* procedit, quæ præcipit aliquid sub pœna incurrenda ante sententiam Judicis, qualis est censura latæ sententiæ: ubi patratò delictò ad incurrendam pœnam non requiritur sententia Judicis. Coactione *externâ* procedit, cum lex imponit præceptum sub pœna à Judice infligenda exteriùs, quæ non solùm est corporalis, sed etiam potest esse Spirituality: nam quando Judex excommunicat Reum, externè procedit, & hujus generis est lex, quæ præcipit sub excommunicatione sententiæ ferendæ. his præmissis:

Docet primò, non esse *de ratione legis incommuni*, quod sit coactiva, sed solum de ratione legis *ut efficaciter inductiva ad virtutem*; rejicit igitur eam sententiam, quæ contendit, *omnem legem* esse debere coactivam metu pœnæ, taliter, quod Judex possit judicare de violatione illius, & punire: ita ut, si lex non sit hõc modò coactiva, non possit ferri à legislatore. Et quia leges humanæ de actibus internis non possunt esse coactivæ hõc modò, inde fieri, quod Ecclesia non possit ferre leges de actibus internis. Rationem contra dictam opinionem aliorum dat, quia Ecclesia potest ferre leges de actibus internis *merè directivas*; ergo non est de ratione legis *incommuni* esse directivam, & coactivam simul, seu efficaciter inductivam ad virtutem.

Ant. probat. 1 quia Princeps subjicitur suæ legi concernenti bonum commune; non

M 2

non quoad vim coactivam, sed solum quoad vim directivam, ut diximus: ergo in lege separabiles sunt *vis directiva*, & *coactiva*. poterit ergo Ecclesia ferre leges directivas, obstringentes conscientiam, circa actus internos, sine eo, quod habeat vim coactivam.

Secundò, leges civiles, concernentes bonum commune universorum, obligant etiam Clericos, v. g. taxa frumenti, & aliarum mercium, facta à Principe, & tamen non ligant eos vi coactiva, sed solum merè directiva.

Tertiò, quando Regularibus in regula præscribitur oratio *mentalis*, potest Prælati præcipere orationem *mentalem* in virtute voti Obedientiæ, cui sponte se subjecerunt, & tamen hoc præceptum est merè directivum de actu interno.

389. Quartò lex *naturalis*, prout distinguitur à divina, & æterna, est solum directiva, & non coactiva ex metu pænæ. Solum enim respicit conscientiam: & optimè intelligitur, quod possit obstringere conscientiam, sine eo, quod cogat metu pænæ; ergo *vis coactiva*, & *directiva*, in lege separabiles sunt.

Quintò, sic sequeretur, quod Ecclesia non posset præcipere *actus mixtos* ex internis & externis. Nam si nihil posset præcipere, nisi de quo possit judicare, & pœnâ ferre; cum de actu interno (ut fatetur opposita sententia) non possit judicare, consequenter pœnam decernere; eo ipso non poterit legem ferre de actibus mixtis ex internis, & externis.

Denique bonum est argumentum ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis in argumentatione legitima: sed ex argumento immediatè antecedenti constat, esse legitimam hanc argumentationem (*Ecclesia non potest præcipere actus purè internos; ergo nec actus mixtos*) ergo bene valet: *Ecclesia potest præcipere actus mixtos; ergo potest præcipere actus purè internos*: sed hos non potest lege coactiva; ergo directiva. Sic Cardenas *cit. dissert.* 24. c. 4. a. 4. à n. 48.

390. Circa præsentem opinionem, concedo omnino, non esse de ratione legis, vel præcepti ut sic, esse *coactivam*, vel efficaciter esse inductivam ad observantiam præcepti, *metu pænæ, supponentis culpam;*

nec esse de ratione legis, aut præcepti *ut sic*, ut omitti non possit actus præceptus, nisi *per omissionem peccaminosam*, nam, ut aliquando tradidi in materia de Incarnatione, Christus habuit præceptum rigorosum moriendi, illudque liberè adimplevit, non obstante impeccabilitate, potens omittere acceptationem mortis, quin omittere peccaret, omissione scilicet positâ pro sensu diviso præcepti, existentis dependenter à scientia media, quam DEUS habuit præconsultâ libertate Christi, quod scilicet liberè acceptaret mortem, etiam nullo existente præcepto.

Nego tamen, non esse de conceptu *legis humane*, propriè dictæ, & ad jurisdictionem *fori externi* pertinentis. Quia primò id non probant rationes hæcenus allatæ à n. 388. ad primam enim Resp. verum est, Principem ligari ad observantiam legis à se conditæ; *non in vi hujus, sed in vi juris naturalis, & divini*, quo Princeps tenetur exemplò suò subditos inducere ad observantiam illius legis, juxta doctrinam superius traditam; sed dist. consequ. ergo *in lege*, prout præscindit ab *humana*, vel *divina*, separabiles sunt *vis coactiva, & directiva*, C. *in lege contracta ad humanam*, & pro foro fori constitutam, N. consequ. & reliqua.

Ad secundam rationem eadem est responsio; concedo enim, Clericos teneri ad observandam illam taxam (à Principe propter bonum commune universorum, præscriptam) at *non in vi illius legis humane* à Principe conditæ, sed *in vi legis naturalis, & divine*, quâ pars alicujus communitatis, in his, quæ spectant ad bonum universorum, tenetur concurrere, se illi conformandò per actiones, ejus conservationi debitas.

Ad tertium Resp. tale præceptum Prælati non esse merè *directivum*, nec directè imperare actum internum etiam ex vi obedientiæ; sed solum indirectè, quatenus illud præceptum Prælati imperat orationem voto promissam, seu *debitam ex vi voti*. *Non est merè directivum*; cum talis Religiosus omittens aliquam partem orationis voto debitæ (nimirum externam orationem) à tali superiore judicari, & puniri possit. Nec enim est necesse, ut judicare, ac punire possit violationem legis, in quantum est violatio voti, quæ fieri potest vel omissione actus *externi*,

ni, vel interni; quia satis est, quod omisio actus interni reddatur praesumptione cognoscibilis per omissionem actus externi. *Nec directe imperat actum internum; sed solum indirecte, quatenus imperat actum externum, decentis orationis vi voti debita, secundum quod voto est actus debitus, atque adeo, quatenus requiritur, ut ea oratio sit oratio mentis.*

394. Ad quartum in n. 389. Resp. ex e ratione solum probari, esse coactivum, seu efficaciter inductivum ad actum preceptum, non esse de ratione legis, seu precepti ut sic quod ultrò concedimus: sed ex hoc non probatur, posse dari legem humanam, quae non sit coactiva, sed merè directiva. Accedit, quod violatio juris naturalis ex vi juris naturalis sit punibilis. Nam si daretur peccatū merè philosophicum, seu praecise contra naturam rationalem quā talem, in materia gravi taliter peccans excluderetur à cognitione clara auctoris naturae quā talis, prout est in se, seu a beatitudine naturali, sine qua non stat beatitudo hominis etiam ad statum supernaturalem elevati, ut alibi diximus.

395. Ad quintum Resp. ut lex dicatur coactiva, & non merè directiva, sufficere, quod Legislator possit judicare de illius transgressione, secundum quod explicat omissionem alicujus partis, sine qua non stat observantia talis legis; quo posito nego sequelam. Nec probatio rectè sequelam infert. Nam licet non possit judicare, & punire omissionem actus interni solitariè sumpti, posito tamen actu externo; potest tamen punire omissionem actus externi, consequenter aliquam partem actus mixti, si per ejus omissionem violetur praecceptum de ponendo actu mixto, quia tunc praesumitur etiam omisio actus interni, ut dixi n. 393. quod sufficit, ut rectè notat P. Illung in Theol. pract. tract. I. d. 2. a. 2. §. I. n. 12.

396. Sic, licet DEUS non possit amare peccatum, potest tamen amare suam cognitionem, ut veram denominativè sumptam, de existente peccato, licet ea cognitio ut vera dari non possit sine existentia peccati: ergo licet Legislator humanus non possit punire actum internum, sine quo non potest dari actus mixtus ex interno, & externo, tamen sufficienter verificatur, quod possit punire omissionem

actus mixti, si possit punire omissionem actus externi (sicut DEUS amat suam cognitionem) licet non possit punire actum internum, quo externus constituitur in esse actus mixti. Cognitio vera, ut vera, denominativè sumitur, quando reduplicatio solam importat cognitionem in recto, & objectum duntaxat de connotato, seu in obliquo; quando autem utrumque importat in recto, ut super utrumque cadat denominatio, sumitur quidditivè. Certum autè est, quod DEUS amans suam cognitionem ut veram de peccato, non amet peccatum; ergo nec suam cognitionem ut veram quidditivè, sed tantum denominativè.

Deinde, quando Legislator praecipit fieri aliquem actum sub certa denominatione, sub qua debitus est alio jure v. g. naturali, vel divino, ad quam denominationem requiruntur plura constitutiva, quae ratione sui non cadunt sub sensum, consequenter naturalem hominis cognitionem, satis est, quod possit cogere ad positionem actus externi, & hoc metu poenae, licet ea poena non possit infligi a Legislatore humano pro omissione singulorum, quibus intrinsecè constat ille actus externus sub tali denominatione alio jure debitus. Nam hoc ipso, quod omittatur aliqua actio externa, qua constat denominatio illius actus alio jure debiti, non fit, quod illo jure debitum est, & quidem omissione punibili à Legislatore humano, qui praecipit fieri alio jure debitum.

Ad ultimum C. maj. N. min. nam ex eo, quod Ecclesia non possit praecipere actus pure internos, ac simplices, non rectè sequitur, quod non possit praecipere actus mixtos ex internis, & externis, adeoque nulla est illatio: *Ecclesia potest praecipere actus mixtos ex internis, & externis; ergo potest praecipere actus internos simplices.* Et ideo illatio à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis in hoc casu pariter est nulla, imò talis non est in dato argumento; quia laborat suppositione falsa, quod scilicet haec propositio (Ecclesia potest praecipere actus mixtos ex interno, & externo) sit antecedens, seu vi sua sit connexa cum ista (ergo potest praecipere actus internos simplices). Fallit enim primò, si velit, quod possit directe praecipere etiam actus internos, quando praecipit actus mixtos, ut constat ex di-

ctis. 2. quia ducitur argumentum à termino complexo ad incomplexum, quod in multis fallit, &c. &c.

399. Pro reliquis ex eodem Authore à n. 3. 4. not. 1. negari probabilius, quod Ecclesia habeat potestatem *directam* circa actus internos; nam licet potestas Ecclesiae à Christo data sit propterea, ut dirigat fideles ad fidem supernaturalem, qui plurimum obtinetur per actus internos: satis tamen provisum est, ad hunc finem, prout ab Ecclesia procurandum; per potestatem legis coactivae, ut inobedientes, vel discedentes à medijs, per poenas efficaciter ad eorum observantiam perducatur, cum omissiones actuum internorum (qui per se requisiti sunt, ut actus externus non tantum externè, sed etiam, secundum quod jure divino fieri debet, casu, quo talis actus externus exercetur v. g. *susceptio Sacramenti, sacri Ordinis, fuga peccati &c.*) jure naturali, vel divino, atque adeo aliunde jam prohibita sint.

400. Not. 2. quando in Tridentino *sess. 13. in decreto de sanctissima Eucharistia* interdicitur omnibus Christi fidelibus, ne post ea (quae ipsum statuit, aliter, quam ut eo decreto explicatum, atque definitum est) *credere* audeant, *directè* interdicti fidem externam contrariam illi decreto, & *indirectè* praecipit, ubi fides exercenda est, eam exercendam, prout jure divino debita est, sicut diximus de alijs objectis jure divino debitis, de quo obedientiam DEO praestandam, legibus Ecclesiae cautum est. Similia plura ibidem habet Cardenas, quae ferè in easdem solutiones recidunt.

401. Ex hoc sequitur, vi argumentorum, quae hic Author adducit, non esse falsam, & improbabilem eorum opinionem, qui docent, Ecclesiam non habere potestatem *directam* in actus internos, sed solum *indirectam*, quatenus necessarij sunt, ut existat actus externus sub ea denominatione, secundum quam debitus est alio jure v. g. naturali, vel divino, cui praestandam obedientiam potestas humana praecipit. Hinc aliud est orationem vocalem esse veram *orationem externam, seu vocalem*, etiam si non fiat cum attentione interna petendi, quod significant verba; aliud esse *orationem veram simpliciter*, qua formaliter petimus aliquid à DEO. Hinc quando Ecclesia praecipit orationem v. g. divini officij,

*directè* praecipit solum externam verborum pronuntiationem cum interna attentione, praeter externam, vi cujus integrè verba omnia ordine, & tempore debito, vocaliter efferantur; si autem praecipit, ut *oremus formaliter petendò, & loquendò cum Deo* (cum jure divino ad talem orationem, plures actus interni sint necessarij) praecipendò orationem jure divino debitam, solum *indirectè* praecipit hos actus internos.

Ea doctrina, quae negat potestatem *directam* legislatori humano in actus internos, confirmari potest ex doctrina Div. Thom. 1. 2. q. 91. a. 4. ubi inquirens, *an fuerit necessarium, esse aliquam legem divinam?* suae responsionis affirmativae hanc reddit rationem tertiam: *de his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent; sed solum de exterioribus actibus, qui apparent: & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quòd in utrisque actibus homo rectus existat: & ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus, sed necessarium fuit, quòd ad hoc superveniret lex divina.* Ex hoc enim apparet, quòd S. Thomas agnoverit, quòd leges humanae non possint sufficienter actus internos vitiosos cohibere, ac iis oppositos, vel eorum omissionem ad perfectionem virtutis ordinare, prout necessarium est, ad finem supernaturalem hominum; & ex hoc intulerit necessariam esse legem ultra humanam, nimirum divinam, quae scilicet efficaciter perduceret ad vitandos vitiosos & exercendos virtutù actus internos. Hinc colligitur 1. D. Thomam, *indirectè* saltem, agnovisse, leges humanas, nec *directivè* quoad potestatem legislativam extendi ad actus merè internos, quia si negavit legi humanae (: quae saltem aliquam vim coactivam habet, metu poenae coercendi homines à transgressione legis;) vim sufficientem cohibendi actus internos vitiosos, & ordinandi ad virtutem, à fortiori negavit, legi humanae vim *directivam*. Nam haec multò minùs potest cohibere homines à malo, & ordinare ad bonum internum, si eos non cohibeat lex divina, de qua certum est, posse esse, & esse *coactivam*.

Colligitur 2. probabilius esse, potestatem *directam* in actus merè internos nulli



nulli Legislatori humano posse competere, respectu subditorum, qui culpabiliter possunt deflectere à recto. Nam humana potestas legislativa fundatur in necessitate cohibendi à malo, vel ordinandi ad bonum, quatenus ea potestas, seu lex respicit *bonum commune* hominum, à quo membra talis communitatis culpabiliter possunt deviare; sed hæc necessitas non est ad legem purè directivam, nec etiam esse potest in legislatore humano. Nam per eam neutrum obtinere potest, cum de actibus merè internis nullam habeat notitiam, ergo. Major est ex eo, quia potestas subordinata convenire non potest prudenter, aut indulgeri, nisi quantum exigit necessitas ad finem, quem subordinans intendit tanquam procurandum à subordinato, quò tali, & apud tales, quod non fit per hominem apud homines à recto facile deflectentes, nisi externè coerceri possint. Hujus ulterior ratio est. 1. quia jurisdictio, & potestas gubernandi communitatem *humanam*, per homines tanquam illius Præsides, & Rectores, debet esse ad media, quibus obtineri potest bona constitutio communitatis *humana*; quæ, cum *externa* sit, & *sensibilis*, exigit media *externa*, & *per se sensibilia*, nimirum per se judicabilia in foro externo. Secundò quia potestas legislativa, quæ humanæ communitatis gubernationi necessaria est, fieri debet per homines, & in id directè tendere debet, ut per legem à se conditam imponat necessitatem subditis, vel executionem opere præstandam; vel poenam tolerandam per Judicis sententiam, si vel ei sic visum fuerit; vel necessitas boni communis exegerit; ergo omnis alia potestas, quæ huic fini deservire non potest, humano Legislatori (utpote inutilis) à summo rerum omnium Gubernatore committi non debuit; & valde probabiliter, spectato illo fine, nec potuit.

404. Ex hætenus dictis sequitur. 1. sententiam Patris Dicastillo relatam à n. 355. & Authorum, qui eandem tenent, vi adductorum contra eam hætenus argumentorum non esse certò falsam, consequenter improbabilem, ex vi decretorum Alexandri VII. & Innocentij XI. ut vult Cardenas *cit. n. 356*. Hinc omnino sustineri potest etiamnum opinio dicens, po-

testatem humanam non posse actus purè internos *directè*, nimirum *immediatè ratione sui*, præcipere, vel prohibere, sed tantum *indirectè*, quatenus per se requisiti sunt, ut physicè, ac liberè existat actus externus, prout externè debet, nimirum integre ordine, ac tempore præscripto; ratio hujus est ex n. 327. Quare si per *esse morale* actus externi nihil aliud intelligatur, quàm denominatio actus externi *in esse actus humani, ac liberi* (quo sensu *esse morale* sumitur solum *generaliter*) potestate humanam præcipi, ac prohiberi possunt actus interni per se requisiti *ad esse morale* actus externi, *in dicto sensu moralitatis*; quo tamen casu sub legem humanam cadent solum indirectè actus interni.

Sequitur. 2. quando potestas humana fert legem, ponendi, vel omittendi aliquè actum externum *nullo jure altiori* (v. g. naturali, aut divino) *aliàs debitum*, sub legem illam, præter actum externum, solum cadere eos actus internos qui per se requisiti sunt ad *esse morale actus solum generale*, prout scilicet hoc importat denominationem actus externi, *humani, liberè positi*. Ratio est ex n. 330. Dixi *actum externum, nullo aliàs jure ulteriori* v. g. naturali, vel divino *debitum*. Nam aliud est, quando præcipit, vel prohibet aliquem actum, *cujus positio vel omissio*, jam aliàs jure naturali, vel divino est debita, sub certa denominatione *moralis specialis*, v. g. *validi, obligantis, divini cultus* &c. quæ denominatio, *quà talis*, essentialiter importat aliquos actus internos, à quibus formaliter habeant hoc *esse morale speciale, validi, obligantis, actus divini*, præter *esse morale generale actus humani præcisè, ac liberi*; & de his maxime procedit quæstio, quam potissimum controvertit Cardenas, & vult eos *directè* præcipi ab Ecclesia, ubi præcipit orationem divini officij, confessionem *validam annuam, Sacramentorum sumptionem, aut confessionem, celebrationem contractuum* &c. Et, in ordine ad hanc quæst. procedunt argumenta nostra contra illum.

406. Sequitur. 3. quando Ecclesia, tales actus, jam aliunde debitos jure naturali, vel divino, præcipit, vel prohibet, *non quoad ipsam positionem, vel omissionem*, sed tantum *quoad circumstantiam* v. g. ut externè *fiant tali tempore, loco, ordine, ca-*

ne, *ceremonia* actus illos internos per se  
requisitos ad esse morale speciale actus ex-  
terni, præcipi, vel prohiberi solum *indi-*  
*rectè*, quatenus ea *circumstantia*, quam  
directè respicit, in esse physico, & *mora-*  
*li solum generaliter sumpto*, haberi non  
potest, sine actu externo *quoad esse mora-*  
*le speciale*, secundùm quod jure naturali,  
vel divino exigitur, ut diximus jam sæ-  
pius; similiter quando præcipit ipsam po-  
sitionem actus jure naturali, aut divino  
debiti, solum indirectè præcipi actus inter-  
nos per se requisitos ad esse morale speciale  
actus externi jure divino debiti, quatenus  
scilicet impossibile est verificari, factam  
esse positionem actus externi tali loco,  
tempore, &c. secundùm quod jure na-  
turali, vel divino debitus est talis actus,  
nisi adsint illi actus interni. Nam esto  
sacerdos millies pronuntiet verba conse-  
crationis supra hostiam, vel calicem, si ta-  
men desit intentio conficiendi Sacramen-  
tum, nunquam verum erit, ab illo posi-  
tam esse consecrationem externam, se-  
cundùm quod debita est jure divino; nam  
*ut debita jure divino*, essentialiter expli-  
cat illam intentionem internam; ergo po-  
sitione consecrationis externæ, sine interna,  
non est positio *consecrationis jure divino*  
*debitæ*, ac exigitur. Nam hoc utramque  
petit; & sic de alijs.

407. Sequitur 4. nullam potestatem, seu ju-  
risdictionem humanam (in quantum per-  
tinet ad externam gubernationem huma-  
næ communitatis, quæ talem) aut exten-  
dere, aut posse se extendere, ad condendas  
leges propriè dictas, quibus directè præci-  
piat, vel prohibeat actus purè internos.  
Nam, vel id fieret per legem directivam  
tantùm, vel directivam, simul & coactivam?  
*non primum*, ex n. 393. *non etiam secundum*;  
quia sic deberet posse metu pœnæ, huma-  
nâ potestate infligendæ, efficaciter indu-  
cere ad actum illum internum; at hoc non  
potest ex dictis, ergo. Et ideo rubricæ Bre-  
viarij, vel Missalis, aut similium pertinen-  
tium ad ritus, & certas Ecclesiæ cæremoni-  
as, jure solum Ecclesiastico inductæ,  
quæ non obligant in conscientia, atque a-  
deo *solum directivæ* dicuntur, ut expo-  
nemus n. 1317. non sunt leges propriè,  
etiam directivæ in eo sensu, quo lex di-  
rectivæ sumitur n. 386. sed tantùm illo,  
quo sonant idem, ac consilium, ut dice-  
mus *loc. cit.*

An, qui non potest ponere majorem par-  
tem materiæ præceptæ, teneatur ad minorem?

Alij sic proponunt, an, qui non potest  
ponere integrum actum præceptum,  
teneatur ad ejus partem? pro quo suppo-  
nendum. 1. duplicem esse materiam  
præcepti, unam *de re individua*; quæ sci-  
licet commodè dividi non potest, quin in  
ejus parte salvetur præceptum: alteram *de*  
*re dividua*, quando etiam in parte salvatur  
præceptum, sicut in toto, & una pars ab  
alia non dependet.

Supponendum 2. in omni re præcepta  
alias esse partes accidentales; alias sub-  
stantiales, potiores, per se, & primò inten-  
tas. Posteriores, collectivè sumptæ, fun-  
dant vim obligativam; distributivè, vel  
collectivè eam tollunt, quos effectus pri-  
ores non habent; ita Sanchez l. 1. in *Dec-*  
*retal. c. 19. n. 6.* Unde etiam si materia præ-  
cepti sit ex se dividua, seu divisibilis, seu  
constans pluribus partibus, fieri tamen  
potest, quòd non sit divisibiliter præcep-  
ta, ut si præcipiatur sub aliqua denomi-  
natione, quæ non salvatur, nisi in com-  
plexo partium, v. g. *prima, tertia, non-*  
*na*, &c. vel quando id, quod præcipitur,  
constat pluribus partibus sic, ut reliquæ  
præcipiantur dependenter ab altera.

Resp. 1. quando præceptum est de re  
individua, qui non potest totum, non ten-  
neri ad partem. ita Sanchez *cit. n. 5.* quia  
nemo obligatur ultra id, quod præcipitur;  
sed si quis non potens ponere majorem  
partem materiæ indivisibiliter præceptæ,  
teneretur ad minorem, teneretur ultra  
id, quod potest, teneretur enim ad totum  
indivisibiliter; alio enim modo talis ma-  
teria non est præcepta; nec alio modo  
posita, poneret, quod est præceptum;  
ergo. Ex hoc sequitur, voventem terti-  
am partem rosarij, non teneri ad unam,  
vel alteram decadem, si non potest tan-  
tam partem, quæ saltem moraliter est ter-  
tia pars rosarij; quia sic non potest po-  
nere materiam voto promissam, quæ est  
*tertia pars rosarij*, quæ non salvatur in  
una decade; sicut nec *jejunium*, seu ab-  
stinentia à carnibus cum unica tantùm  
refectione intra 24. horas, si non possit  
intra hoc tempus præstare talem abstinen-  
tiam; Sic P. Henricus Herdinck in *M. S.*  
*de Legib. D. 2. c. 7.* id quod docet Sanchez  
*consil.*

*consil. moral. lib. 5. c. 1. dub. 29.* dicens, quod dispensatus in esu carniū, non teneatur ad jejuniū; quia *esus carniū* & *jejunium* se non compatiuntur; maxime, cum abstinere à carnibus, sit magis essentialē jejunio, quàm unica tantum comestio; nam in eo salvari non potest ratio specifica, cui convenire nequit ratio generica, per talem speciem contracta; jejunium autem quoad rationem genericam, atque aded sumptum, prout est commune jejunio Ecclesiastico, & non Ecclesiastico, non salvatur *sine abstinentia à carnibus*, ut per se patet; ergo nec ratio jejuniij Ecclesiastici; ergo dispensatus in esu carniū, nequit servare jejunium Ecclesiasticum, imò nec non Ecclesiasticum, quale est per annum die Veneris, vel Sabbathi.

411. Sequitur 2. eum, qui venit peractā consecratione ad sacrum, non teneri ad reliquas partes, si aliud audiendum non adest; & eum, qui nullo modo posset adesse consecrationi, licet posset adesse omnibus alijs partibus, non obligari ad eas audiendas; sic Card. de Lugo *de Sacramentis in genere D. 22. de Euchar. s. 1. n. 6.* quia reliquæ partes, sine consecratione, non sunt *sacrum*. Et ideo etiam is, qui vovit septem Psalmos pœnitentiales, non teneatur ad duos, vel tres, si non potest reliquos ad septimum inclusivè. Sanchez *cit. n. 4.* vel qui vovit 5. Pater & Ave in honorem 5. vulnerum Christi; aut qui in honorem SS. Trinitatis vovit trium dierum jejunium; quæ omnia intellige, *quoties à vovente, vel præcipiente, ratione devotionis, numerus substantialiter intenditur*. Dico signanter, *quoties numerus substantialiter intenditur*; fieri enim potest, ut numerus ille additus non intendatur substantialiter, ut fit in jejunio quadragesimali, in quo numerus quadraginta dierum, in honorem Christi, 40. diebus jejunantis, est additus tanquam pars accidentalis, ut docet Ecclesiæ praxis: hinc non sequitur: jejunium 40. dierum est præceptum; Petrus non potest jejunare 40. diebus; ergo non teneatur ad tot, quot potest. Quando autem est dubium, an vovens, vel præcipiens *numerum* substantialiter intendit? Resp. standum esse pro libertate; factum enim in dubio non præsumitur, quando quis non teneatur, & non est solitus facere.

Tom. I.

Sic Mascardus *de probationibus fol. 2. conclus. 731.* & cum eo Herdinck cit.

Sequitur 3. eum, qui ex pœnitentia 412. tenetur certo die jejunare *in pane & aqua*, si hoc præstare non potest, non teneri ad jejunium *Ecclesiasticum*, quàm diu ad *jejunium* est impotens; cum nemo ad aliud, quàm, quod injunctum est, teneatur; sic Jo. Sanchez *in sel. D. 15. n. 3.* Secus tamen esset, si injuncta foret eleemosyna sex florenorum v. g. si enim non potest *omnes* erogare, tenetur ad tot, quot potest; quia finis substantialis eleemosynæ est sublevatio pauperis, quam singuli floreni seorsim ab alijs præstant; nec præsumi potest, illum numerum substantialiter, seu indivisibiliter intentum. Hinc etiam is, qui ex pœnitentia debet *orare flexis genibus* v. g. *rosarium*, si non potest *flectere*, tenetur ad illud, sedendò, aut standò, vel ambulandò, aut alio modo, quo potest; quia genuflexio est modus, non substantia injunctæ orationis; qui autem non potest substantiam rei præceptæ, non tenetur ad modum; secus, si non possit solum modum, nisi foret indivisibiliter intentus simul cum ipso actu.

Sequitur 4. juxta Joannem Sanchez cit. 413. n. 7. impotentem recitare lectiones matutini, non teneri ad psalmos; quia psalmi sine lectionibus non sunt substantialiter *matutinum Ecclesiasticum*; & impotentem in alijs horis recitare capitula, & orationes, non teneri ad psalmos; quia illi sine istis non sunt substantialiter *horæ canonicæ* juxta formam à Pio V. præscriptam: ita etiã Toletus, Diana, & ex parte Sotus apud Pellizarium *in manual. regul. de horis Canonicis*.

Resp. 2. in præceptis, quæ habent materiam dividuam, dividualiter præceptam, 414. qui non potest totum, teneri ad partem, quam potest; Thomas Sanchez *cit. n. 9.* Unde, qui non potest omnes horas divini officij recitare tenetur saltem ad eam partem, quam potest; quia materia totius officij est dividua, & dividuè præcepta; hoc enim importat divisio in septem horas, quæ significant distincta tempora, & consequenter singulas divisim intentas; cujus magnum quoque indicium est, quod singulæ horæ seorsim, licitè dici possint; & olim etiam sic dicerentur, ut notat

N

Carde-

Cardenas p. 3, *Cris. Theol. dissert. 33. c. 5. n. 40.* Accedit, quod ordinatus in subdiaconum, etsi à momento suscepti Ordinis sacri, teneatur ad officium divinum illius diei, satisfaciatur, incipiendò solum ab ea horâ, quæ tali tempore, secundùm ritum Ecclesiæ dicenda est, v. g. à Vesperis, quæ in quadragesima dici solent ante cœnam, si non ante susceptus est ordo; at hoc non stare, si omnes horæ indivisibiliter essent præceptæ præcepto dicendi divinum officium.

415. Si autem comparemus horas singulas ad partes, quibus constant, qui non potest majorem partem talis horæ (eam scilicet, quæ moraliter repræsentet totam) ad nihil tenetur, cujus ratio rectiùs sumitur ex n. 410. quia, qui non potest majorem partem *Prima* v. g. non ponendò ejus partes, quæ saltem moraliter dici possint *Prima*, non potest recitare *Primam*, & sic de alijs horis singulis. Nam, ut rectè ait Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. c. 28. n. 26. *qualibet hora præcipitur, ut quadam actio perfecta; & ideo, si non possit ita fieri, ut nomen illud mercatur, non nascitur obligatio dicendi illam. Minor autem pars, Prima v. g. (& sic de alijs) non potest dici Prima, imò neque dimidia pars; sed oportet, ut saltem præcipua, & quasi substantialia ejus partes dicantur; ita Suarez.*

416. Dices: inter propositiones, quas *prout jacent*, ut scandalosam damnavit, & doceri, 2. Martij 1679. prohibuit Innocentius XI. hæc est in ordine 54. *qui non potest recitare matutinum, & laudes, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*; ergo prior responsio non subsistit, imò manet antiquata, & improbabilis, ut in similibus continuò inferunt de Moya, & Cardenas. Ubi vides in hac damnata propositione, *prout jacet*, contineri duo: 1. *dictum*, seu id, quod asseritur, nimirum, *quod non teneatur quis ad recitandam minorem partem Breviarij, licet eam recitare possit, si non valeat recitare matutinum, & laudes*; & *causalem*, propter quam cesset eo casu illa obligatio, nimirum, *quia major pars trahit ad se minorem*. Sed quia non est certum, an sub hac damnatione contineatur, tam *dictum* quam *causalis dicti*, solum *incomplexè significata* (cùm damnatio expressè loqua-

tur de illa propositione *prout jacet*, adeoque sumpta *complexè*) solum sequitur, eam sic acceptam, nimirum *complexè*, damnari ut scandalosam; ac doceri, aut in usum deduci, esse prohibitam; non autem quamlibet ejus partem *incomplexè* acceptam; quibus positis:

Resp. 1. propositionem à nobis n. 415. 417. traditam, esse hanc: *qui non potest recitare majorem partem unius horæ, non tenetur ad minorem, quia, ubi non est major pars totius, quod quæ tale substantialiter præcepto subest, eo ipso abest totum, secundum quod præcepto subest*: at ex ipsis terminis patet, hanc non esse eandem cum damnata, *prout jacet*, ut videri potest repetendò illam *in num.* priori, ergo.

Resp. 2. istam propositionem, *major pars trahit ad se minorem*, 418. ex vi propositionis damnatæ, de qua n. 416. non evadere certò falsam; tum quia est axioma receptum in utroque jure, c. 1. de his, quæ fiunt à majori parte; c. quia propter 42. de electione; tum quia nec infert ullam à Sede Pontificia damnatam; nec ullo modo impossibilis est cùm principio certo, ex alicujus sententiæ declaratione ut scandalosæ, oriundò; licet concedam prohiberi ejus applicationem in dicto casu. Ratio hujus est, quia licet dictum axioma citatis locis rectè usurpetur, quia ibi est sermo de *majori parte personarum* v. g. *majori parte Capituli*; & in L. 19. ff. ad Municipalem, idem approbante, de *majori parte Curia*, quo casu omnino valet, quod major pars trahat minorem dissentientem à majori, quia minor pars tenetur sequi majorem eò, quod hujus judicium, & consilia censentur meliora, & faniora ad bonum Ecclesiæ, vel Reipublicæ, ut in cit. locis indicatur: hæc autem ratio non valet in *majori numero objectorum* divisibilium, divisibiliter præceptorum, ut patebit *num. seq.*

Nota autem signatè dici, dictum axioma non habere locum in casu, quo materia præcepti dividua est divisibiliter præcepta; secus enim est, quo talis materia dividua foret *individue* præcepta, vel intenta, ut dixi à n. 410. Nam tali casu etiam rectè dicitur, quod major pars ad se trahat minorem, hoc est, quod non valet ponere majorem partem totius, in qua

qua salvetur saltem moraliter denominatio talis totius, non teneatur minorem, in qua non salvatur denominatio totius indivisibiliter intenti; cujus ratio colligitur ex n. 410. & seqq.

420. Resp. 3. ad object. in n. 416. C. ant. N. conseq. quia etsi certum sit, dictam propositionem in n. cit. (in quantum complexè asserit, *licite omitti minorem partem ab eo, qui non potest matutinum, & laudes; quia major pars ad se trahit minorem*) esse scandalosam, & consequenter esse certò falsum, quòd usus ejus licitus sit; tota tamen damnata, prout jacet, falsitas, & oppositæ veritas, consistere potest cum veritate propositionis à nobis dictæ in n. 415. Nam. 1. dicta propositio damnata rectè (saltè consequenter) de falsitate condemnatur ex ea causali *universaliter usurpata*. Sic enim fallit. 1. quando materia præcepti est dividua, ac dividuè præcepta, seu intenta. Nam, qui debet solvere centum, & non potest, nisi decem, tenetur ad ea decem. Fallit. 2. quia etiam stante veritate causalis, *dictum* non subjicitur illi, ut si quis neget *matutinum & laudes*, esse majorem partem respectu reliquarum *in divino officio* officij divini. Nec enim hoc autoritate caret. Nam Castropalaus *tr. 7. d. 2. p. 6. n. 8. & 9.* expressè notat *matutinum, & laudes* non solitariè, sed cum prima, tertia, sexta, & nona esse majorem partem.

421. Quia verò quidam Doctores plures propositiones volunt, si non formaliter, saltem *virtualiter* damnatas, ex vi aliquarum propositionum, quas à Sede Apostolica damnatas esse constat, notandum, tunc solùm *ex vi* propositionis A. damnata, ac prohibita, etiam implicite, seu virtualiter propositionem B. censeri damnatam, & prohibitam, quando per evidentem, ac legitimam illationem sequitur, non stare falsitatem propositionis A (quæ ponitur certò falsa) stante veritate propositionis B. sed stante veritate hujus propositionis (*major pars trahit ad se minorem*) stat certa falsitas hujus damnata (*qui non potest recitare matutinum, & laudes, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*) ergo ex vi hujus damnata, nec implicite, vel virtualiter est damnata, & prohibita illa, si scilicet applicetur subjecto, capaci recipere illius applicationem,

Tom. I.

prout est in casu electionis, consensus majoris partis de Capitulo; quamvis fallat, ubi materiæ, de qua Sermo est, applicari non potest, ut si materia sit divisibilis, & divisibiliter præcepta, vel debita.

Cæterùm à toto divino officio, cujus materiam relatè ad suas partes concedimus præceptam divisibiliter (nimirum quoad singulas horas, ut singulæ sunt) idem legitime dicitur, etiam de singulis horis relatè ad suas partes. Est enim magnum in hoc discrimen. Aliàs enim sicut singulas horas, etiam ut singulas, quæ sunt partes *totius officij* canonici, licite oramus, *seorsim quamlibet ab alia*; sic etiam licite diceremus unam partem (*Prime v. g.*) seorsim ab altera, quod tamen communis negat.

Dices tamen cum Patre de Cardenas *cit. n. 30.* asserente: sibi videri probabilior sententiam, quæ asserit, præceptum recitandi singulas horas, terminari ad illas divisibiliter, ita, ut teneatur quis recitare partem horæ, quam potest, esto non possit totum, aut partem majorem. Rationem dat, quia, ut præceptum censetur continere materiam individua, requiritur fundamentum urgens ad hoc asserendum; tale non datur in præsentibus; ergo. Minorem probat. 1. quia quælibet pars alicujus horæ, continens psalmum, vel orationem, est per se expetibilis ad laudandum DEUM, & devotionem augendam. 2. à pari à toto officio relatè ad singulas ejus partes; ad quamlibet horam relatè ad partes quoque suas. 3. quia cum in materia favorabili, præsertim Religionis sunt opiniones contrariæ, ex quibus nascitur dubium, ea opinio eligenda est, quæ favorabilior est Religioni, taliter, quòd probabilitas opinionis minus favorabilis limitetur, ut non maneat practice probabilis; sed contraria sententia est minus favorabilis Religioni; ergo.

Resp. transf. ma. N. min. ex n. 420. & seq. quia partes *Prime v. g.* non merentur *nomen horæ perfectæ*, secundum Ecclesiæ ritum, præscriptum à Pio V. & alijs, nisi simul acceptæ; adeoque, qui non dicit omnes ejus partes, vel saltem potiores, non persolvit horam, secundum quod subest præcepto: Dixi: *transf. maj.* Nam, si per fundamentum *urgens* intelligatur aliud, quam *fundamentum tale, ex quo*

N 2

quis

quis, consideratis omnibus, quæ in executione alicujus actûs inseparabilia sunt, prudenter (nimirum sine nota temeritatis, ac imprudentiæ) talem actum licitum, affirmare possit, neganda est major. Nam contra legitimam rationem plus exigitur ad fundamentum probabile practicè.

425. Ad 1. prob. min. in n. 423. Resp. ex eo, quòd quilibet psalmus, vel oratio cujuslibet horæ ad laudandum Deum, & augendam devotionem expetibilis fit, malè inferri; ergo sententia dicens, partes cujuslibet horæ seorsim, esse individue præceptas, caret urgenti fundamento. Nam plura sunt præcepta de materia dividua, quæ tamen individue præcipitur, licet quælibet ejus pars seorsim ab alia sit expetibilis, & ad laudandum DEUM, & ad augendam devotionem; prout evidens fit recolenti tot versus psalmodum, in quibus singulis maximorum affectuû sensus sunt. Ad. 2. prob. ejusdem min. in eod. num. N. paritatem ex n. 422. aliàs sicut una hora seorsim ab alia; sic in qualibet hora quilibet psalmus; & in quovis ferè psalmo quilibet versus, seorsim ab alio, etiam interpositâ longiori morâ, licitè diceretur, quod est contra communem sensum.

426. Ad. 3. prob. ejusdem min. in eod. num. Resp. transmissâ majori N. min. quia contraria nobis opinio, dum maximè credit se favere Religioni, seu divino cultui per suam assertionem, obest Religioni. Cum enim hic negamus de divino cultu ex præcepto debito, nisi sequendò sententiam ex oppositis, ponatur ille cultus, non favetur, sed nocetur Religioni; at sequendò sententiam, quæ dicit debere dici partem Prima v. g. etiam minorem mediâ, si plus poni non potest, non ponitur cultus divinus præceptus; quia per hoc non ponitur recitatio Prima, sed aliquid, quod non est Prima: ergo

427. Dixi: transmissâ majori. Quia sub illis terminis videtur non posse admitti, saltem quoad ea verba: quòd probabilitas opinionis, minus Religioni favorabilis, limitetur sic, ut non maneat practicè probabilis, si concurrat cum alia probabili, magis favente Religioni. Nam ex hoc fieret. 1. quòd in administratione Sacramentorum, nunquam liceret sequi magis probabilem, quæ adest pro sufficientia jurisdictionis, si

adfit alia dicens, non esse sufficientiam jurisdictionis, licet minus probabilis; quia tunc illa, vi dati principij, non maneret practicè probabilis. Deinde probabilitas non pendet nisi à vero in apparentia, quæ faciat prudentem credibilitatem; non autem à favore. Similiter qui matrimonium contraheret, sequendò sententiam valde probabilem, imò probabiliorem, quæ diceret, non adesse tali casu inter eos impedimentum dirimens jure tantum humano, consequenter licere hic, & nunc contrahere, illicitè contraheret (nimirum ductus opinione practicè non probabili) si sciret esse opinionem aliorum, qui probabiliter dicerent, adesse tali casu inter eos impedimentum, dirimens jure tantum humano, consequenter non licere hic, & nunc contrahere, propter periculum contrahendi nulliter. Nam hæc opinio magis, ac illa, favet Religioni, seu Sacramento, cujus validâ, ac licitâ celebratione plurimum DEUS colitur.

Deinde, quando Cardenas dicit, per opinionem faventem Religioni, alteram minus faventem, non manere practicè probabilem in dubio, ex varietate opinionû nato, vel loquitur de casu, quo nascitur dubium positivum ex opinionum varietate, sic, ut quælibet ex oppositis, etiam relatè ad alteram maneat directè probabilis; vel ubi est dubium negativum, sic, ut pro nulla ex oppositis suppetat fundamentum prudens: neutrum dici potest; ergo. Min. prob. & 1. non potest loqui de casu, quo adest dubium merè negativum. Nam si ex duabus oppositis neutra est directè probabilis, relatè ad alteram, neutra potest alteram dejicere de statu probabilitatis practicæ; si enim hoc faceret, vel esset ratione principiorum actûs directi, vel reflexorum? non vi principiorum actûs directi oppositi. Nam quòd relatè ad alterum non est probabile, relatè ad alterum nequit amittere probabilitatem, quam nec habuit; aliàs non probabile in probabilitate vinceret alterum etiam non probabile. Non vi principiorum actûs reflexi, nimirum sumptorum ex regula 15. de Reg. juris in 6. quòd odia restringi, favores conveniat ampliari. Ratio est eadem. Nam quando A. relatè ad B. caret probabilitate, nequit verificari, quòd desinat esse probabile

babile per comparisonem cum B. five directè five reflexè consideretur.

429. Dices, assertum procedere de casu, quo ambæ, *secundum se*, sunt probabiles: verum nec sic dictum assertum procedit juxta hujus Authoris principia. Nam si una ex duabus oppositis relatè ad alteram non manet directè probabilis probabilitate, quam habuit absolūtè (considerata nimirum secundum se) necesse est, quòd eam perdat vel comparisonem motivorum actus directi oppositi, vel motivorum actus reflexi? *non primum*; quia probabile secundum se, per comparisonem ad alterum, pariter merè probabile directè, non amittit suam probabilitatem; sed nec amittit eam juxta principia hujus Authoris per comparisonem ad motiva actus reflexi procedentis ex illa regula, de qua n. priori. Nam si opinio secundum se probabilis, per comparisonem ad oppositam non perderet suam probabilitatem, nisi vi regulæ, cui per actum reflexum subjicitur, deberet hæc alteri opposita in vi ejus regulæ evadere certa. Nam probabile per merè probabile non vincitur; at hoc non contingit ex vi ejus regulæ ad eò indefinitè. Deberet enim universaliter certò verum esse, quòd, ubi est dubium positivum, natum ex oppositis opinionibus secundum se probabilibus, & agentibus de favore Religionis, ea quæ minus favet Religioni, relatè ad magis faventem, ex vi illius regulæ, non maneat practicè probabilis; hoc autem fallit ex plurimorum sententia, ut constat ex n. 410. & 415. ergo. Ratio hujus est, quia ipsa ea regula in plurimis restringitur, ut videri potest apud Everardum in Loco à ratione larga; Francum *in c. 1. de Tempor. ordinat. in 6.* Peckium, & alios; & contrarium in pluribus tenet ipse Cardenas, ut dictum est alibi.

430. Cæterum omnino concedo, ex duabus probabilibus, quæ sibi opponuntur circa leges, quæ directè, ac principaliter concernunt purum favorem Religionis, eam, quæ magis favet Religioni, minus faventi esse præferendam, si pro tali casu locum habeat citata regula 15. de qua n. 428. Ratio est, quia ubi pro una parte stat lex certa, illi opinioni opposita, ea, licèt probabilis, relatè ad hanc non manet practicè probabilis, si enim probabilitas ejus per reflexionem ad eam regu-

lam, vel legem, certò applicatam dato casui, evertitur, sed ea regula decimaquinta, sub suis scilicet limitationibus est certa lex, ut passim conceditur; ergo ubi sic limitata, alicui opinioni, licèt secundum se probabili, opponitur, evertit ejus probabilitatè. Quòd autem in præsentia quæstione dicta regula, seu juris axioma certò locum habeat, & huic particulari casui, *secundum quod certum est, certò applicetur*, spectatis argumentis, quæ adducit Cardenas, certum nullo modo, imò valde dubium est: ergo. Inter alias autem illius regulæ limitationes est, ut intelligatur in favorabilibus, quæ sunt *purum beneficium Principis*; qualiter se non habent leges, ad divinum cultum imponentes onus dicendi horas canonicas; ergo.

§. IV.

*An per actum peccaminosum satisfiat legi?*

Supponendum. 1. objectum proximū, & adæquatum cujuslibet legis seu præcepti, imò cujusvis actus operantem regulantis, seu dirigentis, esse ipsum actum regulatum, ex ejus directione, vel obligatione ponendum; nam eò posito, sicut exigitur, adæquatè satisfiat legi, seu præcepto, & cuilibet actui regulanti, tanquam in fine suo adæquatè jam obtento quiescenti. Et ideo materia, circa quam versantur actus lege, vel præcepto debiti, sunt quidem objectum immediatum actuum regulatorum, seu præceptorum; mediatum autem duntaxat ipsius actus regulantis, legis, aut præcepti. Suppon. 2. actum ex se, ac *intrinsicè bonum*, posse vitari, hoc est, reddi *malum extrinsicè*, nimirum ex pravo fine, qui per talem actum ab eum ponente intenditur, & quæritur. Sic auditio sacri ex se, & objecto est bona; si fiat ex vana gloria, vel alio simili pravo fine, vitatur, & extrinsicè redditur mala. Nam malitia finis refundit malitiam in media; quibus præmissis:

Ad quæstionem propositam Resp. affirmativè; quia licèt actus præceptus debeat esse bonus ex objecto, & fine suo intrinsicè, nihil tamen obstat ejus vitatio ex fine malo extrinsicè, nimirum à ponente illam intento; leges enim præcipiunt substantiam actus, non modum, nisi modus sit de

intrinsicè ratione actûs, aut secundùm se, aut ut est sub lege. Hinc factò ex malo fine audito, aut pœnitentiâ sacramentali extrinsicè solùm vitiatâ satisfaci tuæ obligationi; ita Sanchez *l. 1. in decal. c. 14. n. 1.* Idem dic de impletione voti, aut juramenti, cùm sint leges particulares, quas homo sibi spontè imponit.

433. Nec obstat, quòd legislatores, per impletionem legum intendant, subditos reddere bonos; vota etiam, & juramenta sint actus virtutis Religionis, respicientis divinum cultum; quia, ut inquit Sanchez *cit. n. 3.* non respiciunt divinum cultum tanquam rem præceptam, seu tanquam finem proximum, & intrinsicè præcepti, seu legis; sed ut finem præcipientis, vel solùm tanquam modum, quæ duo non cadunt sub præceptum. Hinc præcepto jejuniij quadragesimalis satisfit ab utente per diem una tantùm refectiõne cum abstinentia à carnibus, quia sic lex jejuniij habet suum finem intrinsicè, licet inde corpus ejus non maceretur, qui est finis jejuniij solùm extrinsicè.

434. Si autem quæras, an ad implendam legem requiratur, actum fieri ex intentione satisfaciendi præcepto? ante resolutionem not. à nonnullis præmitti hanc quæstionem, an actus, quo satisfit legi, debeat esse liber? in qua re verius est, nullum præceptum affirmativum, sive naturale, sive divinum, sive humanum impleri posse per actum non liberum, propriè loquendò; quia in affirmativis præcipitur homini libero actus positivus: sed impossibile est, hominem liberum exercere actum positivum absque libertate. Si enim liber est, id, quod agit, agere vult, potens non agere: in adimplitione autem præceptorû negativorum non esse necessarium actum liberum, qua ab homine libero potest poni omissio absque positivo libertatis exercitio; ita Vasquez *in 1. 2. q. 100. a. 9. n. 8.* hinc qui nec habet, nec habere potest carnes, non satisficit, loquendò propriè, præcepto abstinentiæ à carnibus; sed nec violat. Nam amentes, ebrij, dormientes, in sensu composito suæ impotentia, licet per omissionem leges negativas non violent, propriè etiam illis non satisfaciunt; quia non sunt omissiones *hominis, ut homo est*, sed ita est etiam in illo casu; his positus: ad quæstionem Resp. juxta com-

muniem, non esse necessarium; quia totus actus præceptus sine illa potest poni à parte rei; ita Suarez *de relig. tom. 2. l. 4. c. 8. n. 14.* hinc is, qui audit Sacrum, inscius esse diem festum, si postea intelligat esse, non tenetur ad secundum audiendum; similiter is, qui non fuit memor voti, rem tamen, quam vovit, perfecit, non tenetur secundo perficere hoc, quod vovit. Ex ratione tamen majoris meriti, & DEO perfectiori modò placendi, laudabile est præceptum cum intentione satisfaciendi perficere.

Si quæras 2. an satisficiat præcepto, exercens actum præceptum, animò non satisfaciendi? Resp. etsi probabile sit non satisficere; quia, ut habetur in *L. non omnes ff. si cert. actus non operantur ultra intentionem agentium*; ergo si quis intendat non satisficere, non satisficit; sic Azor *p. 1. l. 7. c. 2. q. 2. & l. 10. c. 12. q. 8.* probabilius tamen esse, satisficere. Quia Superior non præcipit, ut actus fiat cum ea intentione; consequenter, cum intentione contraria non satisfaciendi, ponitur totum opus præceptum; sed posito toto opere præcepto, satisfit præcepto; ergo cum intentione contraria, ponendò totum opus præceptum, satisfit præcepto; sic Vasq. *in 1. 2. q. 180. a. 9.* in expositione literæ, *n. 5.* Lessius *l. 2. c. 37. D. 10. n. 59. & c. 46. D. 6. n. 46.* cum multis alijs. Ubi tamen nota, quòd habens hujusmodi voluntatem, non satisfaciendi, peccet mortaliter contra præceptum divinum, obligans omnes, & singulos, ut justis legibus, positivè per voluntatem contrariam sese non opponant; quia *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, ad Roman. 13.

#### §. VII.

*An eodem actu possit quis pluribus præceptis satisficere?*

Resp. 1. doceri à quibusdam, uno actu pluribus obligationibus *justitiæ* non posse satisfieri; hoc volunt esse omnium Doctorum; quia impossibile est, supra unam, eandemque rem, cadere duos, vel plures titulos justitiæ. Verùm in Tractatu de Jure, & Justitiâ docui contrarium. Nam deflorator puellæ tenetur illam vel dotare, vel ducere; fieri autem potest, quòd



quod idem promittat parentibus deflorata; quo casu duplici titulo iustitiæ, nimirum deflorationis, & contractûs tenetur eam vel dotare, vel ducere, & tamen utriusque obligationi satisficit, dotandô, qui est unicus actus; ergo.

437. Resp. 2. in materijs aliarum virtutum posse unico actu pluribus obligationibus satisfieri, quoties obligans, rei, alio titulo debita, suam intentionem novam affigit. Hæc nullam habent difficultatem, quoties illud, cui nova accedit obligatio, habet necessariam identitatem cum illo, quod aliunde debetur; ita vovens castitatem uno actu satisfacit voto, & præcepto naturali temperantiæ. Difficultas tota est in alijs rebus, in quibus non est necessaria huiusmodi identitas; v.g. injungitur mihi per Confessarium auditio sacri die festo; in talibus casibus actus ex primo titulo debiti non habent necessariam identitatem cum actibus noviter impositis; proinde in similibus recurrendum est ad mentem ejus, qui imposuit obligationem, cujus mente cognita poterit unico actu pluribus præceptis satisfacere, si consenserit in identitate; non poterit, si non consenserit. Quod si de ejus voluntate adest probabilitas in utramque partem, poterit quemlibet ex illis eligere in sententia saltem eorum, qui tenent, licet esse usum opinionis practicæ probabilis, licet oppositum sit æquè, vel etiam magis probabile.

438. Verum hoc limitat Thomas Sanchez l. 1. in decal. c. 14. docens, in illis, quæ sunt circa pœnitentiam Sacramentalem, standum pro non identitate (hoc est, ut explicat Cardenas in Crisi Theol. l. 4. d. 34. n. 17. judicandum, non præcipi eandem actionem, scilicet alio titulo, vel lege debitam) quia contingit communiter, ut confessarius, loco satisfactionis, non velit opera alia, nisi ex mente sua voluntaria. Sic divitibus non solet injungere elemosynas aliunde debitas; nec illis, qui sunt in peccatis mortalibus, opera spiritualia aliunde debita; excipe cum Suarez, nisi Confessarius nosset, huiusmodi pœnitentem in explendis pœnitentijs negligentem esse; aut ex alijs circumstantijs nollet illum ita graviter onerare; quod sæpe contingit juxta pœnitentium diversitatem.

439. Illud hic addi potest pro praxi in utro-

que foro ex Azor p. 1. l. 11. c. 14. q. 1. docente, illa, quæ ex aliquo iustitiæ titulo debentur, non posse habere rationem elemosynæ; idem cum illo tenet Th. Sanchez cit. n. 6. hinc sicut in dubio de identitate pœnitentiæ cum rebus aliunde debitis, standum pro non identitate, ita pariter in omnibus obligationibus elemosynæ. Sicut enim is, qui injungit pœnitentiam in confessione, præsumitur propriam materiam injunxisse, quando & quamdiu aliud non scitur: ita pariter injungens elemosynam; quod idem est de vovente. Nonnulli tamen statuunt hanc regulam, quæ occurrente dubio, *an sit identitas an sit distinctio actionis præcepta?* in alijs casibus, & materijs est universalis: quotiescunque, ex duabus obligationibus, neutrius propria materia est opus supererogationis, seu voluntarium, tunc in dubio standum pro identitate: quia *non identitas* est onus, quod in dubio non est imponendum per c. *Contingit* 1. de jure jurando in 6. & in obicuris, seu ambiguis, quod minus gravat, est tenendum. Certa enim possessio voluntatis ab immunitate talis oneris, per superveniens dubium, *an detur dispositio imponens illud?* vincit nec debet, nec potest.

440. Uterius dubitari potest, an eodem tempore, per diversos actus, possit pluribus præceptis satisfieri? Resp. posse, quoties impletio unius non impedit impletionem alterius; sic enim ponitur, quod per ea debitum est, neque temporum diversitas cadit sub præceptum; ita Thomas Sanchez l. 1. in decal. c. 14. n. 11. 12. Hinc deducit 1. posse aliquem eodem tempore satisfacere præcepto de audiendo sacro, & dicendis horis Canonicis. 2. posse duo sacra simul audiri, & ita satisfieri voto, & pœnitentiæ injunctæ à Confessario eodem tempore; & sic de alijs.

441. Dubitari potest 2. an omittens actum duplici lege, vel præcepto debitum, committat duplicem culpam? Resp. quod communis responsio sit, tunc non committi, quoties illa præcepta spectant ad eandem virtutem sub eodem motivo: tunc committi, quando non spectant; vel, si spectant, non sub eodem motivo. Exemplum primi habes in concurrentia diei festi, & dominicæ; jejunijs quadragesimalis, & vigiliæ:

gilia: exemplum posterioris est in sacro debito ratione festi, & poenitentiae injunctae à Confessario, vel in obligatione festi, & voti, vel juramenti &c. Cum autem superior non semper diversas obligationes, licet sint de eodem specie actu, uni numero actui affigat, non statim valet in hac materia argumentum à pari. Sit enim casus, quòd incidat in diem dominicum festum S. Andreae Apostoli: hoc casu sunt duo praecepta numero distincta, auditionem sacri eodem die praecipientia; quibus tamen juxta Thom. Sanchez cit. n. 7. & alios passim Doctores, possum auditione unius sacri satisfacere, ex benigna Matris Ecclesiae mentis interpretatione. Sed ex hoc relato casu non valet argumentum ad duo praecepta hujus & alterius diei de recitando matutino, & laudibus, licet sub eorundem obligatione sit idem specie actus praeceptus, obligationis hodiernae, & hesternae.

442. Hoc argumentandi modo aliquando usus est Caramuel, ut videri potest apud Joannem de Cardenas in Crisi Theol. t. 4. d. 34. c. 2. Argumentum enim ejus erat: in occurrentia duorum praeceptorum circa auditionem sacri, uno numericè sacro satisfit duobus praeceptis: ergo unà numericè recitatione matutini, atque laudum (v. g. si fiat hodie post 4. matutinum) satisfit hodiernae, & crastinae de recitando matutino, & laudibus; consequ. constat; quia unà, eademque actione potest satisfieri duobus praeceptis numero distinctis, eodem tempore concurrentibus, sed in casu dicto sic fit: ergo. Verùm ad hoc respondetur C. ant. N. consequ. ad probat. dist. maj. unà actione potest satisfieri duobus praeceptis non postulantibus distinctas actiones C. secus, N. maj. Similiter distincta min. N. consequ. quòd praecepta recitandi hodie, & cras divinum officium postulent distinctas recitationes, ex intentione Legislatoris praecipientis recitationem officij pro singulis diebus, consequenter recitationem, distinctorum temporum, probat universalis consuetudo totius Ecclesiae; secus est de auditione sacri; nam praeceptum audiendi Missam diebus dominicis, & festis nihil petit, ut fiat distinctis actionibus, aut diebus, sed tantum, ut fiat auditio sacri, quando est talis dies. Unde ipse Caramuel

el in editione 1657. fatetur argumentum à se factum non esse probabile. Vid. Carden. l. 1. n. 4.

## §. VIII.

An Satisfiat legi, ponendo simul, vel Successivè partes materiae praeceptae?

EXemplum talis rei est auditio sacri; 443. haec enim fit successivè, & per partes: quo posito, duplex casus est, qui proponitur; primus, an huic praecepto (scilicet audiendi sacrum) satisficiat, qui duas partes sacri audit successivè à duobus sacerdotibus. 2. si utramque partem audiat simul? ut, si in uno altari fieret elevatio, quando in altero diceretur introitus, & Petrus istam Missam usque ad finem, illam usque ad elevationem audiret. Quod autem dicitur de hoc praecepto, idem dicendum est de omnibus alijs habentibus materiam dividuam

In primo casu affirmativam, ut probabilem, & in conscientia tutam docuit Viennae Austriae in Universitate publica Anno 1665. P. Henricus Herdinck vir aequè pius, ac doctus in M. S. d. 2. de legib. §. 5. idque ex Coninck de sacr. q. 83. a. 7. d. un. n. 287. qui rationem dat; quia, cum Ecclesia sciat, hanc suam legem ita à gravibus Doctoribus explicari, hoc ipso, quòd permittat eorum explicationes publicè imprimi, & doceri, censetur dictum praeceptum juxta eos moderari. 444.

Secundum casum probabilem censet Molfesius in Sum. tom. 1. tr. 3. c. 17. n. 37. in fine. Causam dat, quia Ecclesia non praecipit, ut Missa audiatur ab uno sacerdote. Ordo etiam successivus non est de praecepto saltem gravi, paritate accepta ab horis Canonicis, in quibus, sine transgressione gravi, potest quis invertere ordinem horarum. Coninck cit. n. 288. idem docet his verbis: haec praxis parum decens est, minusque religiosa; ideòque non usurpanda sine rationabili causa. Quare eum, qui omnino spontè veniret ferius ad primam partem sacri, cum intentione audiendi partem sequentis, credo peccatum venialiter. Eandem probabilem censet Diana p. 10. t. 17. resol. 3. Leander à SS. Sac. tr. 2. D. 1. q. 65. §. 6. Dicastillo tom. 1. de Sacr. tr. 5. de Sacrif. Miss. D. 5. d. 3. 445.

d. 3. n. 40. Sed notandum, hæc à dictis Doctoribus tradita esse ante 2. Martij, Anni 1679. quo ab Innocentio XI. Summo Pontifice, inter propositiones damnatas, tanquam scandalosæ, & doceri prohibitas, prout jacent, ordine 53. est hæc: *satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul, à diversis celebrantibus audit.* Unde post hoc decretum in materia hujus 2. plures quæstiones particulares fieri possunt, in sequentibus resolvendæ, ut plenius constet de natura legum. Quare

446. Dubitatio est 1. an opinio docens, satisfieri successiva auditione duarum partium ex duplici Missa, incidat in 53. propositionem damnatam ab Innocentio XI. seu, an hæc propositio: *qui serò venit ad sacrum* (v. g. primò ad pulsum pro consecratione) *satisfacit præcepto, audiens ex secundo sacro partem neglectam*, incidat in dictam propositionem damnatam? Responsio est negativa; ita Cardenas p. 3. *Cris. Theol. dissert. 32. c. 6. n. 50.* Cujus ratio est, quia damnatio dictæ propositionis 53. solum loquitur de *simultanea auditione* duarum, aut plurium partium Missæ; hæc autem propositio, de qua quæritur, loquitur de *successiva auditione* duarum medietatum Missæ: ergo hæc nullo modo, saltem formaliter, incidit in illam, prout jacet.

447. Dices: licet propositio in num. priori, non sit *formaliter*, & expressè damnata; est tamen damnata *virtualiter*; probatur; quia illa opinio, vel propositio, *damnata una*, manet damnata virtualiter, seu in vi hujus, quæ est impossibilis cum ea damnata; sed hoc habet ea opinio, seu propositio; ergo. Min. prob. Nam ex illa, tanquam antecedenti, inferitur damnata: si enim in hoc argumento (*non satisficit præcepto simultaneâ auditione duarum medietatum Missæ; ergo nec auditione successiva*) negetur consequ. & assumatur pro antecedenti hoc contradictorium consequentis: *præcepto Ecclesiæ satisficit auditione successiva duarum medietatum Missæ*; arguaturque ad contradictorium antecedentis, rectè inferitur damnata: ergo *præcepto Ecclesiæ satisficit auditione simultaneâ duarum medietatum Missæ.* Nam hic argumentandi modus certò valet: ergo.

448. Sed Resp. N. ant. ad hujus prob. Resp. Tom. I.

trans. ma. si loquatur de opinione *evidenter* impossibili cum damnata; non autem secùs; ratio hujus est ex dictis: sic distinctâ min. N. consequ. Similiter ad prob. min. Resp. eam procedere, si propositio controversa, *tanquam antecedens*, per evidentem illationem, inferat damnatam; non autem secùs. Quare, ut hoc fiat, utendò illo argumentandi modo, dicendum: *tunc ex contradictorio consequentis evidenter concludi ad contradictorium antecedentis, quando primum antecedens, ad cujus contradictorium arguitur, evidenter infert suum consequens*; sed hoc in præsentem non contingit. Nam hoc antecedens: *non satisficit præcepto simultaneâ auditione duarum medietatum Missæ*; nullâ ratione evidenti inferens hoc consequens: *ergo nec satisficit successive auditione.* Hujus autem ratio est; quia ratio *antecedentis* non est communis *consequentis*. Ideo enim auditione simultaneâ non satisficit, quia præceptum audiendi Missam est de objecto successivo (nimirum auditionem Missæ successive præstando) ex natura talis objecti; consequenter auditio præcepta est *auditio successiva*, nimirum partis post partem; quo, quia caret auditio *simultaneâ*, antecedens illud evadit falsum, consequenter non inferens falsitatem consequentis, in quo asseritur auditio successiva.

Hinc notandum, etsi verum sit, legitime argui à contradictorio consequentis, si negetur, ad contradictorium antecedentis, quod concedi ponitur, si, quod pro antecedenti ponitur, sit *verè antecedens*, hoc est, connexum cum consequenti ex medio communi utriusque, ac respectu utriusque necessarij. Nam si tali casu negetur consequentia; eo ipso etiam negari debet connexio antecedentis (quia sublatò terminò connexionis, tollitur vel formaliter, vel consequenter connexio) ergo ut à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis valeat argumentum, non satis est, poni aliquam propositionem consequentis non, illativam aut cum eo non connexam; sed oppositum requiritur; id, quod in præsentem casu non contingit ex medio necessario, & communi, ut ostentum est.

Hinc P. Suarez de *Eucharistia. d. 88. sect. 2.* ait, opinionem, quæ affirmat, licitam sacri auditionem *successivam, propter autho-*

authoritatem Doctorum, non posse practicè condemnari (intellige donec alià lege certà, quæ in præsens non est, reprobetur) & ideo ibidem expressè dicit: illum, qui ex dicta sententia operabitur, non peccaturum mortaliter; & Cardinalis de Lugo d. 22. de Eucharist. n. 8. eam sententiam admittit tanquam probabilem extrinsecè. Ratio autem hujus sententiæ est; quia opinio asserens satisfieri præcepto successivâ auditione duarum medietatum Missæ, non habet contra se principium certum, cum quo componi non possit, & habet pro se rationes valde congruas, quæ consideratis omnibus, in executione inseparabilibus, citra notam temeritatis, aut imprudentiæ sufficiant ad asserendam eam satisfactionem; consequenter exerceri potest sine peccato; ergo manet practicè probabilis. Prima pars constat ex n. 448. & constabit amplius à n. 455. secunda patet tum ex præsumptione de tantis Doctoribus, qui eam tradiderunt, utique ad hoc asserendū ex talibus motivis, quæ citra notam imprudentiæ illum eorum assensum merebantur; tum etiam inspectis rationibus, quibus ipsi procedunt in assertionis illius probatione, quæ reverà nullo contrario certo infringuntur. Tertia verò pars constat ex confessione contrariorum, qui licet hanc opinionem non teneant, tamen practicè probabilem censent.

451. Dices. Opinio tenuiter probabilis, non est practicè probabilis; sed opinio de successiva auditione est tenuiter probabilis; ergo. maj. prob. ut propositio sit practicè probabilis, necesse est, quòd licitè, & absque peccato formali possit deduci ad praxim; seu, quòd, dum eam opinionem sequimur in praxi, censeamur prudenter operari; sed hoc non fit, cum sequimur opinionem solùm tenuiter probabilem; hoc constat ex damnatione tertiæ propositionis in decreto Innoc. XI. contentæ, ubi damnatur hæc: generatim, dum de probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui (modo à probabilitatis finibus non exeatur) consisti aliquid agimus, semper prudenter agimus; min. primi Syllogismi etiam probatur; quia illa opinio est tenuiter probabilis, de cujus probabilitate dubitant non pauci Viri docti; sed de probabilitate hujus opinionis dubitant nò pau-

ci Viri docti. Nam 1. Suarez cit. c. 5. ait; propter rationes contra illam opinionem à se, & alijs allatas, sibi semper suspectam esse visam illam doctrinam, videreque se, illam, nonnullis Theologis, ac Jurisperitis, displicere; & Azor p. 1. Instit. moral. l. 7. c. 3. q. 3. ait: mihi sanè illa sententia magis arrideret, si aliquà firmâ ratione, aut argumentò niteretur. Et ob has rationes Cardenas cit. n. 61. ait: si solùm attendamus principia intrinseca illius propositionis, non esse practicè probabilem; secus, si extrinseca, & Authoritatem. Porro majorem primam probat Cardenas disfert. 4. c. 5. quia opinio dubiæ probabilitatis, non est practicè probabilis, quam diu talis manet; sed opinio tenuiter probabilis, est opinio dubiæ probabilitatis; ergo opinio tenuiter probabilis, non est practicè probabilis; sed opinio, de cujus probabilitate dubitant non pauci Viri docti, est dubiæ probabilitatis; ergo etiam est tenuiter probabilis.

Sed Resp. ad argumentum, transf. maj. 452. N. min. ad hujus prob. Resp. dist. maj. illa opinio, in se, & absolutè, est tenuiter probabilis, de cujus probabilitate practica dubitant non pauci Viri docti, N. maj. est tenuiter probabilis respectivè, & quoad illos, qui sic dubitant, transf. maj. dist. pariter min. sed de probabilitate intrinseca opinionis, de qua n. 444. dubitant non pauci Viri docti, transf. de illius probabilitate extrinseca, N. min. ex n. 450. ergo illa opinio, de qua n. 444. est tenuiter probabilis solùm respectivè ad illos, qui sic dubitant, transf. in se, & absolutè, N. conseq. Et quoniam etiam illorum dubitatio non est de probabilitate illius opinionis extrinseca, sed solùm intrinseca, ut constat ex n. priori, ad summum, vi transmissorum, sequitur illam opinionem quoad probabilitatem intrinsecam, esse tenuiter probabilem, non absolutè; sed solùm respectivè. Ad prob. maj. 2. illam propositionem: opinio dubiæ probabilitatis, non est practicè probabilis, posse multos habere sensus, nec omnes veros. Nam si idem sonat opinio dubiæ probabilitatis, ac ista: opinio, de cujus probabilitate dubitant non pauci Viri docti, ex dictis constat, sic indefinitè prolatam, esse falsam, quia opinio, de qua in præsens agimus, etiam secundum Suarez, & Cardin. de Lugo,

Lugo, est practicè probabilis, extrinsecè, ut constat ex n. 450. imò & secundum Patrem de Cardenas in n. 446. & tamen de illius probabilitate *intrinseca* ipsi dubitant. Secundò, si *ly opinio dubie probabilitatis* idem significet, ac opinio *non paucis dubitabilis* quoad gravitatem fundamenti, ac licitum usum in praxi, evincit solùm *relatè ad illos sic dubitantes*, non esse practicè probabilem; non autem *in se*, & *absolutè*. Certissimum enim est, multis etiam Viris doctis, opiniones suas videri firmissimas; & oppositas illis omnino falsas: & tamen sæpè fit, quòd hæ in se, & absolutè; imò & respectivè ad alios æquè doctos, habeantur veræ, ac solidæ.

453. Quare not. 1. in moralibus, per *opinionem probabilem intelligi talem, que in re, & questione incerta prudenter approbat ut verum, actionem aliquam posse, vel non posse fieri citra formalem culpam conscientie; & si etiam consideratis omnibus circumstantijs, in executione talis actus inseparabilibus, idem prudenter affirmet, dici probabilem practicè*. Not. 2. ex ipso de Cardenas *cit. c. 3. à n. 15.* terminum *probabile*, sic sumptum, ut mox dictum est, additione hujus: *tenuiter*, non tam diminui, quàm alienari, & distrahi à proprio suo significato, quod in vera acceptione *ly probabile*, prout significat fundamentum grave, ac dignum, quo quis nixus, non temerè, nec imprudenter procedit in asserendo aliquid esse, vel non esse licitum in praxi, importat. Rationem dat, quia *tenuitas* probabilitatis denotat *levitatè fundamenti*, atque ad eò importat *carentiam gravis fundamenti*, cujus oppositum sonat *ly probabile*. Hoc autem sensu, sumendò *tenuiter probabile*, omnino concedo, *non esse practicè probabile*; quia revera nemo potest in re, concernente peccatum, prudenter sequi iudicium, quo procedit ex fundamento *tenui*, hoc est, *absolutè levi*, præsertim cum in contrarium stat fundamentum *grave*, nimirum suadens in his circumstantijs, non licere ex tali fundamento ad executionem procedere: an autem opinio, *de cuius probabilitate intrinseca dubitant non pauci Viri docti*, ex hoc ipso, prudenter dici possit *tenuiter probabile*, hoc est, destituta, & carens omni fundamento gravi, quando eam tenent a-

Tom. I.

lij æquè docti, ac publicè professi etiam typo, præmissaque approbatione legitimâ, mihi quidem videtur non rectè dici, præsertim, quando etiam ipsi contrarij iudicant illam, propter eam docentium auctoritatem, esse practicè probabilem, at id contingit in præsentì, ut constat ex n. 450. ergo. Hinc ad summum tunc concedi posset, *opinionem aliquam* ex hoc, quòd de illius probabilitate dubitent non pauci Viri docti, *esse tenuiter probabilem*. 1. quando dubitant de probabilitate illius tam extrinseca, quàm intrinseca. 2. quando probabilitas, seu fundamenta intrinseca, quibus à suis Patronis propugnatur, redduntur per contrariorum rationes vel certò falsa, aut absolutè levia, seu non digna, quibus Vir doctus citra notam imprudentiæ, aut temeritatis, præbeat assensum; id, quod in nostro casu non contingit.

Sed ulterius urget P. Cardenas, qui censet, opinionem (quæ docet, satis fieri præcepto audiendæ Missæ, *successivè* audiendo duas, vel plures ejus partes) non esse ab intrinseco probabilem, desumens primum argumentum ex P. Suarez *d. 88. de Euchar. sect. 2.* quia præceptum audiendi Missam, exigit audiri *unam Missam totam*: sed illæ duæ medietates non constituunt *unam* Missam; cum revera non sint *unum* sacrificium; ergo non impletur præceptum audiendò, etiam *successivè* illas duas medietates. Alterum argumentum affert P. Jacobus Illfung *in Theol. pr. tr. 5. d. 2. n. 161.* diversorum sacrificiorum partes, singulæ ad singula sacrificia tanquam ad fines suos particulares, ac individuales, per intentionem ministri ita determinatè ordinatæ sunt, ut nequeant in unum sacrificium coalescere, sicut nequeunt partes diversorum officiorum, canonicorum, diversis diebus affixorum, coalescere in unum officium canonicum pro eadem die recitandum. Tertium argumentum sumitur à paritate de auditione *simultanea*, ad *successivam*, de quo, ubi & alijs, quibus Cardenas à finibus practicè probabilitatis *intrinseca* excludit opinionem, de qua in præsentì, jam retulimus, & solvimus à n. 452.

Resp. opinionem, quæ negat satisfieri 455: præcepto Ecclesiæ, per duas medietates Missæ, diversorum sacrificiorum, etiam *successivè* auditas, esse ac censeri ab alijs

O 2

etiam -

etiãnum *probabilem*; & à multis oppositã *probabiliorẽ*, sed *non esse certam*. *Probabilem* censent complures relati apud P. Illung *cit. n. 161*. oppositã *probabiliorẽ* Fagundez, Suarez, & alij: sed *non certam*; tum, quia complures sententiam affirmantem, ut *probabilem* defendunt, ut Layman *l. 4. tr. 5. c. 3. n. 4*. Tannerus, Navar. Bonacin. & complures alij apud eundem *cit. n. 161*. relati; tum, quia rationes, quibus utuntur Patroni sententiæ negantis, hanc nullatenus *certam* reddunt. Nam ad 1. Resp. C. ma. N. min. ad ejus prob. Resp. cum dist. illæ duæ medietates Missæ, *successivè audite* à diversis sacrificantibus, non sunt *unum sacrificium quoad effectum sacrificandi*, transf. *quoad effectum audiendi Missam*, N. Dixi. 1. *transseat non esse unum sacrificium quoad effectum sacrificandi*; nam in re non subsistit; si enim Sacerdos post consecratum panem, repente moreretur, & alius reliqua perageret, quoad effectum sacrificandi foret unum sacrificium, cum utraque pars ad eundem finem hujus sacrificij tendat.

456. Dixi 2. negandò, *non esse unum sacrificium quoad effectum audiendi Missam*. Nam cum contrarij dicunt, requiri *unum sacrificium*, vel volunt. 1. *unum unitate celebrantis*? vel 2. *unum unitate ordinis partium Missæ ad invicem*? vel 3. *unum integritate*, seu integrum, cui scilicet nulla pars substantialis, vel etiam integralis desit? si hoc postremum? certum est illas medietates facere sacrificium, seu Missam, cui nulla pars desit, ut ponit casus, adeoque *unum integritate*; si dicunt primum? id sanè *certum* non est; & probabilissimè negatur, ut constat ex instantia num. prioris. Si autem velint secundum? pariter non certum, sed solum probabile est, sic exigi *unum*. Deinde, vel per *unitatem ordinis* intelligunt eam, quæ est *ex institutione*; vel quæ est *ex intentione sacrificantis*? sed profectò alterutrum requiri, rationes illorum non demonstrant; ergo. Deinde, licet concedam, *sacrificantem* obligari, ut, cum sacrificat, servet ordinem, quem ex institutione habet ordo sacrificandi; sed hunc etiam ordinem esse graviter præceptum *audienti*, probabiliter quidem dicitur; sed ratione certã non evincitur. Nec aliud evincit paritas, quam aliqui desumunt ab unitate officij divini.

Ad 2. in n. 454. Resp. cum dist. diversorum sacrificiorum partes, ab intentione ministri sic determinatè ordinatæ sunt, ut nequeant in *unum* sacrificium cõalescere, si loquatur de *unitate* sacrificij *desumpta ab unitate celebrantis*, vel ejus intentione, transf. si de unitate integritatis Missæ, N. si enim velint, *esse sub præcepto unitatem* consurgentem ex partibus Missæ *unius celebrantis*, vel *intentionis ejus*, eo ipso dicunt esse præceptum, quod est in quæstione, an sit præceptum? unitatem autem integritatis haberi in dato casu, ex dictis constat; nec aliam intendi plus, quàm probabiliter, evincunt Negantium argumenta. Id quod in eodem argumento num. 454. desumitur à partibus diversorum officiorum Canonico-  
457. rum, patitur easdem solutiones. Vix enim probavit pars adversa, *certum esse*, non satisfieri obligationi persolvendi horas Canonicas ab eo, qui putans cras esse festum, hodie de illo recitat matutinum, & laudes; & cras advertens errorem, reliqua orat de feria illa occurrente.

Dubitatio altera est, an satisfiat legi, vel præcepto, *simul tempore* ponendo ejus materiam dividuam, divisibiliter præceptam. Dupliciter fieri potest, totum aliquod, constans partibus dividuis, divisibiliter præceptis, esse debitum lege. 1. si totum, quod naturã suã, institutione, vel juris dispositione, aut etiam legis intentione, non sit *successivum*; 2. si sit *successivum* ita, ut aliàs non retineat denominationem, sub qua per legem, quæ ejus positionem directè intendit, præcipitur; quo posito: Resp. satisfieri præcepto, per simultaneam positionem partium materiæ dividuæ, divisibiliter præceptæ, si totum divisibiliter præceptum *non sit successivum* naturã suã, juris dispositione, aut legis intentione. Ratio primi est, quia præcepto satisfit positione totius rei præceptæ quoad substantiam, & modum intrinsecum; at ponendò simul partes materiæ divisibilis divisibiliter præceptæ, quando non est *successiva* uno ex prædictis modis, ponitur tota res præcepta, quoad substantiam, & modum ejus intrinsecum; quia supponitur idem poni simul, quod poneretur *successivè*, nisi quòd omittatur *modus successivæ positionis*, quæ, ut ponit casus, non est de ratione totius præcepti, aut lege debita; ergo.

60. Ratio secundi est, quia, quando totum, quod ponitur sub lege, est naturâ suâ, vel legis dispositione, aut ex intentione legis successivum, modus successivæ positionis est intrinsecus rei præceptæ; ergo nisi successivè ponatur materia illa dividua, non ponitur materia illa dividua, non ponitur materia præcepta, secundum quod subest legi, vel præcepto; at sic non satisficit legi, aut præcepto; ergo. Quoad secundam partem (quod satis faciat præcepto, simul tempore ponens plures partes materiae dividuæ, v. g. *simul plures partes Missæ à pluribus sacerdotibus celebrantibus*) probabile censuit Molfesius, & alij, ut constat ex dictis à n. 445. Sed hodie post Constitutionem Innocentij XI. de qua superius n. 445. ea opinio sustineri non potest. Nam ex propositione 53. inibi damnata, certum est, quod sit scandalosa opinio dicens, *satisfieri præcepto Ecclesie, de audiendo sacro, per eum, qui duas ejus partes, imò quatuor simul, à diversis celebrantibus audit;* ergo.

459. Dices cum Diana, p. 10. tract. 15. resol. 3. licitum est audire simul duas Missas, simul concurrentes in altaribus conjunctis, licet una debita sit præcepto, altera voto; at sicut se habet totum ad totum, ita se habet pars ad partem; ergo sicut satisficit obligationi, audiendò simul duas missas secundum se totas; ita satisficit audiendò simul duas partes missæ. Respond. datâ majori dist. min. sicut se habet totum ad totum, ita se habet *pars illius totius, ad partem hujus totius*, transf. *ejusdem totius*, neg. min. & conseq. Aliàs enim, ut rectè notat Cardenas *dissert. 32. c. 5. a. 1. n. 40.* valeret hoc argumentum in casu quo *Transumptum* (imago v. g. perfectè simile est suo *exemplari*: sicut se habet *transumptum ad exemplar*, ita se habet *pars transumpti*, consequenter valeret subsumere: sed *caput transumpti est rotundum*; ergo et am. nasus, vel pes ejus est rotundus &c. quod malè dicitur.

§. IX.

*An prolatio sententiæ Principis constituat legem pro similibus?*

460. Ante resolut. not. 1. per *sententiam* hic intelligi mentem, ac voluntatem Principis, sive Ecclesiastici, sive Laici, quâ

vel declarat, vel constituit, aut definit, quid in hac, vel illa materia, hoc, vel illo casu agendum, vel omittendum sit? Not. 2. dupliciter fieri posse, quod Princeps aliquis dicat, proferatque sententiam in certa materia, vel casu; 1. *solum declarandò legem à se, vel antecessoribus suis latam.* 2. *decidendò questionem litigiosam*, quod fit, quando pronuntiat super ea secundum leges vel à se, aut Prædecessoribus; vel à jure divino, & naturali statutas. Not. 3. sententiam *merè declarativam legis* antè conditæ, extendi solum ad præterita, ut notat Layman in c. *quoniam*, de constitutionibus, in 6. quia, *qui jus præcisè declarat, nihil de novo condit; sed quod antè positum est, denuntiat; argum. L. Heredes palam, 21. §. si quid ff. de Testament.* ubi generatim dicitur: *qui declarat, nihil tunc dat, sed datum significat.* Et ideo Doctores communiter dicunt: *magis obligat lex antiqua declarata, quàm nova declarans.* Ex hoc sequitur, ex prolatione sententiæ *merè declarativæ*, à Principe data, non induci novam legem; sed solum effici, ut lex illa declarata, obliget secundum sensum à Principe expressum. Nam per ejusmodi declarationem manifestatur mens, & intentio Legislatoris, à qua pendet vis obligandi, quam importat lex.

Potissima quæstio est, an sententia litis, aut litigiosæ quæstionis decisiva, in certo casu, materiâ, vel causâ, etiam pro similibus decidendis constituat legem, quando data est cum causæ cognitione? Communis opinio Doctorum ex utroque jure sequitur affirmativam cum *Felin. in Rubric. de Rescript. n. 1. Jalone in L. 1. ff. de constit. princip. & L. 1. ff. de Ferijs, à n. 23. &c. fundantur potissimum in L. ult. C. de legibus*, ubi sententia, inter partes data, cum cognitione causæ, pro lege habenda dicitur: *negativam tamen sequitur Covarr. 4. decret. p. 1. c. 7. §. 4. n. 15. 1.* quia sententia decisiva, *in quantum talis*, non respicit *directè bonum commune*, sed bonum speciale aliquorum, quorum causa in ea lite, secundum jus prævalet. 2. quia lex præcipiens versatur circa futura, decisio litis solum declarat jus præexistens inter partes. 3. quia lex est juris constitutio, non declaratio; decisio autem secus. 4. quia *L. 2. C. de legib. ait Imperator, quod ex relationibus, vel suggestionibus*

stionibus judicantium Procerum, introducto negotio, statuimus, generalia jura non sunt.

462. In hac quaestione videtur distinguendum, ac dicendum probabilius esse, nullam sententiam decisivam, ex eo *præcisè*, quòd *decisiva sit*, habendam esse pro lege; secus tamen, si Princeps aliquo signo declaret, velle se, ut in similibus deinceps hæc sua in præsentī casu decisio, pro lege habeatur. ita Suarez *l. 3. de legib. c. 15. n. 16.* quem citat, & sequitur Castropalaus *tr. 3. de legib. D. 1. p. 8. à n. 5.* quâ distinctione videntur conciliari posse prædictæ sententiæ, ut Felinus, & alij intelligantur juxta secundam; Covaruvias juxta primam partem datæ distinctionis. Ratio primæ partis est ex n. priori; nam sententia *decisiva*, quâ talis, revera directè solùm respicit particulare, ac privatum bonum ejus ex partibus litigantibus, cujus merita secundum leges, & jura, meritis alterius præponderant; lex autem propriè dicta (ut constat ex dict.) naturâ suâ *directè* respicit bonum commune. 2. quia sententia *decisiva*, quâ talis, non est constitutiva juris, aut legis, sed tantum applicativa juris, & legis præexistentis, pro parte unius, & non alterius. Accedit (prout opportunè observat Castropalaus cit.) facile posse evenire, quòd sententia decisiva (si ex propria opinione procedat) errorem contineat. Talem continebat ea sententia, quâ judicatum fuit, matrimonium ratum dissolvi per subsequens consummatum, cujus mentio fit in *c. licet*, de sponsa duorum; & altera, de qua fit mentio in *c. quanto*, de divortio, ubi judicatum fuit à quodam Prædecessore Innocentij III. (sed privato solùm sensu) matrimonium fidelium solvi per alterius lapsum in hæresim, vel Apostasiam à fide. de quo agimus *lib. 4. decretal.* Ratio secundæ partis est; quia si Princeps sufficienter declaret, se velle sententiam suam, certæ causæ decisivam inter partes, deinceps haberi pro lege in similibus, non facit legem *in quantum decisiva est*; sed in quantum per voluntatem reflexam hanc decisionē ordinat in commune bonum tanquam regulam à se præscriptam, in similibus causis observandam.

463. Quæri autem potest 1. unde cognoscatur, quòd Princeps habeat hanc voluntatem, quâ censetur declarare, quòd de-

cisionem suam in hac causa, velit deinceps observari pro lege in similibus? respondet Castropalaus *cit. n. 5.* quòd tunc, si mandaret sententiam suam inseri corpori juris, aut aliâ solenni formâ id publicaret. Nam sic Corpus juris canonici potissimum constitutum est; & habetur in *c. in causis, 19. de sent. & re judicat.* ubi dicitur, *in causis, quæ Summi Pontificis judicio deciduntur, & ordo juris, & vigor aequitatis est subtiliter observandus. Cum in similibus casibus ceteri teneantur similiter judicare.* Nisi fortè cum aliquid (causa necessitatis, & utilitatis inspectâ (dispensativè duxerit statuendum.

464. Quæri potest 2. an, quòd dictum est de sententia Principis decisiva litis inter privatos, etiam dicendum veniat de illius epistola, & rescriptis? R. esse distinguendum. Nam talis epistola, vel rescriptum, aut est *purè decisivum litis* secundum leges antè conditas, aut *merè declarativum* juris præexistentis, aut *novi juris constitutivum*; si *merè decisivum litis*; omnino idè tenendum de tali epistola, vel rescripto, quòd diximus à *n. 462.* si *merè declarativum juris* jam præexistentis? subdist. nam vel declarat jus præexistens, sed à se conditum? & eo casu tenendum est, quòd diximus *n. 460.* jus illud in eo sensu, quem declarat Princeps, accipiendum esse: vel declarat jus præexistens, sed naturale, & divinum? & tali casu vim legis non obtinet, nisi non opinione suâ privatâ, sed potestate Vicaria sibi à Christo datâ utatur; propter dicta alibi: si denique talis epistola, vel rescriptum, est *novi juris constitutivum*, in commune bonum, directè intentum? omnino vim legis habet, ut deciditur *L. 1. ff. de constitut. Princip.* ibi: *quodcumque Imperator per epistolam constituit, vel edito præcepit, legem esse constat*; & *cit. L. ult. C. de legib.* ubi habetur: *sententiam inter partes datam cum cognitione causæ, pro lege habendam*; quòd intellige de sententia, non in quantum litis præcisè decisiva, ut constat ex *n. 462.* sed signo Principis declaratâ, quòd pro lege haberi velit; ita Suarez *cit. L. 3. c. 15.*

465. Quæri potest 3. quid dicendum de sententia, epistola, vel rescripto Prælati, vel Magistratûs alicujus, alteri subditi, habentis tamen potestatem legislativam pro suis subditis? R. sententiam litis præcisè decisivam,



firmam, non habere vim legis, etiam subditos talis Prælati, vel Magistratus, cujus ratio est ex n. 462. epistolam autem, aut rescriptum, seu responsum ejus, novi juris constitutum, haberi pro lege, si ab eo, cui talis Legislator subest, approbatur, ex n. priori: si autem sit juris præexistentis solum declarativum; & sit juris communis toti Regno, non habiturum vim legis etiam apud sibi subditos. Hujus ratio est, quia talis declaratio, vel est conformis legi communi toti Regno, & prout omnes provincias ejus obligat; vel *difformis: si difformis* non est de claratio legitima; sed inordinata. Nam *inordinatū* est, legē toti Regno communem, habere diversos sensus in diversis provincijs ejusdem regni, nisi Princeps sic velit; & *illegitimum* est, ubi exponens non æquipollet exposito: si *conformis* vim habere nequit in virtute declarationis profectæ à Magistratu unius privatæ provincie, non valentis ligare omnes; præterquam, quòd mera declaratio juris communis non ponat, sed solum exponat tale jus. V. Suarez *cit. L. 3. c. 15. n. 18. & L. 4. c. 14. n. 23.* & ex illo Castropal. *cit. n. 7.*

466. Illud adhuc not. cum dicimus, in certis casibus, sententiam decisivam litis, vel epistolam, aut rescriptum Principis, datum ad quæstionem dubiam, sibi propositam, habere vim legis, in alijs etiam causis similibus definiendis; necessariò intelligendum esse, si sint affectæ ijsdem circumstantijs, & qualitibus, quibus ea, super quæ talis decisio, epistola, vel rescriptum emanavit; secus enim illius applicatio foret à diverso ad diversum, quæ non tenet, utpote sumpta à disparato; quod tamen accipe, si decisio fundetur in ejusmodi circumstantia, vel qualitate. Et ideo frequenter malè applicantur, *indefinitè rescripta Pontificum*, his non observatis. Exemplo sit præsens casus. Mulier certa, de obitu prioris viri (utpote præsens, cum tumularetur, postquam obruncatus est in hostili conflictu) cupit transire ad secunda vota; reijcitur à suo Parocho, donec ei certam probationem faciat, virum suum obiisse, sic exigente c. *in presentia*, 19. de sponsal. ubi Clemens III. Cæsaraugustano Episcopo rescribit: quòd mulieres, quantumcunque annorum numero remaneant, viris suis absentibus, non possint ad aliorum consortium canonicè convolare, nec au-

thoritate Ecclesie permitti, donec certum nuntium recipiant de morte virorum; item c. Dominus, 2. de secund. nupt. ubi dicitur: nullus amodò ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migraverit conjunx ejus.

Hæc utriusque rescripti applicatio in præsentem casu non videtur habere locum. 467. Nam rescriptum Clementis in c. *In presentia*, erat ad hanc quæstionem Episcopi: an mulieres (*quæ de vita, vel morte virorum suorum*, quos longo jam tempore, causâ captivitatis, vel peregrinationis absentes, expectârunt, nullâ habere certitudinem possunt, atque adeo ignorant, an vivant, aut obierint sui conjuges) transire possint ad secundas nuptias? & epistola Lucij III. in c. Dominus expressè loquitur de casu, quo quidam Christiani, in captivitate Saracenorum, nullâ certitudine habitâ, sed incerti ac dubitantes de morte uxoris contrahebant secunda matrimonia: casus autem propositus in n. priori, ponit mulierem transire volentem ad secunda vota, certam de obitu viri sui; ergo applicatio utriusque capituli in dato casu non habet locum.

468. Si dicas: Ecclesie debet constare de obitu prioris conjugis, ut superstitem admittat ad secunda vota. Resp. cum dist. si transire volens ad secunda vota, adhuc sit dubius de obitu sui conjugis; trans. si certus; nego. Dico transeat. Nam textus in cit. c. c. requirit certitudinem de obitu prioris conjugis, solum in eo, qui transire vult ad secunda vota, ut patet ex c. *In presentia*, ibi: donec certum nuntium recipiant de morte virorum suorum; & c. Dominus, ibi: nullus amodò, donec ei constet &c. ut supr. n. 466. Ex hoc autem fit, quòd, quando in textu dicitur: non possint ad aliorum consortiū canonicè convolare, nec auctoritate Ecclesie permitti (ex quo aliqui volunt, Ecclesie, vel Parocho debere fieri certitudinem de obitu prioris conjugis) vi alati textus id non rectè probetur in casu proposito, ubi transire volens ad secundas nuptias non est dubius, nec incertus de obitu sui conjugis. Nam textus expressè loquitur de casu, quo transire volens ad secunda vota, dubitat, vel incertus est de morte prioris conjugis. Quia tamen soli illi, qui transire vult ad secunda vota, statim fidem dare, & ad illius solius assertionem, suam

suum conjugem obiisse, se presentem fuisse, cum sepeliretur, &c. credere, multum periculi habet (cum facile mentiantur homines, praesertim vagi, aut peregrini, se liberos esse à priori vinculo conjugali) justum omnino est (& laudabilis usus etiam obtinuit) ut tales non admittantur ad secunda vota, nisi Parocho fidem faciant, seu rationabilem credulitatem de obitu conjugis prioris; de quo plura l. 4.

## ARTICULUS X.

*Quis possit condere leges?*

469. **C**um communitas hominum sine Gubernatore, & recta gubernatio stare non possit sine potestate ferendi leges, quibus ille tanquam medijs, munus & officium Gubernatoris exercent, omnino necesse est, quod in hominibus sit potestas legislativa. Nam *ubi non est gubernator, corrumpit populus*, ut dicitur proverb. 11. Cum autem homines naturam liberos fecerit, nulli particulari homini naturam inest potestas, alijs praescribendi legem; ergo ejusmodi potestas in hominibus, aliunde illis provenire debet, nimirum vel immediate à DEO, vel saltem mediate, quatenus aliqui naturam suam libertate se privantes, unum, vel plures sibi elegerunt, quibus sponte se subjecerunt eo fine, ut in aliquam communitatem coadunati, ab ipso gubernarentur per ea media, quibus bonum, & felicitas illius communitatis, & recte procederet, & conservaretur, vel amplius etiam promoveretur, de quo plura Casparus Manzus, de ortu, & progressu Imperij Rom. Tit. 3. c. 7. & seq.

470. Illos porro, qui se in unam communitatem coadunantes, uni vel pluribus se gubernandos subjecerunt, potestatem & jurisdictionem politicam eo ipso, quod in unam communitatem coiverint, animo se ipsos invicem juvandi, & societatis vinculo uniendi, sortitos esse à natura, docet Castropalaus p. 1. t. 3. D. 1. p. 22. n. 2. Sed hoc videtur intelligendum solum ex suppositione, quod liberè constituere voluerit talem communitatem, rite ab uno, vel pluribus gubernandam juxta mensuram initae communitatis, & consensionis. Ratio hujus est, quia sine potestate ferendi legis fieri non poterat, ut in pace, ac

justitia viverent: at quoniam successu temporis illae ipsae communitates, propter magnam confusionem, & perturbationem, ubi multitudo gubernabat, justitia & pace vix unquam stabili, expertae sunt, bono communi praestabilius, si ea potestas non penes communitatem, sed paucos, imò etiam unum duntaxat esset, eam ipsam in eos transtulerunt, qui reliquos regerent, potestate ab illis accepta; Sic D. Thomas 1. 2. q. 90. art. 3. ad 2. & q. 97. art. 3. ad 3. Suarez de legib. l. 3. c. 2. n. 3. & alij communiter.

Ex hoc inferunt aliqui, quemlibet Principem facultatem, potestatem condendi leges habere immediate à Republica, mediate autem à DEO. Primam partem probant ex L. 1. ff. de constitut. Princip. & L. 3. c. Novissimè. ff. de orig. juris. Secundam ex illo Pauli ad Rom. 15. *non est potestas, nisi à DEO*; & Joan. 19. *non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi data esset desuper*. Denique proverb. 8. *per me Reges regnant, & conditores legum juxta decernunt*. Caeterum mihi probabilius est, omnem potestatem regiam esse immediate à DEO; hoc probant allati textus sacri, & ratio; nam supposita potestate in aliquo superiore, hic vices DEI gerit; & quidquid hic justè imperat, DEUS imperat; & qui justum ejus imperium contemnit, vel ei resistit, DEUM contemnit, & DEO resistit. *Qui enim potestati resistit (quae scilicet à DEO est) DEI ordinationi resistit*, ad Rom. 15. Nec obstat, quod prius fuerit in communitate, & ab hac dicatur translata in Regem. Nam dupliciter intelligi potest haec translatio. 1. quod communitas potestatem, quam habuit, constituat in Principe, cui se subicit, vel eandem in illo constituendo; aut, ut multi loquuntur, juridicè producendo similem, juxta divinam legis favorem; 2. quod suam electione, vel subiectione ponat conditionem, quam posita divina lex, quae omnis potestatis origo est, & fons, taliter electo faveat in ordine ad omnes illas actiones, per ordinem ad quas favebat antè illi communitati, à qua in electum dicta potestas transferri dicitur. Quoad rem, verius est fieri secundo modo; qualiter fit in translatione dominij. Hujus quippe potestas, in quantum legitima, constituitur favore legis, aut pacti legitimi, utendi re do-

mi-

minio subjecta, directe in commodum libertatis propriae; hoc enim modo, non aliter, transfertur in donarium a donante, nisi quatenusposito donantis consensu legitimo, leges impartuntur donatario favorem suum ad rei usum, quem ante concesserant donanti; his praemissis:

## §. I.

*Quousque extendat se potestas legislativa hominum?*

472. **Q**uestio est, quid possit circa jus naturale, & divinum? Resp. 1. quod nulla potestas humana legem naturalem, & divinam, *praeceptivam*, directe mutare possit, aliquid contrarium illi statuendo, vel in ea dispensando. Quia inferior in lege Superioris nihil immutare potest, minus eam tollere. Unde nec Pontifex, nec alij Superiores Ecclesiastici, dispensantes in votis, vel juramentis ullam relaxationem juris divini *directe* faciunt; esto indirecte tollant materiam legis, seu juris divini, circa quam hoc versabatur; de quo V. Suarez tom. 2. de Relig. l. 6. c. 9. n. 15. Ex quo habetur, nihil jure naturali, & divino prohibitum, ullo jure humano posse directe fieri licitum; nihil eo jure praecipuum, ullo humano jure posse directe fieri vetitum. Ratio hujus est, quia neutrum fieri potest, nisi mutando, vel dispensando jus naturale, & divinum; at neutrum directe fieri potest ullâ potestate humana, ut dictum est: ergo. Hujus ratio est, quia praecipua naturalia sunt dictamina rectae rationis, de ijs, quae habent turpitudinem, aut honestatem intrinsecam, & essentialem independentem ab omni divina, & humana voluntate. Sunt igitur ea dictamina propositiones sempiternae veritatis, atque necessariae, sicut ipsarum objectum necessarium est; ergo & immutabiles: vel enim mutaretur cognitio illa practica, vel objectum: istud mutari nequit, cum sit essentialiter tale; cognitio etiam practica mutari nequit; fieret enim ex vera falsa, si affirmaret, quod antea negabat aut negaret, quod affirmabat, nulla in objecto facta mutatione; si enim antea verè affirmabat, nunc falsò negabit, quod affirmabat. Hoc igitur judicium non est dictamè rectae, sed aberrantis rationis; quare non magis ista judicia practica sunt muta-

Tom. I.

bilia, quàm speculativa, quoties sunt propositiones perpetuae veritatis, uti sunt istae, de quibus agimus.

Resp. 2. quod jure naturali, vel divino nec praecipuum, nec prohibitum, sed *pure permissum* est, jure humano posse quandoque mutari praecipiendo, vel prohibendo. Nam ex utroque jure constat, multa, jure naturae permissa, jure humano non tantum prohiberi, sed etiam saepius annullari, quando scilicet ratio boni communis exigit. Sic matrimonium cum consanguinea sponsae de futuro; professio ante 16. annum aetatis cum sufficienti deliberatione facta, &c. jure naturae valent; jure Ecclesiastico irrita sunt. Donationes inter conjuges, constante matrimonio, jure naturae validae, humano invalidae, vel saltem non firmae sunt, nisi morte donantis confirmentur, ut constat ex l. 4. decretal. tit. 24. de Donat. inter Vir. & Uxor.

Resp. 3. quod Magistratus humanus juxta dandam expositionem licite jus naturale interpretari possit, modo ea interpretatio indubitata sit. Nam, qui declarat, nihil immutat, aut de novo statuit, ut constat ex Felino in c. 1. de offic. deleg. n. 1. Bartolo in L. Omnis populus, ff. de Just. & Jure, q. 6. Gloss. in L. 1. ff. de orig. juris, V. Interpretationem; quod sic intelligendum est, ut dicta legis naturalis interpretatio in concernentibus DEI cultum, Religionem, ac salutem animarum, conveniat soli *Magistratui Ecclesiastico*; Laico autem duntaxat in profanis. Ex hoc factum est, quod jus naturale, ac divinum *de homine non occidendo*, per legitimam interpretationem non cadat in casum, quo occiditur injustus aggressor exigente illius occisionem necessariam defensione propriae vitae. Ubi tamen dubitatur, an interpretatio juris naturalis, quae fit per jus civile, seu seculare, foveat, vel non foveat peccatum? juris Ecclesiastici est definire. Nam hujus duntaxat fori est ea, quae salutem animarum spectant, discernere.

Dixi n. 472. nullâ potestate posse aliquid *directe* mutari in lege naturali, mutatione nimirum directâ, quae fiat per definitionem, abrogationem, dispensationem, emendationem, seu epichiam, ut tenent D. Thomas 1. 2. q. 94. a. 4. & 5. & alibi; Suarez l. 1. de legib. à c. 13. n. 2. & alij: dicendum nihilominus est, legem

P

natu-

naturalem esse impropiè, & indirectè mutabilem ratione materiæ, quæ non nisi, *ut certis circumstantiis affecta*, est objectum juris naturalis, illisque conditionibus spoliata, definit esse tale objectum. Hoc tenent potiori jure, qui existimant ab humana etiam potestate, mutari quidpiam in jure naturali posse, inter quos est Felinus in c. *ne innitaris, de constitut. n. 7.* Abbas in c. *Que in Ecclesiarum, de constitut. n. 11.* & in c. *fin. de consuetud. n. 3.* & in c. *à nobis, de decimis, n. 4.* Navarr. *consil. 2.* qui filij sint legitimi, n. 8. Nec enim eorum rationes, & exempla per illos adducta, probant aliam mutationem, ac istam impropiam, & indirectam. Et hoc etiam docet D. Thomas, 1. 2. q. 100. a. 8. dum ait: præcepta naturalia, quatenus continent rationem debiti, & justitiæ, esse indispensabilia; secundum quod autem determinantur ad speciales modos, esse dispensabilia.

476. Circa quem textum D. Thomæ nota, quod per ordinem sive rationem debiti Cajetanus intelligat, debitum non in communi, sed juxta conditiones, secundum quas in subjecta materia uniuscujusque præcepti præscribitur, sive affirmativè, sive negativè. Per applicationem autem præceptorum ad speciales actus, in quibus ordo, sive ratio debiti reperitur, intelligit S. Doctor præcepta, quatenus respiciunt actus absolute, seclusis conditionibus, secundum quas in ipsos adæquatè feruntur; quia igitur in istis specialibus actibus, potest fieri aliqua varitatio conditionum, secundum quas præcepta naturalia ad ejusmodi actus determinantur, & applicantur; idcirco fieri potest, ut ad eos non applicentur, & determinentur præcepta naturalia defectu conditionum, secundum quas illos actus adæquatè respiciebant; unde obligatio naturalis circa illos actus amplius non manet.

477. Econtra si maneat idem ordo debiti, justitiæ, & virtutis, quia manet idem actus adæquatè secundum omnes conditiones, secundum quas terminabat præceptum naturale, non potest illud idem præceptum non terminare, neque in eo potest cessare ratio debiti, neque proinde obligatio naturalis circa ipsum: quod explicat Cajetanus in præcepto *non occidendi*, in quo ordo justitiæ est, ut non occidatur homo in-

*nocens aut privata autoritate* cum cæteris conditionibus, sub quibus DEUS, & lex naturalis prohibent hominis eadem: in quo ordine nulla potest esse dispensatio, neque cædes cum illis conditionibus, sub quibus à lege naturali prohibetur, licita fieri. Si tamen muretur aliqua conditio, sub qua prohibebatur cædes; illa quidem licita fiet, non tamen in præcepto naturali fiet propria mutatio, cum illud non respiciat eam eadem cum illis conditionibus, sed impropria erit mutatio duntaxat ratione materiæ, per quam non mutatur præceptum.

Ex his colligitur, ea duntaxat præcepta naturalia posse impropiè, sive extrinsecè mutari, quæ habent materiam mutabilem, quatenus nimirum terminant præceptum secundum aliquam mutationem necessariam, quæ supponit judicium, & arbitrium humanum; sic enim, sicut directè conditio ea necessaria, pendens à voluntate hominis libera, consequenter & materia, in quantum fundat obligationem præcepti, sic & præceptum ipsum indirectè mutari potest; & ea mutatione facta, cessat sine ulla relaxatione, aut dispensatione obligatio legis naturalis; similiter, quoties materia, prout fundat honestatem, aut turpitudinem jure naturali prohibitam, vel imperatam, pendet à supremo DEI dominio: potest DEUS ejusmodi materiam per variationem alicujus circumstantiæ subtrahere obligationi naturali, quæ unà cum materia, quam respicit, desinere omnino debet.

Colligitur, 2. irritatione, dispensatione, vel mutatione voti nihil juri naturali directè detrahi, aut in eo mutari. *Nihil in irritatione*; nam ea, quæ fiunt ex vi potestatis dominativæ, quæ quis habet in personam voventem, aut in materiã voto promissam, eo ipso habent, ut tale votum subditi sit conditionale essentialiter, & postulet ad sui firmitatem consensum superioris, tanquam conditionem, sine qua non. Unde ea conditione non posita, definit obligare, quod est de natura voti conditionalis; quæ autem fit à Superiore ex vi potestatis gubernativæ, similiter fit solum indirectè. Nam si Superior non consentit, aut repugnat voto subditi, utitur suo jure; non enim tenetur in votum subditi consentire, aut se abdicare jure, quod habet in materiã voto promissam; quod idem

contingit, quando irritatio ista impropria tantum est, & solum voti suspensio, eo, quod voti executio præjudicet juri Superioris, qui etiam potestatem habet illam impediendi, cum possit, aut suam prohibitionem ipsam illicitam reddere, aut eam subtrahendò impossibilem facere.

480. Nihil in dispensatione; quia cum votum sit promissio, aut contractus, quo DEUS jus acquisivit in rem voto promissam, potest remitti ea actio, & illud jus tum à DEO, tum nomine ipsius, & facta ab illo potestate ab Ecclesia, atque ita tota obligatio voti cessat; sicut facta remissione creditoris, vel vices illius gerentis, debitum omne extinguitur, uti explicant Suarez l. 6. de voto, c. 9. Less. l. 2. de just. c. 14. dub. 12. Vasq. 1. 2. d. 178. n. 13. Becan. ibid. tract. 3. c. 3. q. ult. n. 11. Non denique in commutatione. Nam cum hæc non tollat vinculum, & obligationem voti purè & simpliciter, sicut dispensatio; sed tantum sub onere novi vinculi, & obligationis priori subrogatæ, non detrahit juri naturali DEO acquisito, sed in aliud mutat, quod DEUS æquè acceptat, quia aut majus, ipsique gratius est, aut, si sit æquale, vel inferius, ipse illi mutationi annuit per prælatum, qui ejus vices sustinet.

481. Sed nec epichia propriè sumpta quidquam directè in lege naturali mutat; non enim est nuda interpretatio, ac declaratio, legem in eo singulari casu non obligare; ad id enim solum prudentia, & doctrina requiritur; sed est emendatio legis, quæ cum verbis universalibus lata sit, in casu quodam particulari judicatur, non esse observanda; quia facta est inutilis, & noxia; quare legislator in eo casu suam ipsam legem emendaret. Et ideo, qui in jure naturali aliquam epichiam admittendam esse contendunt, id accidere tantum fatentur, quando jus naturale continetur in universalibus præceptis, & per generales regulas nobis innotescit; quæ deinde in singularibus eventibus deficiunt: nam quando naturalis ratio dicat singulariter, quid in unaquaque facti specie in his, illisve circumstantiis sit faciendum, nulla possibilis est, aut emendatio, aut exceptio, vel ampliatio; quod enim tunc natura, & ratio suggerit, non potest non esse conveniens rectæ rationi, emendabile itaque

Tom. I.

non est; atqui lex naturalis non tantum universalis, sed ipsa omnia singularia præscribit, eaque in parte differt à lege humana: ergo nunquam emendabilis est, sed omni ex parte immutabilis.

Quæstio nunc ulterior est, quid possit 482. potestas humana in jure omnibus gentibus communi? Ante resolut. not. ut aliqua natura veri & proprii juris capax sit, debere quoque esse capacem libertatis, obligationis, permissionis, non tamen necessariò pœnæ propriè dictæ, ut alibi diximus de Incarnatione. Nam si libertate careat, nihil ipsi aut imperari aut prohiberi aut permitti poterit, neque si imperata prætermittat, aut prohibita faciat, præmio laudabilis meriti carere; aut si peccet, puniri. Horum verò omnium bruta capacia non sunt, ut patet. Ideo etiam Cicero lib. 1. de offic. libertati, ait, proprium est, sic vivere, ut velis; quæ sanè convenire non possunt propensione, & appetitui, quo bruta propelluntur, & necessariò aguntur, maximè cum vulgatæ libertatis definitioni, qua dicatur (*facultas faciendi quod lubet, nisi si quid vi aut jure prohibetur*) qua prohibitione juris non obstringi bruta, facile vides, non enim sua facta ad regulam, & certam normam exigere possunt, & ad legem, quæ est ex Chrysostr. orat. 75. rerum gerendarum justa regula. Non igitur hic agimus de jure, quod juris-consulti commune volunt hominibus cum brutis; sed quod non nisi ratione æstimatur, quibus positus:

Resp. à Magistratu humano jus gentium 483. præceptivum mutari non posse; permissivo autem posse aliquid adjici; sic Layman lib. 2. Summe, tr. 3. c. 12. q. 5. Ratio primæ partis est, quia ut dicitur c. Jus gentium, dist. 1. juncto c. Jus gentium Instit. de jure nat. gent. c. nefas est, violare fœdera etiam cum hostibus; religionem Legatorum non violandorum c. nam sine his, sincerè, ac inviolabiliter observatis, pax inter homines, & humana societas consistere non potest; ratio secundæ partis est; quia, etsi jure gentium, ad res gestæ probationem sufficiant duo, vel tres testes minimè suspecti, ac omni exceptione majores; nec tamen est contra jus gentium, & passim recipitur jus humanum, quod constituit majorem testium numerum ad valorem ultimarum voluntatum.

voluntatum, propter plura pericula fraudum intervenire valentium in ejusmodi casu. Idem etiam jure Ecclesiastico constitutum est, cum agitur ad separationem vinculi conjugalis propter alterius impotentiam, ut habetur *lib. 4. tit. de divortiiis*.

## §. II.

Qui possint ferre legem civilem, seu  
secularem?

484. **C**um condere legem sit actus jurisdictionis, ut ait Baldus in *L. ult. C. de Jurisdic. omn. Jud. n. 1.* cui non inest jurisdictionis, necesse est, quod ei nec inest potestas condendi legem. Et quia jurisdictionis correlativè dicitur ad subditum, & vicissim; inane est, ac irritum, condere legem in non subditum. Unde sicut extra territorium jus dicenti non paretur impune, c. *ut animarum, de constit. in 6.* sic jus dicenti in non subditum. Nam nemo legem ferre potest ultra limites sue jurisdictionis, ut constat ex *L. ult. ff. de Jurisdic. omn. Judic.* Not. autem duplicem potestatem vulgò distingui à Juristis, æconomicam videlicet, & politicam; prior, quam etiam aliqui dominativam appellant, est solùm circa privatas personas, & respicit communitatem tantùm imperfectam, eaque triplex statuitur, Patris in filium, viri in uxorem, domini in servum; è quibus duæ priores immediatè oriuntur ex jure naturali; tertia ex jure gentium; vel civili; nam ex naturali origine, quam filius accipit à Patre, illi quoque subjicitur, ut & viro uxor, posito tamen contractu humano matrimonij initi, qui contractus etiam de jure naturali est; propagatio enim hominum; & comixtio maris ac foeminae; maximè naturalis est; promiscua autem libido, ipso etiam jure naturali vetatur.

485. Potestas politica respicit perfectam communitatem, quæ scilicet ut unum corpus politicum ex varijs unione quadam in ordine ad gubernationem, & regimen coaluit. Unde vocatur potestas jurisdictionis, à qua nempe publicæ potestates formaliter habent, ut sint publicæ potestates. Jurisdictio autem dicitur rerum, & vitæ sub una suprema potestate ad bene beatèque vivendum societas; ex qui-

bus vides duas has potestates, æconomicam scilicet seu dominativam, ac politicam plurimum differre, his præmissis:

Dicendum 1. Summum Pontificem non posse condere leges civiles, *totum orbem*, aut *totum populum Christianum* obligantes; sic Navar. in c. *Novit, de Judic. not. 3. n. 9.* cum comuni; Ratio est, quia potestas ferendi legem civilem respicit subditum, in civilibus, & temporalibus subditum; sed sic nec totus orbis, nec totus populus Christianus subditus est Summo Pontifici. 1. *non infideles*; nam hi nec constitutionibus ejus canonicis ligantur, ut habetur in c. *Gaudemus, de divortiiis*. 2. *nec omnes fideles*; nam supremam jurisdictionem civilem, & temporalem in hos, qui commorantur in terris Imperij, habet Imperator; in alios diversorum Regnorum, Reges ipsorum. Et quamvis verum sit, Summum Pontificem posse condere leges, etiam civiles pro suis subditis; jurisdictioni suæ temporali subditis, æquè ac alius Princeps secularis non recognoscens Superiorem in terris suis; hanc tamen potestatem non accepit à Christo verbis: *Tibi dabo claves regni caelorum, pasce oves meas* (per hoc enim non temporalem, sed spirituales ei jurisdictionem Christus contulit) sed ab his, qui Sedi Apostolicæ donationes terrarum, quas possident, fecerunt; juxta dicta n. 471. ut constat ex c. *Ego Ludovicus, dist. 63. c. Constantinus, dist. 96.* & c. *Fundamenta, de Elect. in 6.* Nam jurisdictionis spiritualis temporalem non excludit, ut certum est apud omnes, & mox patebit num. seq.

Dices: in Extravag. *Unam Sanctam, de Majorit. & obed.* inter communes Bonifacius VIII. postquam dixit, in Ecclesia esse duos gladios, spirituales videlicet, & temporales; dicentibus Apostolis: *ecce gladij duo hic*; in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus *nimis esse, sed satis*. Subjungit: *certè, qui in Potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis: convertite gladium tuum in vaginam. Uterque ergo est in potestate Ecclesia; spiritualis scilicet gladius; & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia; ille verò ab Ecclesia exercendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam*

Sacer-

*Sacerdotis.* hoc est temporalem jurisdictionem Principum subesse spirituali Pontificis. Et ideo plures Imperatorum, & Principum sæcularium leges Jure Canonico vel correctæ, vel abrogatæ sunt: ergo Summus Pontifex potest etiam condere leges in civilibus, & temporalibus.

488. Ante responsionem nota, jurisdictionem temporalem, quæ pollent Principes sæculares in terris suis, Superiorem non recognoscentes, sic à DEO concessam hominibus, ut per eam gubernent subjectum populum, secundum quod exigit communitate bonum ad temporalem felicitatem; *quæ obstat aeternæ salutis animarum*; aliàs enim potestas illa (cum à Deo sit) non foret in ædificationem, sed in destructionem. Et quoniam salus animarum, per leges ad eam procurandam ordinata, propriè pertinet ad jurisdictionem spiritualem à Christo datam Petro; & legitimis Successoribus ejus, consentaneum est; ad eandem jurisdictionem spiritualem pertinere, quicquid salutis animarum necessarium est, constituere; & quicquid obstat canonicis legibus, remove; consequenter civiles Principum sæcularium constitutiones (quatenus peccatum fovent; & ea, quæ animarum salutis nocent; permittunt) quo ad hoc jurisdictionem Ecclesiasticam, seu spirituali subjacere. Hinc ad objectionem *in n. priori*, Resp. cum distinctione, & dico, Bonifacium aliud non voluisse, quam in his statuendis, quæ ad animarum salutem necessaria; vel removendis, quæ noxia sunt, oportere gladium, seu jurisdictionem Principum sæcularium esse sub gladio; seu jurisdictione spirituali; & Ecclesiastica; non autem in aliis, quæ concernunt leges justas, & animarum salutis nullatenus noxias; ex hoc autem solum sequitur, Pontificem *per leges canonicas* (non autem *merè civiles*) posse statuere de civilibus, & temporalibus; in quantum dispositiones Principum circa illa, vel permittunt, vel statuunt, quæ animarum aeternæ felicitati obstant, prout contingit, ubi leges eorum permittunt, & fovent peccata.

489. Hæc porro differentia nascitur ex diverso fine facri, & profani juris; hoc certius, quò magis ab animi salute distat corporis, & communitatis incolumitas; id, quod disertis verbis Innocentius III. ex-

plicuit in *c. novit de judic.* ad Gallie Prælatos scribens hisce verbis: *non intendimus de fendo judicare, sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus. Cum enim non humane constitutioni, sed divinæ potius innitamur (quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo) nullus, qui sit sane mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocunque peccato mortali corripere quemlibet Christianum; & si correctionem contempserit, per distractionem Ecclesiasticam coercere; sic Innocentius. Ex hac ratione factum est; quòd lex civilis, quæ præscriptionem *malâ fide* peractam valere voluit, jure canonico reprobata sit, *c. fin. de Prescript. & Reg. Possessor, de Reg. juris in 6.* & ea, quæ filijs illegitimis *negavit alimenta*, contrariò mandato correctæ ut in *c. Cum haberet, de eo, qui duxit*; hæc enim naturali pietati advertabatur; & illa fovebat fraudes plurimas, & atrocitas; quæ utique bono animarum vehementer obstant.*

Dicendum igitur, etiam Imperatorem; 490. legitime electum; habere potestatem condendi leges pro omnibus provinciis; & regnis sibi subditis, ut constat *ex L. 1. C. de vet. jure enucleand. L. Bene à Zenone, C. de quadrienn. prescript. L. 1. & ult. C. de legibus*; & ratio est ex dictis; quia quoad eorum gubernationem habet supremam in illas terras jurisdictionem temporalem; cui (ut dicitur *L. 2. C. de vet. jure enucleando*) concessum est, leges condere, & interpretari. Ad quæstionem autem, an leges Cæsareæ obligent etiam alia regna, & provincias? Resp. vel illæ provincie, & Regna sunt aliquo modo subiecta Imperatori v. g. jure dominij directi, & jure feudi vel alio simili titulo? vel nullo illi titulo subiecta sunt? si hoc secundum? in ijs, *per se loquendò*, non obligant; ut constat ex n. 484. Nam ligari alicujus lege, supponit in ligante jurisdictionem; & in ligato subjectionem. Dixi; *per se loquendò*. Nam quæri potest, an non *saltem per accidens*? ut, si in tali Provincia, vel Regno; pro decidendis aliquibus causis, deficiant leges propriæ illarum? Resp. affirmandum esse in dicendis causis civilibus pro terris Summo Pontifici temporaliter subiectis; & spiritualibus in tota Ec-

clesia; sic enim declaravit Summus Pontifex in c. 1. de novi operis nuntiat. ita Suarez l. 3. c. 8. n. 3. & alij.

491. Difficultas est, an, ubi non habetur talis declaratio supremi Principis, illius Provinciae, vel regni, an in casu dato, saltem ex consuetudine, pro causis decidendis utendum sit jure Cæsareo, deficiente jure illis terris proprio? Variæ in hoc puncto sunt Doctorum opiniones, quæ videri possunt apud Castropal. p. 1. vr. 3. D. 1. p. 22. §. 1. à n. 8. dicendum autem est, cujuslibet provinciae, vel regni consuetudinem, & usum esse consulendum, & secundum illam in ejusmodi casu procedendum, nisi aliunde talis usus vitiosus sit ex circumstantia, vel objecto, immutabili, & juri naturæ contrario. Ceterum in multis locis usu receptum est, ut in causis decidendis procedatur secundum jus alienum, quod nullum peccatum fovet, ubi proprium deficit. Hinc Joannes Kitionich Causarum Regularium director, & sacrae Regni Hungariae Coronæ Ficalis in sua methodo processus Judicarij juxta jus patrium, c. 12. q. 12. circa processum judiciale *fori Ecclesiastici*, observat, hoc potissimum fulciri legibus Regni juxta decreta Mathiæ, & Uladislai Regum, artic. 40. anni 1559. ac tandem Canonicis sanctionibus art. 27. anni 1563. & art. 21. anni 1553. Unde in hoc etiam judicio, tam diu, inquit, solemus nos *legibus Regni* firmare, quam diu eas nobis, ac causis nostris suffragari viderimus. At ubi ijs destituti fuerimus, illico *ad dictas sanctiones Canonicas confugere debemus*. In casu verò, ubi nec de consuetudine, nec Principis voluntate constaret, saltem ex naturali æquitate in decidendis causis civilibus, & politicis utendum erit jure Cæsareo. Nam, *cum Judex jus expressum non habet in causis decidendis, æquitate causam dirimere debet*, ut dicitur c. *fin. de Transact. & L. quodsi Ephesi, ff. de eo quod certo loco*; hanc autem æquitatem servandi nullus modus aptior est, quam lex Cæsarea deficientibus proprijs; tum propter magnam æquitatem, quâ nititur; tum propter universalitatem, quâ in plurima porrigitur; ergo.

492. Si autem dicatur primum, de quo in n. 490. nimirum, illas provincias, & regna, jure feudi, vel titulo simili subdita

esse Imperatori? in illis omnino servandæ sunt leges Cæsareæ, licet ab alio tanquam supremo Domino, saltem indirecto, gubernentur. Nam, licet in tali casu non immediatè gubernentur ab Imperatore; sed ab alio, qui eas terras habet jure feudi; Imperator tamen ab hoc ipso recognosci debet ut supremus Dominus directus; consequenter & leges ejus, nisi talibus Vassallis illæ provinciae in feudum concessæ sint in principio, ut suis legibus subiectum populum regant; ac legibus etiam Cæsareis per leges proprias derogare possint. ita Sal. de leg. d. 7. s. 8. n. 2. Suar. cit. lib. 3. c. 8. n. 2. & alij. Porro quæ dicta sunt de Imperatore, quoad potestatem ferendi leges respectu suæ jurisdictioni gubernativæ subiectorum, cum proportionem dicendū est de Regibus, & alijs Principibus, qui quoad certum populum, & terras gubernandi jurisdictione pollent, cujusmodi sunt omnes, qui in tali Provincia, vel regno in civilibus & politicis superiorem se Gubernatorem non recognoscunt.

### §. III.

Quid in materia legum civilium possint communitates, & Magistratus?

493. **S**upponendum. 1. communitatem aliã esse perfectam, aliã imperfectam. Apud Philosophum, 1. polit. c. 1. *civitas*, est *communitas perfecta*, ea nempe, quæ sibi sufficiens est, & distinguitur ab imperfecta, qualis à Sor. 1. de Just. q. 1. a. 3. censetur domus, cui paterfamilias præest: nam in hac non datur dominiū jurisdictionis, etsi detur *maritale*, in uxorem; *paternum*, in filios; *herile*, in famulos; *despoticum*, in servos. *Civitas* autem (quali *civium unitas*) apud Latinos propriè est collecta civium multitudo ad jure vivendum; vel, ut ait Tullius de somn. Scipionis, *cætus hominum, jure sociati, civitates appellantur*. Ex hoc vides, communitatem perfectam non posse esse unam specialem familiam, sed multiplicem; quia non potest esse communitas perfecta, nisi quæ ex consensu plurium, unica est, & sibi sufficiens. Sic Castropal. cit. p. 22. §. 2. n. 8.

494. Supponendum. 2. communitates alias esse, quæ Superiorem in civilibus, & politicis non recognoscunt, & per se gubernatio-



nationem exercent; alias, quæ Superiorem recognoscunt, & per alium, vel alios gubernantur. *Magistratus* porro interdum significat potestatem, & officium, gubernandi provincias, & civitates; interdum eos, qui ejusmodi officio & potestate funguntur; hinc Senatores dicuntur *Magistratus populi*, quasi seniores, saltem maturitate, gubernandi prudentiâ, & consilio; V. Pereyra in *Elucid. l. 1. Elucid. 11. n. 313. & seq.* quibus positus:

495. Resp. communitates perfectas habere potestatem condendi leges pro suis subditis; cum enim earum sit, subjctam communitatem gubernare; & hoc per superius dicta non fiet sine potestate ferendi leges, quibus ea communitas regatur, omnino eis inesse debet jurisdictio legislativa; & constat ex *L. Omnes populi, ff. de Just. & jur. ac p. Sed naturalia, Institut. de jure natur.* Hoc tamen intellige, si tales communitates potestatem suam non transtulerunt *integrè* in unum, à quo gubernentur. Nam in hoc casu, cum eo ipso *subdita fiant* illi, in quem suam potestatem gubernativam transtulerunt, ipsi non valent condere leges, nisi quantum vel indulto Principis habent, vel usu, & consuetudine. Unde not. leges, quas ejusmodi communitates, quæ se *integrè* alicui, à quo gubernentur, subjecerunt, ex hujus indulto, vel usu, & consuetudine ferre possunt, appellari *municipales*. Dixi: si *integrè* potestatem suam in alium transtulerunt. Nam si solum *diminutè*, ut si & ipsa communitas in ferenda lege Principem comitari velit; neuter sine altero, nimirum, nec Princeps sine Republica; nec ista sine illo legem ferre poterit; cum potestas legislativa indivisim in utroque ad legis constitutionem in tali casu concurrere debeat, ut ponit casus; ita Suarez de *legibus l. 3. c. 9. n. 19.* Bonacin. *eod. d. 1. q. 1. p. 3. n. 10.*

496. Ex dictis colliges, civitates, & communitates etiam perfectas, quæ alteri se gubernandas *integrè* subjecerunt, in condendis legibus nihil omnino posse, nisi quantum illis ab eo, cui subdita sunt, concessum est; idemque à fortiori sequitur de communitatibus imperfectis. Nam ad rationem legis necessariò requiritur potestas jurisdictionis in rempublicam, seu communitatem perfectam, qualis non est una familia, una domus &c. sic omnes ferè

cum Bartolo in *L. omnes populi, ff. de just. & jure, q. 1. & in L. Imperium, ff. de jurisdiction. omn. Judic. n. 8. & Canonista in c. Cum Ecclesia S. MARIÆ, de constit. c. Solita, de Majorit. & obed.*

Colliges. 2. potestatem *dominativam*, 497. & *gubernativam* diversa esse; atque adeò ex illa, non rectè istam inferri. Nam illa directè (tanquam terminum essentialiter quæsitum) respicit bonum subiecti, habentis dominium; ista, bonum Republicæ, in quam quis exercet gubernationem. Et quamvis potestas dominativa quandoque respiciat etiam bonum privati, cui præceptum imponit (qualiter id videre licet in præceptis latis à patre, marito, domino, circa sibi subditos) hoc tamen non fatis est ad potestatem propriè legislativâ; quæ nunquam per se loquendo directè respicit utilitatem personæ singularis; sed rectum Regimen, & commune bonum totius communitatis, in qua plures familiæ communi sensu ad componendum unum corpus politicum conjunguntur.

Colliges 3. communitates imperfectas 498. nec posse facere statuta pertinentia ad rectam, & politicam earum gubernationem, quæ scilicet vim *legis* habeant; ita D. Thomas, Suarez, Bonacin. quos citat, & sequitur Castropal. *p. 1. tr. d. 1. 3. p. 22. n. 11. p.* An vero. Sic enim non differrent à communitate, & Republica perfecta, contra suppositum. Et licet pagi, aut similes imperfectæ communitates, quandoque habeant forum causarum perquam levium; in eo tamen non lege sua, vel statuto, sed Principis procedere & possunt, & debent. Not. tamen, communitates imperfectas posse singularibus personis *præcepta* imponere sicut potest Paterfamilias pro sua domo; sed non perpetua; & quæ à supremo eorum Domino revocari possint. Nam hoc illis ab eo indulgeri, receptus probat usus; nec illis inhibitum est, facere conventiones inter se, quibus *in vi contractus* obligentur; sed durabiles solum, quousque, ut diximus, à supremo suo Governatore, vel alio, de illius voluntate, non revocantur.

## §. V.

*Quis possit ferre leges Ecclesiasticas?*

499. Non est dubium, summum Pontificem posse leges Ecclesiasticas conde-

re pro

re pro tota Ecclesia; cum illi à Christo immediate Collata sit potestas Ecclesie gubernativa, quæ sine legislativa consistere non potest, de quo latè P. Josephus Gibalinus tom. 2. de scientia canonica, l. 5. c. 3. §. 13. Hæc autem potestas non est penes singulos Episcopos, cum eorum jurisdictio non extendatur extra suas dioceses, aut provincias, quæ eadem ratio idem ostendit de Synodis diocesanas; & provincialibus, quæ & ipsæ præscriptos limites habent, ut dicemus inferiùs; sicut & Patriarchæ sui Patriarchatus finibus cōscribuntur. Et ideo non pendet à Concilio, vel Cardinalium Congregatione (c. Novit, de judicijs, ibi: potestas nostra non est ex homine, sed ex DEO; & tenet Suarez l. 4. de legib. c. 3. deciditurque in Trid. sess. 14. c. 7.) consequenter nec in ejus usu. Habet enim hanc potestatem; sicut D. Petrus, qui leges ferre potuit independenter ab alijs Apostolis. Unde negandum est, hanc potestatem (quæ, cum supernaturalis sit ex fine, consequenter à Christo solum dari potuit) ab hoc mediante Concilio, vel Cardinalium Congregatione, in summo Pontifice esse. Christus enim hanc potestatem non contulit Ecclesie, ut in Petrum transferret; sed immediate Petro, juxta illud: Tibi dabo claves; super hanc Petram ædificabo &c. Et sic decisum est in c. Novit, de Judic. relato superiùs n. 489. c. significasti, de Elect. Trid. sess. 14. c. 7. de quo plura Suarez l. 4. de legib. c. 3. Salas D. 8. f. 3. & alij. Unde Summus Pontifex in legibus pro tota etiam Ecclesia constituendis independentis omnino est à Concilio, vel Congregatione Cardinalium *authoritative* concurrentibus; cum habeat eandem potestatem, quam ipse S. Petrus, qui leges condere potuit independenter à reliquis Apostolis. V. Bellarmin. l. 4. de Roman. Pontif. à c. 23.

500. Hujus ulterior ratio est; quòd, sicut Papa, concedendò alijs potestatem, eandemmet sibi reservet, & majorem, ut aperte habetur in c. dudum, 14. de præbend. in 6. ibi: penes nos nihilominus remansit major; & tenet Gonzalez ad 8. regul. Cancellar. §. 2. proæm. à n. 2. alijque, asserentes hunc textum esse singularem, & optimum: si alicui subijciendò suas oves, & committendò illi potestatem eas pascendi pabu-

lo, recto jurisdictionis usu, eandemmet sibi reservet, & majorem. Ex hoc autem fit, quòd Commissario nullum faciat præjudicium, illas in certis casibus eximendò ab ejus commissione. Nam licet Princeps concedat alicui jurisdictionem, non ideo eam à se abdicat, sed semper major apud ipsum remanet; imò licet alicui concesserit jurisdictionem privativè, adhuc cum illo concurrere potest, ut exponit Barbosa in L. 1. ff. de Judic. art. 4. n. 109. (nam in concessionibus officiorum semper Principis autoritas censetur preservata, per Baldum in L. qui se patris, vers. item in concessis, C. Unde vi) & inter ipsum, ac Commissarium, vel etiam Ordinarium, est locus preventionis; Sic Gonzalez cit. §. 3. à n. 1. Flamin. de Resignat. benefic. l. 1. q. 10 à n. 53. & l. 7. q. 11. à n. 6.

## §. V.

Quid in ferendis legibus Ecclesiasticis possint Prælati inferiores Papæ?

501. Quid in hac materia possint Concilia tam œcumenica, quàm nationalia, & provincialia, vel etiam synodalia, dicemus infra; dubium enim esse nequit, quin in Synodis Patriarchalibus, Diocesanas, Provincialibus, & Episcopalibus possint Canones, & leges Ecclesiasticæ, propriè sanciri; ad id enim coguntur ejusmodi Synodi, ut Ecclesie necessitatibus occurratur efficacius, quando simul adsunt, & uno lumine micant tot speciosissima tabernacula DEI, tot membra excellentissima Corporis Christi, inquit Leo *serm. 1. de sua assumpt.*

502. Observandum autem cum primis est, hæc nomina Archiepiscoporum, Metropolitanorum, Primatum, & Patriarcharum, aliquando pressius, alias latius sumi, ita ut videantur quandoque confundi. Itaque tunc Canones, tum authores Ecclesiastici, qui videntur aliquando contraria loqui, diligenter expendendi pro diversis ætatibus, diversis regionibus, atque moribus, ex quibus vocum significatio, & usus solet plerumque variari, novæque dignitates induci, & antiquæ mutari; nam ne ipsos quidem primates vel Patriarchas quidquam privilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, inquit

inquit Nicolaus. 1. Epist. quam Anno 864. scripsit ad Rhudolphum Betruricensem, cujus fragmentum est citatum c. *conquestus*, 9. q. 3. Variam autem significationem dictorum nominum V. apud Gibalinum cit. l. 5. c. 5. quibus positus:

503. Quæstio in præsens est de ejusmodi Prælati sorsim sumptis, an ipsi sine Synodo Diocesana, Provinciali, aut Patriarchali, eaque inconsulta propriū jus, & legē statuere possint? ad quod Resp. cōmunitè teneri, *Episcopos*, ex vi proprii muneris, & jure ordinario, posse pro suis diocesibus condere leges Canonicas, seu Ecclesiasticas; ita Suarez l. 4. de legib. c. 4. n. 2. nam in c. 2. de majorit. & obed. expressè dicitur: *si quis venerit contra decretum Episcopi, ab Ecclesia abripiatur*. Et ratio est, quia in suis diocesibus Episcopi habent supremam jurisdictionem, secundum modum concessionis sibi factæ vel à DEO immediate, vel à summo Pontifice, de quo dicemus infra.

504. Not. tamen 1. Statutis Conciliorum *Episcopaliū* nec subditos extra diocesin constitutos, nec ignorantes (nisi supinè) ligari. Sic Lancelot. *Institut. jur. Canon. l. 1. tit. 3.* de quo V. dicenda à n. 584. Not. 2. nec Episcopos in Synodo diocesana, nec Archiepiscopos in provinciali, posse quidquam validè statuere adversus Regularium privilegia, id, quod bene probat Fagnanus in c. 2. de offic. Legati, in 6. à n. 14. adeoque nec contra illorum exemptionem. Nam privilegia Pontificia per nullam inferiorem potestatem convelli, aut labefactari possunt c. *Inferior, dist. 21. c. Cum inferior, de major. & obed. Clementinà, ne Romani, de Elect. V. Fagnan. in c. quod super his, de major. & obed. qui n. 25.* docet, quòd Synodus provincialis in exemptos nec illud, quod statuit Concilium Tridentinum, statuere possit, nisi obligando subditos ad exequenda statuta Concilij.

505. Not. 3. à Suarez tom. 4. de pœnit. d. 25. s. 1. n. 13. & l. 6. de legib. c. 14. Thom. Sanchez, de matrim. l. 1. d. 61. n. 3. & alijs doceri: Episcopum in sua diocesi posse, quidquid Papa in universali Ecclesia, *exceptis his, quæ Papa sibi reservavit*. Et quamvis eorū doctrinam esse falsam existimet Fagnanus c. *Perniciosam, de offic. Ordinar. n. 29.* ejus tamen pro Tom. I.

bationes aliud non evincunt, quàm quòd Episcopi potestatem jurisdictionis immediate recipiant juxta mensuram Pontificiæ voluntatis, quâ oves suas sibi à Christo commissas, illis subjicit, illamque duntaxat jurisdictionis partem in sua diocesi, ad quam secundum Canonicas sanctiones sunt vocati ab Ecclesia Romana, id, quod etiam præcitati Authores volunt, atque denotant, per exceptionē suæ sententiæ apertis verbis appositam, ibi: *exceptis his &c.*

Not. 4. quòd Episcopi suis statutis, Sedis Apostolicæ statuta, vel decreta, vel in totum, vel in partem convellere, vel mutare non possint. Constat ex n. 505. præsertim, cum potestatem jurisdictionis immediate habeant à consensu Pontificis, ut dicemus à n. 512. à quo non in plenitudinem, sed solum in partem sollicitudinis vocati sunt; adeoque ultra id, quod concessum ipsis est, quoad leges à Pontifice conditas nihil possint, nisi pro modo, & mensura datæ jurisdictionis. Et ideo Innocentius III. exposulavit cum Antiocheno Patriarcha, quòd Lucium Apameensem electum licet, nondum consecratum, in Tripolitanam Ecclesiam transtulerat, eo quòd ejusmodi Episcoporum translationes ad Sedem Apostolicam pertineant. Inde etiam fit, ut in causis gravioribus, cujusmodi sunt novæ fidei declarationes, & ea quæ universalibus consuetudinibus, aut ritibus Ecclesiæ repugnarent, nihil possit sine Pontificis consensu, in alijs autè omnibus non egeat ejus approbatione.

Not. 5. etsi Episcopus *regulariter*, & ordinariè, possit statuta facere, sine consensu Capituli; quia suam potestatem non habet ab illo; limitari tamen. 1. ut non procedat in statutis de rebus gravibus, & arduis. Tunc enim requiritur consiliū Capituli, *arg. c. Novit, & c. Quanto*, de his, quæ fiunt à Prælati sine consensu Capituli 2. in statutis de rebus quæ spectant simul ad Episcopum, & Capitulum, vel quæ possunt cedere in damnum, seu præjudiciū Cleri, vel Capituli; in his enim etiam requiritur consensus Capitularium, nisi consentire nollet citra justam causam, c. *Novit, cit. & seq.*

Not. 6. Episcopos, *in locis nullius diocesis*, nullam habere jurisdictionem extra visitationem, ut dicitur in *Trid. sess. 24. c. 9.* & docet Fagnanus c. *Dilectus*, de rescriptis n. 31. quo tamen casu, si visitet locum

cum nullius diocesis, debet declarare, se id facere ut *Delegatum Sedis Apostolicæ*; ita declaravit Congregatio Cardinalium ad c. 9. *sess. 24. Concilij Trid.* ut notat Fagnanus c. *Nullus*, de Parochijs, n. 32.

509. Not. 7. licet Episcopis concedatur, *visitare loca nullius diocesis*, ut dictum est, & illorum Ecclesias *seculares*; non tamen idem esse de Ecclesijs *regularibus*, ita sacra Congregatio Trid. *sess. 7. c. 8.* declaravit mentem Pauli III. qui eam Episcopis facultatem concessit; declarans pariter, *Ecclesias regulares censeri, etiam monasterio unitas, vel ab eo dependentes, si eis à Regularibus deserviat*; ita Fagnanus *cit. à n. 33.*

510. Not. 8. legem Episcopalem aliam esse *jurisdictionis*; aliam *diocesanam*. *Lex jurisdictionis* est illa, quæ consistit in agendo, gubernando, & ministrando; ad quam proinde spectant omnia, quæ circa judicia aguntur, ut sunt citatio, causæ examinatio, decisio, punitio, & absolutio; item omnia, quæ spectant ad gubernationem diocesis, ut *statuta condere* &c. sic Pereyra in *Elucidario* n. 196. Idem habet gloss. in casu c. *Si ex laicis*, 10. q. 1. ibi: *Lex jurisdictionis est*, quæ Episcopus potest Clericos ordinare, Altaria, Ecclesias, & Virgines consecrare, corrigere, suspendere, cognoscere de causis civilibus, & criminalibus, & generaliter ad suam jurisdictionem pertinet omnia Sacramenta conferre; *Lex autem diocesana*, secundum Pereyram *cit.* est ea, quæ consistit in recipiendo, id est, quæ statuit de his, quæ conferenda Episcopo, & ab ipso sunt recipienda v. g. Cathedraticum, quarta funeralis, visitatio annua: & juxta Gloss. *cit. ibid.* *lex diocesana est*, quæ Episcopus recipit Cathedraticum (tertiam scilicet, vel quartam partem decimationum, secundum diversas consuetudines) & quæ vocat Clericos ad Synodum, & exequias, &c.

511. Not. 9. Regulares jure communi exemptos esse, à *lege diocesana Episcopi*, non verò à *lege jurisdictionis*, nisi speciali privilegio sint muniti. Sic P. Thomas Sanchez l. 6. *Consil. c. 9. d. 1. n. 8.* & complures alij; prima pars quoad exemptionem à *lege diocesana* habetur in 10. q. 1. c. *Si ex laicis*. 1. ubi dicitur, omnes Ecclesias, *præter monasteria*, subesse Epi-

scopo quoad *legem diocesanam*, & quoad *legem jurisdictionis*; monasteria tamen *exempta esse à lege diocesana*; & hoc in favorem religionis, ut habetur in c. *interdicimus*, 16. q. 1. sic Gloss. ibidem in casu, simul addens, *eandem exemptionem competere capellis monasteriorum*. Idem habetur c. *Inter cetera*, 10. q. 3. ibi: *Monasteriorum tamen basilicis, ab hac solutionis pensione sejunctis*; ubi Gloss. V. *Solutionis*; ipsa enim monasteria, inquit, à *lege diocesana sunt exempta*, tum vi *cit. textus*; tum vi c. *Cum pro utilitate*, 16. q. 1. c. *quàm sit*, 18. q. 2. Secunda pars (quod Regulares subint Episcopo, quoad *legem jurisdictionis, nisi sint exempti*) constat, tum ex jam citatis juribus, tum ex c. *cum venerabilis*, 7. de *Relig. domibus*, ubi habetur Episcopum petentem Ecclesiam, quoad spiritualia, & temporalia, *obtinere in spiritualibus eo ipso, quòd probet esse in sua diocesi, si non appareat exempta*; sed in temporalibus succumbere, nisi aliter doceat de jure suo, & c. *cum dilectus*, 8. *eod.* ubi dicitur: *monasterium subiectum esse Episcopo, in cujus diocesi situm est, nisi probetur exemptum*. Advertendum autem, hoc (quoad subiectionem, Episcopo, ac Ecclesie Cathedrali debitam) *procedere solum de Monasterijs, vel Ecclesijs sitis in diocesi, & non exemptis*. Unde si aliqua Ecclesia non Cathedralis, vendicat sibi jus in alia Ecclesia, *obtinere solum quoad ea, quæ probabit sibi deberi præscriptione vel alio legitimo modo*, ut expresse definitum est in c. *Dilectus*, 2. de *Capellis Monachor.* Unde Parochus, *ex hoc præcisè, quòd aliqua Ecclesia sita sit intra fines Parochie*, nullo fundamento juris subiectionem ejus prætere debet; cum textus, concedens Episcopo, & Ecclesijs Cathedralibus jus in Ecclesijs in diocesi sitas, non loquatur de *Ecclesijs non Cathedralibus*; sed de his plura inferius.

Not. 10. potestatem jurisdictionis spiritualis Episcoporum *in suos*; immediate quidem à Christo, sed dependenter à Summo Pontifice in eos derivari; ita Suarez de *Censur. d. 1. s. 2. n. 7.* & l. 4. de *legibus c. 4. à n. 6.* Salas d. 8. *sect. 3.* Bonacina, d. 1. q. 1. p. 3. n. 5. hoc nimirum sensu, ut solum in eos descendat à Christo, dependenter à Summo Pontifice, secundum quod eos vocat in partem *folici-*

folicitudinis. Ratio est. 1. quia *soli* Petro, & Successoribus ejus, Christus dixit: *pasce oves meas*. 2. quia si haberent à Christo immediatè, ac independentèr à Summo Pontifice, esset omnino independens à summo Pontifice; nec ab illo limitari posset, cujus contrarium certum est. 3. quia sic definitum est c. *Ita Dominus*, dist. 19. c. *decreto*, 2. q. 6. ibi: *Romana Ecclesia vices suas ita alijs impertivit Ecclesijs, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*; de quibus plura Bellarmin. l. 2. de *Roman. Pontif.* c. 15. & l. 4. c. 14. Nec obstat c. *in novo dist.* 21. *Episcopos dici successores Apostolorum*, qui potestatem legislativam immediatè à Christo acceperunt; nec enim ad solum Petrum, sed ad omnes Apostolos dictum est; *quodcumque ligaveris super terram*; non inquam obstat. Concedo enim Episcopos esse successores Apostolorum in *Episcopatu*, seu in consecratione, non in *Apostolatu*, seu jurisdictione; quia sic æqualem cum summo Pontifice potestatem haberent, quod concedi non potest (Castropal. p. 1. tr. 3. D. 1. p. 23. n. 6. & Suarez cit. lib. 4. c. 4. & sic respondetur etiam ad textum: *quodcumque ligaveris*. Ex hoc autem, quòd potestas jurisdictionis in Episcopis sit *ordinaria*, solum sequitur, quòd eam habeant *ratione officij cum potestate delegandi*, in quo consistit ratio potestatis ordinariæ. Et quamvis verum sit, consecrationem Episcoporum esse immediatè à Christo; secus tamè est de jurisdictione; seclusà dependentià à summo Pontifice; nam ex hoc, quòd Episcopi à Christo Domino constituti sint, & à Spiritu S. positi, *regere Ecclesiam DEI*, aliud non sequitur, quàm quòd inspirante divino Spiritu summus Pontifex acceperit, ut (cùm ipse non posset per se immediatè gubernare totum orbem Christianum) alios vocaret in partem sollicitudinis, quibus committeret officium, & consequenter vim legislativam secundum modum, & mensuram, quàm ipsi ad DEI, ac Ecclesiæ bonum videretur. Ex eo autem, quòd constituti sint *Rectores Ecclesiarum*, rectè quidem sequitur, eos habere jurisdictionem ferendi leges, sed ad modum, quo alij gubernatores seculares, supremo Principi subjecti, & quantum habent ejus in-

Dices cum Vasquez. 1. 2. d. 152. c. 2. ex hoc quòd Episcopi habeant potestatem jurisdictionis dependentem à summo Pontifice, *ac limitabilem ab illo*, solum sequitur esse dependentem *in assignatione materiae, & subditorum*; non autem in ipsa potestate, ac ejus usu, supposita materiae assignatione. Sic ignis in se habet virtutem comburendi; ac comburere, seu usum combustionis exercere non potest, nisi hic vel ibi, hæc vel illa ei materia applicetur. Resp. videri omnino, sic absolute fieri potuisse; sed negari factum esse; nam. 1. contrarium constat ex definitione Summorum Pontificum in n. priori, de quibus dicere, ipsos in re tanti momenti errasse, iniquum foret; nec textus intelligi potest de *materia, & subditis*; nam *impertiri alijs vices suas* proprie sonat *alteri dare vices suas*; seu *impertiri jurisdictionem, & potestatem suam*. 2. quia *soli* Petro, & Successoribus ejus in summo Apostolatu dictum est: *pasce oves meas*, quod proprie sonat potestatem. Cæterum concedo, Episcopum, eo ipso, quòd sit electus, & confirmatus, sine alia speciali concessione Pontificis, habere potestatem condendi leges convenientes Episcopatu suo, c. 2. de *majorit. & obed.* & c. 2. de *Constit.* in 6. modò non sint repugnantes juri communi, aut legibus summi Pontificis, propter dicta n. 503. Ex quo fit, Episcopum non posse ferre leges *in rebus gravioribus*; cùm hæc reserventur summo Pontifici, c. 1. de *Translat. Episcop.* & c. *Majores, de baptismo*. inter quæ meritò venit, statuere impedimenta dirimentia matrimonium, ut diximus l. 4. *decret. quest. ultimâ*. Communis autem tenet, Episcopum, in condendis legibus non dependere à consensu Cleri, vel Capituli; cùm hoc nullo jure statutum sit, nisi in certis quibusdam casibus, nimirum *in statuendis festis*; nam in his requiritur consensus Cleri, aut etiam populi, c. *fin. de ferijs*: & *pro alienandis rebus Ecclesiæ*, ubi adesse debet consensus Capituli, per c. *Vestra, de Locat. c. Novit.* & c. *quanto*, de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli. Sed de his ex professo in lib. 3.

513.

Q 2

§. VI.

## §. VI.

Quid circa leges Ecclesiasticas possint  
Concilia?

514. **P**roresolut. not. 1. decreta Concilio-  
rum esse vel Conciliorum œcumeni-  
corum, seu Universalium; vel particu-  
larium. Universalia, seu generalia sunt,  
quæ ab Episcopis, seu Prælati Ecclesiasti-  
cis ex toto mundo autoritate summi Pon-  
tificis congregatis celebrantur, ad con-  
dendas universales leges, seu constitui-  
ones Ecclesiasticas, seu canones pro tota  
Ecclesia; & decidendas fidei controver-  
sias. Dixi, *ab Episcopis ex toto mundo  
congregatis*, quod intellige sic, ut nullus  
eorum sit excludendus, & omnes interes-  
se possint; non autem, quod necesse sit,  
ut omnes personaliter compareant.

515. Not. 2. nec ipsa Concilia generalia,  
nec eorum decreta, autoritatem ullam  
habere, nisi consensu, & autoritate sum-  
mi Pontificis congregata, & confirmata  
sint, ut dicitur c. *Significasti*, 4. de elect.  
& notat Barbosa. *in cit. c. n. 5.* Nam de his,  
quæ sunt universi corporis Ecclesiastici,  
spectat ad universalis Ecclesiæ Rectorem,  
Pastoremque, ac supremum Judicem om-  
nium Christi fidelium, ut pluribus vi-  
deri potest apud Suarez l. 4. de legib. c. 6. n.  
2. & Layman l. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 6. §.  
2. n. 9. Res liquet ex casu in cit. c. *Signifi-  
casti*, cum enim electo in Archiepiscopum  
non tradat sedes Apostolica pallium,  
ni prius præstet fidelitatis & obedientiæ ju-  
ramentum; & ob hoc quidam dicerent:  
*in Concilijs statutum non inveniri*, Pacha-  
lis Papa sic rescripsit ad Archiepiscopum  
Panormitanum: *ajunt in Concilijs statu-  
tum non inveniri; quasi Romana Ecclesiæ  
legem Concilia ulla præfixerint, cum omnia  
Concilia per Romani Pontificis auctorita-  
tem, & facta sint, & robur acceperint,  
& in eorum statutis Romani Pontificis pa-  
terter excipiatur auctoritas.* Cum igitur  
à sede Apostolica vestra insignia dignitatis  
exigitis, quæ à beati Petri tantum corpo-  
re assumuntur: justum est, ut vos quo-  
que sedi Apostolicæ subjectionis debitæ  
signa solvatis, quæ vos cum beato Petro  
tanquam membra de membro habere, &  
Catholici capitis unitatem servare decla-  
rant.

Not. 3. in eujsmodi Concilijs generali-  
bus, solos Episcopos, *jure ordinario*, ha-  
bere vocem decisivam, seu jus definiendi  
controverfias tanquam Judices, & con-  
dendi leges. Nam ipsi sunt Pastores Fi-  
delium à Christo constituti, teste Aposto-  
lo Actorum 20. ibi. *attendite vobis, & u-  
niverso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit  
Episcopos regere Ecclesiam Dei*: ex privile-  
gio tamen, & consuetudine, etiam alios  
Prælatos Ecclesiasticos, ut Cardinales, Ab-  
bates, & Generales Ordines, in præ-  
dictis Concilijs sententiam dicere posse, &  
solere; hi enim sunt capaces juris spiritu-  
alis; secus laici, cujuscunq; dignitatis; ita  
Layman Theol. mor. l. 1. tr. 4. c. 6. §. 2. n. 10.

Not. 4. inter cætera Concilia œcumeni-  
ca, quatuor esse, quæ principaliter totam  
fidem Christianam complectuntur, & i-  
deo ab Ecclesia Catholica tanquam qua-  
tuor Evangelia probata, & recepta esse,  
nempe Nicenum, Constantinopolita-  
num, Ephesinum, & Calcedonense, c. 5.  
§. *Inter cætera*, & c. 2. dist. 15. quamvis  
etiam reliqua Concilia generalia, summi  
Pontificis autoritate convocata, & ap-  
probata vim, & autoritatem habeant, ut  
dicitur c. 3. cit. dist. 3.

Not. 5. inter Concilia particularia, seu  
non œcumenica (ad quæ scilicet non vo-  
cantur omnes Episcopi totius orbis) alia  
esse Nationalia, alia Provincialia, alia Sy-  
nodalia, & diocesana, seu Episcopalia.  
Nationalia sunt, quæ convocantur ab ali-  
quo Primæte, seu Patriarcha, convoca-  
tis Archiepiscopis, & Episcopis unius Re-  
gni, aut Nationis, seu duarum, trium,  
vel plurium Provinciarum. Provincialia  
sunt, quæ coguntur ab Archiepiscopo,  
seu Metropolitano, convocatis omnibus  
Episcopis suffraganeis, seu Coepiscopis Pro-  
vinciæ, ad quæ etiam Capitula Cathedra-  
lium Ecclesiarum invitantur, sed sic, ut in  
his habeant suffragium solum consultivum,  
non decisivum; Abbas in c. ult. n. 2. de  
his, quæ sunt à Prælati. Episcopalia sunt,  
quæ fiunt ab Episcopis in suis diocesisibus,  
convocatis Prælati, & Parochi; Lay-  
man l. 1. tr. 4. c. 7. §. 1. n. 1. Sed adver-  
te hæc concilia Episcopalia rectius dici Sy-  
nodos, quam Concilia, ut patet ex c. *Sti-  
cut olim* 125. de accusat. & his annume-  
rari possunt Capitula, seu Congregati-  
ones, in quibus de Superiorum suorum  
aucto-

auctoritate Regulares ejusdem ordinis conveniunt, de quibus agitur *c. penult. de statu Monachorum*.

519. Not. 6. ut Concilia non oecumenica vim, & auctoritatem habeant in dioecesi, provincia, vel natione, non requiri consentum, vel approbationem summi Pontificis, modò in ijs nihil statuatur contra canones, vel consuetudines universalis Ecclesie. ita Layman *cit. n. 2.* & patet ex dictis.

520. Not. 7. quòd decreta Concilij *Generalis* omnes omnino Christianos obstringant *c. 1. dist. 15. & c. 1. de constit.* statuta autem Concilij *particularis* subditos solum tam diu obligent, quam diu in regno, provincia, vel dioecesi sunt. Nam extra territorium jus dicenti impunè non paretur, ut dicitur *c. 2. de constitut. in 6. & L. Fin. ff. de Jurisdic.* hæc doctrina, de Concilij particularibus limitanda est ad statuta Concilij *particularis non relata in corpus Juris Canonici*, ut dicitur *c. 2. de elect. & c. Nec Episcopi, de temporib. ordinat.* vel non approbata generaliter à summo Pontifice; secus enim perinde obligant omnes Christi fideles, ac si ab ipsomet concilium convocatum, & celebratum esset. Nam juxta Justinianum Imperatorem in *L. 1. c. de jure veteri enucleando: omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur.* Et ex his patet ad factam quæstionem in *n. 514.*

521. Not. 8. hanc regulam (*lex Principis posterior abrogat priorem, quatenus ei contraria est, licet id non exprimat*) ex aliquorum sententia limitari respectu Conciliorum generalium. Nam ut lex Pontificia, contraria Concilio generali censetur huic derogare, requirunt, quòd derogatio sit expressa; eò quòd constitutio Concilij generalis tacitam contineat clausulam derogatoriam omnium subsequentiū dispositionum, quæ contrariæ sunt, nisi per has ipsas expressè, ac specificè derogetur; & si Concilium generale sit novissimum (sicut nunc est Tridentinum) specialem ejus mentionem faciendam esse nec sufficere generalem clausulam, *non obstante quacunq. lege, etiam Concilij generalis*; ita Layman in *c. Licet Romana, de Constitutionibus in 6.*

522. Regulam istam approbat Joannes Honorius in *Summa Juris Can. l. 1. n. 11.*; sed

solum quoad alia Concilia generalia, non quoad Tridentinum; quia hoc declaravit omnia, & singula sub quibuscunque clausulis, & verbis, quæ in eo statuta sunt, ita decreta esse, ut in his salva temper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur, *sess. 25. c. 21.* Et ideo Pontifex contra illud rescribès, rescibit sine speciali, & generali derogatione. Talis autem declaratio non fuit facta a reliquis Concilij generalibus. sic ille.

Pyrrhus Corradus in *praxi dispens. A- 523. postol. l. 3. c. 1. n. 21.* docet, cum Pontifex rescribit, disponens aliquid contra Conciliarem constitutionem, necessariò debere fieri expressam de illa mentionem cum illius derogatione circa illum casum, super quo dispensatur contra talem constitutionem, (v. g. *non obstante Concilio Pictaviensi contra illegitimos edita*) nec sufficere consuetas clausulas derogatorias, esto diceretur: *non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac etiam in Provincialibus, seu Synodalibus Concilij editis &c.* secus dispositione Pontificiam in eo, quo adversatur constitutioni Conciliari, non habituram locum; eò quòd, illi *expresse non derogando*, ut dictum est, voluerit illam illas remanere; excipit tamen Tridentinum, pro cuius derogatione talem specificam expressionem non requirit. Rationem dat *n. 28.* quia quamvis, quoad alia Concilia sit necessaria expressio, *c. Ex parte, de Capellis Monach.* secus tamen esse de Tridentino, propterea, quòd in *c. fin. sess. 25.* expresse dicatur, *omnia decreta illius intelligi facta, salva Sedis Apostolicæ auctoritate*; ac idem declaratum esse à Pio V. in *suo motu proprio*, A. 1570. cujus tenorem refert Corradus *ibid. ad n. 285.* esto Schanchez *l. 3. de matr. D. 26. n. 7.* teneat, nec censi derogatum Tridentino, nisi de eo expressa mentio fiat specialis, quin sufficiat sola generalis.

In hac quæstione videtur, si Pontifex reverà intendat derogare omnibus in contrarium humano jure constitutis, etiam per generalem clausulam, cujuscunque etiam generalis Concilij constitutionibus derogari. Cum enim constitutiones Conciliorum etiam generalium totam vim suam habeant ex auctoritate Pontificis eas confirmantis, ut diximus in *præmissis*, non vide-

videtur dubium, eadem autoritate posse derogari; cum Successor eadem potestate polleat, quā Antecessor; nec ab hoc in posteros transmitti potuerit diminuta, vel limitata. Unde, si constet de tali Pontificis intentione, obesse non possunt eius dispositioni ea, quæ illi in Conciliaribus constitutionibus contrariantur. Nec à communi regula (quod constitutio derogans dispositioni Conciliari, debeat habere expressam ejus mentionem, juxta dicta) spectatà ratione adesse videtur causa sufficiens excipiendi Tridentinum, propterea, quod habeat clausulam: *salvâ semper Pontificis auctoritate*. Nam hæc clausula naturâ inest omnibus decretis Conciliaribus; cum totum eorum jus pendeat ab autoritate summi Pontificis; ergo, si propterea decreta Tridentini non requirunt specialem, & specificam mentionem derogatoriam, nec eam ex eadem ratione exigent decreta reliquorum. Totum igitur reduci debet ad consuetudinem, si talis sit, quâ inductum est, quod in alijs, non in isto id requiratur. Illi enim, si legitima sit (nisi aliud exprimat) in dispositionibus suis conformare se censendus est Pontifex.

§. VII.

Quid quoad leges Ecclesiasticas possint pralati Episcopis superiores, sed inferiores Papâ?

525. **C**ommunis doctrina est, Archiepiscopos & Metropolitanos, Exarchos, & Patriarchas, pro sua diœcesi, cujus sunt immediati pastores, idem posse, quod in sua potest Episcopus. Nam relatè ad illam habent se solum ut Episcopus. Cæterum in Provincia Patriarchali, vel Diœcesi ratione suæ dignitatis nihil possunt, nisi quod ipsis, vel jure speciali, vel consuetudine, vel privilegio conceditur; possunt quidem convocare Synodos, illis præesse, causas Episcoporum judicare, & alia ejusmodi; & sunt immediati superiores Episcoporum in istis, sed nihil possunt in Diœcesibus sibi subditorum Episcoporum, quorum omnium ratio universalissima est, quia omnes istæ dignitates, Metropolitana, Exarchatus, Patriarchatus, ratione quarum præminent Episcopis; sunt duntaxat ex jure Ecclesiastico; nihil igitur ipsis aliud tri-

buunt istæ dignitates, quàm quod illis jure speciali concedit Ecclesia.

Hoc ipsum declaravit Ecclesia. Nam 526. Nicolaus I. sic scribit Rhudolpho Bituricensi Archiepiscopo, ut refertur c. *conquestus*. 9. q. 3. conquestus est Apostolatu nostro frater Sigedodus Archiepiscopus Narbonensis, quod Clericos suos, eo invito, ad judicium tuum venite compellas, & de rebus ad Ecclesiam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure Patriarchatus tui, disponas, cum hoc nec antiquitas (cui Patres sanxerunt reverentiam) habeat, & autoritas sacrorum canonum penitus interdicit: nisi forte pro causis, quæ apud se terminare non possunt, ad te quasi ad Patriarcham suum provocaverint; vel, si Episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint; *Primates enim, vel Patriarchas nihil privilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus*: ita ut secundum Nicænas regulas (sua privilegia ferventur Ecclesijs, præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam, vel ipsius Rectorem speciali privilegio decreverit honorare.

Not. autem, quod Metropolitanus nec in Concilio provinciali possit constitutiones facere absque consilio, & voluntate Suffraganeorum; cit. c. *Nullus*, 9. q. 3. & c. *Episcopi*, de temporibus ordinationum; ita Fagnanus in c. *Antigonus*, de pactis, n. 6. Illo autem, & Episcopis comprovincialibus discordantibus, ad eundem esse Superiorem; nam & illi habent votum decisivum, & sunt conjudices; ita ille loc. cit. n. 61. ex c. 1. dist. 65. De reliquo, etiam ante susceptum pallium potest Archiepiscopus exercere, quæ sunt jurisdictionis tantum; teste Fagnano in c. *quanto*, de consuetudine, n. 37. ex c. *quod sicut*, §. *Super eo*, de electione; consequenter etiam condere leges, juxta dicta.

Quoad Cardinales not. illos dignitate, & officio, non autem ordine, majores Episcopis esse; Fagnanus in c. *Requisivit*, de ordin. ab Episcopo n. 65. & 67. qui in c. *Ex parte*, de Capell. Monach. n. 12. docet; quod Cæterus Cardinalium dispensare non possit contra constitutiones editas à Papa in Concilio generali; nec immuta-



re jus Papæ, ut habet in *c. licet de vitanda*, n. 33. *de Electione*; & ratio est ex n. 503. & seqq. quibus positus dicendum Cardinales, etiam non Episcopos, in suis titulis habere jurisdictionem quasi Episcopalem, *c. his, quæ*, de majorit. & obed. & *c. querelam*, de Elect: excipe tamen facultates, quæ à Concilio Tridentino Episcopis tribuuntur ratione dignitatis Episcop. ord. sess. 24. c. 6. ut notat Fagnanus, *c. Ne pro dilatione, de pœnit. & remiss. n. 42.* Hinc pro subditis sui tituli, & Ecclesiarum illi subjectarum, sicut Episcopi, condere possunt leges Canonicas; Pirhing, *de constitut. n. 4.* eorumque jurisdictione in suis titulis, Apostolicâ sede vacante non extinguitur. Fagnanus *c. Cùm olim, de majorit. & obed. n. 68.* Nam jurisdictione ordinaria per obitum Papæ non expirat, ut dicitur *c. 2. de offic. Legati*, n. 6. illorum autè jurisdictione in suis titulis est ordinaria.

529. De reliquo Conventus, seu Congregatio Cardinalium, nullam habet potestatem condendi leges Ecclesiasticas, excedentes suum territorium, etiam Sede Apostolicâ vacante. Nam tunc ea solum possunt, quæ pro electione Summi Pontificis, Ecclesiæ defensione, & periculis occurrentium necessitate videntur expedire, *c. Ubi periculum, de elect. in 6.* unde in alio negotio cautum est intrmittere; secus factis omnino irritis, ac inanibus; Clement. *Ne Romani, de Elect.* Illis autem sufficienter cautum erit impositione præceptorum; non legum: nam hæ appellant statutum stabile; ita Suarez *l. 4. hic, c. 6. n. 5.* Bonacin. *D. 1. q. 1. p. 3. n. 29.*

530. Dices. 1. Senatus Romanus habuit potestatem condendi leges ex dict. sed Collegium Cardinalium assimilatur Senatui Romano; *c. Constantinus, 2. dist. 96.* ergo. Resp. similitudinem concedi quoad dignitatem, & honorem; non jurisdictionem. Hanc enim à Constantino, utpote Laico, accipere non potuerunt; cùm sit potestas spiritualis: à Summo Pontifice illis data nullo jure probatur; ergo. Quid verò possint in interpretatione legum, & factorum canonum? quam vim habeant eorundem declarationes? dicemus infra.

531. Dices. 2. Congregatio Cardinalium habet potestatem creandi supremum Legislatorem Ecclesiasticum, nempe Summum

Pontificem: ergo etiâ condendi leges Ecclesiasticas. Sed illatio nulla est. i. alias etiam sacerdos simplex deberet posse condere leges Ecclesiasticas; cùm possit majus, nempe consecrare Corpus, & Sanguinem Christi. Deinde Cardinales non dant Pontifici potestatem condendi leges; sed tantum designant personam per electionem, quâ tanquam conditione positâ, ex potestate Christi Petro, ac ejus successoribus data potestas gubernandi totam Ecclesiam divino in eum jure derivatur.

Circa Legatos Pontificios dicendum, eos posse condere leges, & statuta, etiam perpetua, pro provincia sibi commissa, seu suæ legationis. constat ex *c. fin. de offic. Legati*. ibi: *nemini dubium esse volumus, quin Legatorum Sedis Apostolicæ statuta edita in provincia sibi commissa, durent tanquam perpetua, licet eandem postmodum sint egressi*; ex quo patet, ea durare etiam legatione finitâ, & post eorum à provincia discessum. Not. autem jurisdictionem *delegati à Legato*, finiri legatione finitâ, si res, ad quam delegatus est, sit integra; non autem, si ante finem legationis præcessit citatio; patet ex altero textu *c. fin.* ibi: *Secus autem, si causas duxerint aliquibus delegandas; cùm jurisdictione illorum expiret, si ante illorum discessum horum citatio non præcessit.*

Ex quo colliges. 1. citationem partis sufficere, ut res desinat esse integra, ut constat *ex cit. c. fin.* & notat in idem Barbof. *n. 4.* Colliges. 2. jurisdictionem Legati expirare cum egressu ejus è provincia, non reversuri; vel cùm revocatur à Pontifice, *arg. l. 3. ff. de officio Præsidis.* Item, cùm dubium casum retulit ad Pontificem; tunc enim quoad eum casum expirat jurisdictione Legati, *c. licet, de offic. Legati.* Colliges 3. Legatum Apostolicum non posse condere statuta contra jus canonicum, *c. quod super, de major. & obed.* (nam inferior non tollit legem Superioris, *arg. c. Inferior, dist. 21.*) bene tamen præter jus canonicum, quæ ad mores reformandos spectant; cùm sit ordinarius Juxta in provincia, ut habetur *c. 2. de majorit. & obed. in 6.* junctâ Gloss. *V. plantent.* Ad ea tamen, quæ præjudicialia sunt alijs, requiritur consensus eorum, quorum interest; ita Layman *c. fin. de offic. Legati, n. 6.*

## §. VIII.

Quid circa leges Ecclesiasticas possint  
Prælati Episcopo inferiores?

534. **P**RO respons. not. 1. hinc nomine *Prælati*, secundum Canones venire Abbates, Decanos, Præpositos, Archidiaconos, & Archipresbyteros; sic Fagnanus c. *ut Abbates*, de ætate, & qualitate, n. 14. Dixi *Decanos*, nimirum in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis; non alios, ut patebit ex n. 535. Not. 2. Collegia Ecclesiarum non Cathedralium, similesque communitates Ecclesiasticas inferiores, non posse facere statuta in rebus majoribus, sive gravioribus sine consensu Episcopi; posse verò in minoribus, sic tamen, ut habeant solam vim pacti, & conventionis, ut dictum supr. Etsi autem alicubi, ex consuetudine, Rectores Ecclesiarum secularium dicantur *Abbates*, ut notat Fagnan. *cit. in c. Ex transmissa, de renuntiat. n. 2.* *Abbas* tamen propriè est caput Monasterij Monachorum, quamvis etiam reperiantur Abbates seculares. Abbates autem, qui habent proprium territorium cum jurisdictione quasi Episcopali exclusis Episcopis, veniunt appellatione *diacesani*, secundum Panormit. in *Clement. Diacesanis*, de Vita, & honest. Cleric. Et in locis sibi pleno jure subjectis *quoad jurisdictionem* sunt similes Episcopis, c. *Constitutis*, de appellat. & c. *Translato*, de Constitut. Et ideo in suis territorijs tum ipsi, tum alij Prælati inferiores, pro suis possunt condere leges Ecclesiasticas, si obtineant jurisdictionem, quasi Episcopalem; Pirrhing. de Constitut. n. 4. Quare quoties agitur de his, quæ sunt *jurisdictionis*, esto fiat mentio *de Episcopo*, idem intelligitur de quocunque alio Prælato inferiore, qui habet jurisdictionem quasi Episcopalem; sic Abbas in c. *Sicut uxore, de excess. Prælat. n. 3.* Hinc etiam nomine *Ordinarij* veniunt inferiores Prælati institutionem habentes, ut dicit Gloss. in c. *Ordinarij*, V. *Locorum, de offic. ordin. in 6.* & Fagnan. in c. *Tua*, de Cleric. non resident.

535. Not. 3. *Decanum* esse honorabiliorem de Capitulo, ut notat Fagnan. c. *ut Abbates, de ætat. & qualit. n. 20.* non esse tamen de Capitulo, nisi etiam sit *Canonicus*, vel id habeat consuetudo; quia di-

gnitates non sunt de Capitulo, e. *Novit, c. quanto*, de concess. præbend. Decanatus autem dignitas est; at intellige non de *Decanis ruralibus*, sed de his, qui tales sunt in Ecclesijs Collegiatis, vel Cathedralibus, ut notat Fagnanus in c. *ut Abbates, cit. n. 23.* & notavimus supr.

Not. 4. Prælatos ordinum Regularium, respectu suorum sibi subditorum, posse condere leges, & statuta, juxta modum in regula præscriptum, & consuetudines, ac Privilegia, ita Suarez l. 4. *de legibus, c. 6. n. 21.* Cæterum in Communitatibus Regularibus non solum est potestas, ex vi voti obedientiæ, & traditionis, quam quis facit, sui traditione ad se gubernandum; sed etiam concessa, à Summo Pontifice ad subditos juxta regulæ præscriptum gubernandos; ita Suarez *loco cit.* Innocentius in c. *In singulis*, de statu Monach. In quo autem resideat hæc jurisdictio, pendet à particularibus Religionum statutis. Jus regulare aliqui distinguunt in naturale, & positivum. *Naturale* est, quod sequitur ex natura voti Religiosi, & sui ipsius traditione, atque mancipatione, atque ex natura ipsius statûs Religiosi, quem plurimæ obligationes ex natura rei consequuntur: quamvis enim ejusmodi statûs susceptio voluntaria, & libera, omnino sit, ubi tamen quis illum assumpsit ad plurima per se, & ex natura rei obligatur, ad quæ prius non obligabatur, quod in omnibus officijs, & statibus reperitur. Hoc igitur voco naturale Regulare, quod quale sit, explicatâ naturâ religionis, & votorum religioni substantialium, innotescet.

Jus regulare positivum est, quod plurima, quæ jus naturale non præscribit Religiosis facienda, sancit, vel fieri vetat, quod iterum duplex est, unum Pontificium & commune, quod omnibus Religiosis servandum imponitur ab Ecclesia, vel in Cõcilij, vel in Pontificum rescriptis, ex quibus tamen aliqua communia sunt omnibus Religiosis; alia verò quibusdam ordinibus, aut congregationibus peculiariter imposita: alterum jus regulare positivum singulis Ordinibus Religiosis privatim, & proprium, est pro religionum diversitate, quæ ex fine proximo, medijs, & varijs observationibus petenda est, continenturque ipsarum regulis, & constitutionibus, sive statutis: quare videndum omnino est quid

quid sit regula, quid constitutiones in hoc disponant.

538. Volunt aliqui utramque potestatem inesse etiam Abbatibus, & Monialium Præfectis, seu Præpositis; aliâs enim moniales delinquentes non possent punire; sed quoad ea tantum, quæ ad rectam, & politicam gubernationem suæ domûs convenientia judicaverint. Verùm ad hoc sufficit potestas dominativa, & œconomica. Quare dicendum Monialium Superiorissimam nullam habere jurisdictionem, neque Spiritualem, cum ejus capax non sit; neque civilem, aut temporalem, cum à nullo principe seculari eam acceperit; ipsi nihilominus Monachæ obedire tenentur secundum regulam, quam sunt professæ, quod etiam videmus in antiquis Monachis, quorum Abbates, & Superiores nullam propriam jurisdictionem habuisse videntur, cum nullos ejusmodi jurisdictionis effectus in illis deprehendamus, ut in votis, & præceptis Ecclesiasticis dispensationem, censurarum v. g. excommunicationis inflictionem, alia & ejusmodi: quæ enim in antiquis regulis leguntur excommunicationes, veræ censuræ Ecclesiasticæ non erant, sed privationes quædam à comuni consortio aliorum, in penam inflictæ.

539. Ad id, quod dicebatur, quod Monialium Superiorissima possit subditas pœnis corporalibus cogere ad ea, quæ regulæ, & votorum observatio postulat: Resp. non omnem coactionem, & punitionem dici jurisdictionem, nisi admodum improprie; alioqui dominus, qui servum cogit ad sibi mandata implenda; & pater, qui corripit filium; & mater castigans filiam, dicerentur habere propriam jurisdictionem, & in omni regimine domestico, & œconomico potestas directiva, & coactiva essent jurisdictiones, quæ tamen non sunt, nisi dominia, paterna, vel herilia, quod idem dices de uxore, quæ vi matrimonij viro subjicitur.

540. Quæres, quid circa leges Ecclesiasticas possit Capitulum? Ante resolut. not. 1. Capitulum esse nomen intellectuale, & rem incorporalem, nihilque facere posse, nisi per sua membra, ut notat Fagnanus c. Responso de sent. excom. n. 74. Dicitur Senatus Ecclesiæ, ut colligitur ex Trid. sess. 24. c. 12. ibi: ut verè Ecclesiæ Senatus dici possit, & jus ejus in uno Canonico con-

servatur, intellige, si ceteri absint, gloss. penult. & Abbas n. 9, in c. Gratum, de postulat. Prælat. in certis Ecclesijs ex præscriptione, vel privilegio potest sibi acquirere jura Episcopalia, excluso Episcopo, c. Auditis, de præscript. & Fagnan. ex Calderino in c. Tuæ, de Cleric. non resid. in 6.

Not. 2. idem esse, habere Ecclesiam sibi subjectam pleno jure, & habere ordinariam, & quasi Episcopalem potestatem, seu jurisdictionem in illa; quia tunc Episcopus nullum jus potest in ea exercere; ita Hostiensis in c. Quoniam, de privileg. Abbas in c. Auditis, cit. n. 4. Ex hoc autem sequitur, Capitulum, habens ejusmodi jurisdictionem, idem quoad condendas leges Ecclesiasticas posse, quod posse diximus exemptos habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Et ideo Capitula exempta Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum nequeunt ab Episcopis visitari, nisi per se ipsos; ita Fagnan. in c. Procuraciones, de censibus, n. 11. ex Concilio Trid. sess. 6. c. 4. & sess. 25. c. 6. quibus positus:

Resp. Capitulum, jure Ordinario, Sede non vacante, non posse condere leges, aut statuta, in rebus gravioribus sine consensu, & autoritate Episcopi v. g. mutare consuetudines antiquas &c. c. cum consuetudinis. 9. de consuetud. ubi Honorius III. rescribens Capitulo Parisiensi ait: cum consuetudinis, usque longævi non sit levis autoritas, & plerumque discordiam pariant novitates; autoritate vobis presentium inhibemus, ne absque Episcopi vestri consensu immutetis Ecclesiæ vestræ constitutiones, & consuetudines approbatas, vel novas etiam inducatis. Si quas fortè fecistis, irritas decernentes. & c. cum accessissent, 8. de constitut. ubi dicitur, dignitatem sublatam per statutum Capituli confirmatum per Papam, ulterius non ceteri vacare, nisi per contrarium actum statutum fuerit revocatum: posse tamen in levioribus, quæ pertinent ad ordinem, & bonum regimen ipsius Capituli, uti est administratio reddituum, &c. Pirhing. de Constitut. n. 7. Potest tamen etiam Sede non vacante, facere statuta quædam de rebus, quæ proprie ad ipsum spectant, v. g. de ratione, & modo congregandi Capitulum, distribuendi redditus, ut colligitur ex c. Cum omnes 16. de Constit. non

R

tamen

tamen in damnum aliquorum, & commodum aliorum sine rationabili causa.

543. Sede autem vacante succedit Episcopo in jurisdictione ordinaria, & in tota administratione tam in spiritualibus, quam temporalibus, *c. Cum olim, 14. de majorit. & obed. ibi: mandantes eisdem, ut, cum Ecclesia Messan. vacet in presens, electionem suam confirmandam presentetur Capitulo Messanenfi; & c. unic. eod. in 6.* ubi dicitur, quod Episcopali sede vacante possit Capitulum, seu is, ad quem Episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, ijs, quibus posset Episcopus, si viveret, ab excommunicationis sententia sive juris, sive hominis fuerit, absolutionis beneficium impartiri; nisi ei fuerit à Sede Apostolica specialiter interdicta potestas: sed condere leges, est de potestate, & jurisdictione ordinaria Episcopi ex dictis; ergo etiam Capituli sede vacante. Statutum tamen Capituli (idem dic de alia communitate) quod vergit in aliquorum commodum, & in aliorum æquale jus habentium, damnum, injustum est, & invalidum ex *n. priori*, quia sic non respicit commune bonum, *c. cum omnes, de constitut.* ex quo habetur, sine rationabili causa non posse à majori parte Capituli tolli consuetudinem, quæ privatam utilitatem nutrit; nec fieri statutum in præjudicium futurorum, intellige, in Capitulis, & onerosum futuris, nisi adsit consensus majoris partis, ut notat Wagnereck *ibid.* & alias non tenent, *c. fin. de rebus Ecclesiasticis non alienand.* Unde nec potest sine causa restringere numerum Canonico- rum, seu præbendarum, *c. Ex parte, 12. de constit.* nec valet statutum, ut, licet hætenus omnes Canonici, etiam absentes, redditus suos integrè perceperint, deinceps tamen, qui de novo erunt Canonici, non sic percipiant, si sint absentes. Ratio est ex *cit. c.* & ratione data; potest tamen cum consensu Episcopi, si fiat in utilitatem Ecclesiæ; Pirhing *cit. de constit. n. 100.* quia per tale statutum reditur ad jus commune.

544. Præter hæc not. 1. per consuetudinem immemorabilem induci posse, ut habentes beneficia, sive simplicia, sive curata, etiam absentes ex legitima causa, fructus suos percipiant, modo per eorum absentiam Ecclesia ministris ad divinum cul-

tum necessarijs non destituatur. Nam jure Canonico antiquo talis consuetudo non invenitur reprobata, *c. cum omnes, h. t.* quamvis idem Capitulum talem consuetudinem possit tollere per statutum contrarium de consensu Episcopi; quia tale statutum est utile Ecclesiæ, & conforme juri communi requirenti residentiam personalem, *c. Super inordinata, 35. de præbend. & c. Conquerente, 5. de Cleric. non resident.*

Not. 2. quod Capitulum etiam Cathedralæ, sine consensu Episcopi, consuetudinem in Ecclesia sua receptam, statuto contrario tollere non possit; quia, seclusis privilegio, & consuetudine, Capitulum sede non vacante, non habet absolutè jurisdictionem spirituales, *c. Quoniam, 7. de Vit. & honest. Cleric.* Si tamen ea consuetudo deveniret ad illum casum, in quo ab initio non potuisset introduci, Capitulum eam potest abrogare, vel potius declarare, illà non amplius habere vim obligandi; sic Layman in *c. Cum omnes, h. t. n. 3.* Episcopus autem de consensu Clerici potest facere statutum, quo graventur solum ij, qui de novo recipientur, modò sit in utilitatem Ecclesiæ. Non enim est iniquum, ut antiqui vivant juxta consuetudinem receptam, novi verò ligentur novò statuto, quod liberè admittunt; quia constitutionis proprium est, quod respiciat futura, & non præterita, *c. 2. h. t.*

Not. 3. quod lex de novo facta non extendatur ad præterita, sed futura, *c. Cognoscetes, 2. de constitut.* ibi: *rem, quæ culpâ caret, in damnum revocare non convenit;* hinc quoties novum quid statuit, ita solet futuris formam imponere, ut dispendijs præterita non commendet: ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere: quod eos postmodum dignum est vetitos sustinere; intellige, nisi expressè de præteritis cautum sit, *c. fin. eod.* ibi: *cum leges, & constitutiones futuris certum sit dare formam negotijs, non ad præterita facta trahi: nisi nominatim in eis de præteritis caveatur.* Si enim etiam de his loquatur, etiam ad hæc extenditur, Layman in *cit. c. fin. n. 4.* intellige tamen, nisi ea jam decisa sint transactione, sententiâ, solutione, vel juramento. Cæterum statuta Capituli, condita contra jus Canonicum, invalida sunt; *c. quod super his,*

per his, 9. de majorit. & obed. ibi: dummodo in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum (quod canonicis obviet institutis) Hinc licet Duces, Marchiones, & Comites, qui Regalia habent à Cæsare, possint ex ejusdem concessione pro suis terris condere statuta municipalia contra jus civile, seu leges Cæsareas, salvis tamen his, quæ Imperatori debentur ratione supremæ dignitatis: id tamen non procedit in Ecclesiasticis, Papâ inferioribus, quoad leges canonicas; cujus ratio est, quia etiam postquam potestas gubernativa, quam prius habebat populus, & libera communitates, translata est in Imperatorem, ut dictum est supra; Imperator tamen in specie Ducibus, & Principibus Imperij concessit potestatem condendi leges suis provinciis convenientes, etiam adversus jus commune; quæ concessio à summo Pontifice Prælati inferioribus facta nulli reperitur; maxime cum omnes Ecclesiæ Prælati jurisdictionem suam habeant ab ipso, ut diximus in præcedentibus n. 512.

## §. IX.

An potestas legislativa possit delegari?

947. **P**osse delegari, non est dubium, cum potestas ferendi legem sit pars jurisdictionis, prout habetur in c. Gravem, 53. de sent. excom. ibi: quidam cives Pisani deputati à potestate, & populo ad statuta civitatis edenda. & tradunt communiter Doctores cum Abbate in cit. c. n. 1. Suarez l. 4. de legibus, c. 6. Salas D. 8. S. 19. & 92. quæstio autem est, an alicui delegari possit potestas ferendi leges pro tota Ecclesia? Negativam tenet P. Suarez cit. & Bonacina D. 1. q. 1. p. 3. n. 33. quia potestas ferendi leges pro tota Ecclesia fundatur in infallibili assistentia Spiritus sancti, quæ non est delegabilis. Nam ex illa habetur, quod tota Ecclesia errare non possit; Salas autem cit. n. 93. affirmat, posse delegari Concilio; non tamen esse expediens, personæ privatæ. Distinctione utitur Castropalaus p. 1. tr. 3. D. 1. p. 23. n. 30. dicens, aliquas esse leges immediatè pertinentes ad mores; quæ in re sunt potius definitiones fidei, & conclusiones deductæ ex principiis naturalibus, vel revelatis, quam positivæ constitutiones: aliàs solum remo-

tè pertinentes ad salutem, sine quibus nimirum (secluso jure positivo humano) salus animæ obtineri, aut etiam contrarium disponi potuisset. Leges prohibentes matrimonia evnuchorum, coitum vagum, mutuum cum usuris, & fortè præscriptionem rei, malâ fide possessæ, annumerat legibus immediatè pertinentibus ad mores; eas verò, quæ disponunt de jejuniis certis diebus servando, de modo tenendo in resignandis, vel acceptandis beneficijs, aut cæremonijs usurpandis in Missæ sacrificio, & similibus, ait pertinere ad posteriores, seu ad mores spectantes solum remotè, quibus positis: resolvit, potestatem ferendi leges priores (nimirum immediatè pertinentes ad mores) non esse delegabilem eò, quod hæc fundetur in infallibili assistentia Spiritus sancti, quæ non est delegabilis; secus alteram, quæ respicit leges solum remotè spectantes ad mores fidelium. Nam in his negat requiri assistentiam illam divini spiritus.

In hac quæstione omnino dicendum, quod summus Pontifex non possit errare in moribus per se bonis, vel malis, consequenter non possit approbare per se turpia, ut honesta; & è converso damnare per se honesta, tanquam iniqua; ita Suarez D. 5. de Fide, S. 8. n. 7. Bellarm. l. 4. de Rom. Pont. c. 1. & 5. Nam aliàs tota Ecclesia (nimirum cætus fidelium cum suo Capite, summo Christi Vicario) errare posset saltem in materia morum; id, quod certò falsum est. Sequela probatur. Nam approbare per se turpia pro honestis, & damnare per se honesta, tanquam iniqua, errare est; ergo, si summus Pontifex hoc faceret, erraret; ergo cum illo erraret tota Ecclesia; cum Ecclesia id approbet, & reprobet, quod eam docet summus Pontifex. Quòd autem in materia morum errare Ecclesiam cum suo capite, repugnet, patet; quia Ecclesia non posset dici verè sancta, ut in Symbolo Apostolico vocatur; sancta enim potissimum dicitur ob sanctam professionem, quia nimirum legem sanctam profitetur, quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum. Accedit, quòd tunc necessariò erraret contra fidem. Fides enim Catholica docet omnem virtutem esse bonam, omne vitium esse malum; si autem Pontifex in materia morum erraret præcipiendò vitia, vel prohibendò virtutes

tutes, teneretur Ecclesia credere, vitia esse bona, & virtutes esse malas; sic Bellarminus, de quo V. Cardenas *in Crisi ad pro-  
pos. damnat. ab Innocent. XI. dissert. 1. a. 4.*

549. Ex dict. inferes 1. potestatem, in materia morum veritate infallibili reprobandi quædam, ut per se mala; vel approbandi prout per se honesta, à Summo Pontifice non esse delegabilem. Nam hæc infallibilitas est in eo duntaxat, quòd sit ex infallibili assistentia Spiritus Sancti; quæ delegari non potest; similiter potestatem ferendi leges pro tota Ecclesia, quæ non tam sunt constitutiones positivæ, quàm definitiones & conclusiones ex principiis juris naturalis, & revelatis, non esse delegabilem ulli homini privato, aut etiam Concilio. Nam potestas ferendi tales leges importat potestatem in materia morum veritate infallibili reprobandi per se mala, & approbandi bona, ut talia; sed ex priori numero hæc potestas non est delegabilis; ergo demum potestatem ferendi leges pro tota Ecclesia in materia per se non mala, vel bona (quas Castropalaus *cit. supr. num. 547.* vocat solum *remotè pertinentes ad mores*) esse delegabilem, etiam privato; sic Castropal. *cit.* Nam has leges etiam pro tota Ecclesia posse condere, non importat potestatem cum infallibili assistentia Spiritus S. & ideo ad condendam legem Ecclesiasticam non requirit potestatem immunem ab omni errore, seu præsumptione falsa; ut patet in legibus Ecclesiasticis, quæ disponunt in quæstione facti. Talis est ea constitutio Ecclesiæ, qua sponsi post sponsalia de futuro, habitâ copulâ, jubebantur haberi tanquam veri conjuges; atque adeò sponsalia de futuro, secutâ inter sponsores carnali copulâ, transibant in matrimonium ex præsumptione juris de jure, quòd intervenerit mutuus consensus maritalis, quod in re falsum esse potest. 2. in ea, qua judicio Ecclesiæ matrimonium etiam consummatum decernitur separandum detecto in foro externo impedimento dirimente, licet reipsa non subsit; & restaurari debeat, errore cognito. Et ratio ulterior est, quia materia talium legum poterat non prohiberi, vel præcipi, ut notavimus *n. 547.* ergo leges istæ non requirunt eam veritatē infallibilē, quam in aliis præstat sola assistentia Spiritus Sancti.

## ARTICULUS XI.

Qui teneantur legibus?

Variæ sunt personæ, de quibus dubitari possit, an legibus obligentur? Accedit, non omnes ligari iisdem; licet enim omnes habentes usum rationis ligentur jure naturali, & divino, de legibus tamen humanis merito quæritur, an Clerici ligentur legibus Laicorum? an advenæ, & peregrini legibus locorum? &c. De singulis igitur breviter dicendum.

## §. 1.

An Legislatores suis legibus obligentur?

Supponendum 1. nos loqui de legibus, 551. quæ respiciunt, seu disponunt in materia non tantum subditis, sed etiam accommodabili ipsi, qui super ea legem tulit. Dupliciter autem considerari lex potest. 1. quoad vim obligandi sub culpa, & hanc dicunt *vim directivam*; 2. quoad vim obligandi ad poenam à lege impositâ transgressori; & hanc vocant *vim coactivam*. Supponendum 2. ex communi sententia nullum legislatorem, quoad *vim coactivam* teneri legē à se conditâ, consequenter, non fieri obnoxium poenæ per legem suam statutæ transgressoribus, esto ipse talem legem non obliet. Sic Azor *tom. 1. l. 5. c. 11. q. 2.* Suarez *l. 3. de legibus, c. 35. n. 15.* & alii communiter. Nam nemo fit obnoxius poenæ transgressoribus certæ legis statutæ, nisi sit *transgressor ejus*: at esto legislator legem à se conditam non observet, per hoc non est *transgressor ejus*; sed tantum juris naturalis, ut mox dicemus; ergo; quibus positis:

Resp. Legislatores nec quoad *vim directivam* obligari legibus suis, *in vi talis legis*; sed solum *in vi circumstantiæ*, quâ positâ lex naturæ illum adstringit suos gubernare etiam *exemplo*; sic Castropal. *cit. p. 24. q. 2.* & apud eum complures alii. Nam etsi verum sit, quando legislator fert aliquam legem in materia communi, & accommodabili tam subditis, quàm ipsimet legislatori, hunc etiam sub culpa teneri se conformare ejusmodi legi, ut docet D. Thomas *1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. cum in-*  
decens

deceus sit, quod superior se non conformet suis subditis in materia communi; sed aliud prædicet verbò, aliud doceat exemplo: hæc tamen obligatio non nascitur ex ipsa lege per eum condita, tanquam in eum vim legis exercente; ergo aliunde, nimirum lege naturali. Min. prob. Nam, si lex positiva humana in auctorem suum exerceret vim legis directivam, obligans eum ad culpam, lex positiva humana nullatenus penderet à libera voluntate illius; nam si penderet à libera voluntate ipsius, posset non intendere se obligare ad culpam, sicut potest velle non ligare alium, quem vellet exemptum; sed si legem ferret non intendens se obligare ad culpam; lex non posset in eum exercere vim legis directivam; ergo.

553. Dices 1. quando Princeps lege suâ statuit taxam mercibus, aut certam formam contractibus validè celebrandis, ipse non minùs, ac subditi, tenetur servare taxam mercium, aut formam, celebrans ejusmodi contractum; ergo & ipse ligatur suis legibus; Resp. concedendo non tantum subditos, sed etiam Principem ligari ad eam taxam, & formam (seclusà dispensatione) sed *hunc jure solum naturali*, quod ipsi applicatur supposità circumstantiâ legis à se conditæ; *subditos autem etiâ in vi legis illius humanæ*; nam hæc in istos, non autem in illum, vim legis exercere valet ex priori num. Dixi: Principem in dato casu ligari *jure solum naturali*, quo cavetur, ne res pluri vendatur, quam communiter valeat; hunc porrò communem valorem res habet ex justa taxatione; similiter jure naturali postulatur æqualitas in contractibus; ergo si Princeps etiam eum subdito celebret contractum sub conditionibus præscriptis, jure naturali ad eum observandum tenetur; nisi antecedenter in lege sua dispenset; tunc enim eam removet in ratione circumstantiæ, sub qua illi vis juris naturalis applicatur.

554. Dices 2. si Princeps obligetur suis legibus, non quia *leges illius sunt*; sed, quia *sunt* conditiones, seu *circumstantiæ*, quibus positus eum ad idem obligat jus naturale, quando materia legis propriæ etiam ipsi accommodari potest, sequitur eum peccare graviter contra jus naturale, quoties non servat suam legem graviter obligantem subditos. Prob. Nam in tali ca-

su materia præcepta gravis est, & subditi transgrediendò graviter peccant; ergo & ipse, cum ambo ad idem obligentur, licet diverso jure. Resp. sequelam ex facta ratione concedi à Covarr. *in c. alma mater*, p. 1. à n. 5. Sylvest. *V. lex*, q. 14. Sayro *in clavi reg. l. 12. c. 9. n. 2.* & aliis. Pro resolut. not. 1. ex sola materiæ gravitate non argui obligationem gravem, ut diximus à n. 293. & patet ex eo, quod vovens rem secundum se gravem, v. g. 100. aureorum eleemosynam cum expressâ intentione, se non obligandi, nisi sub veniali culpa, teneretur ad gravem materiam, solum leviter. Actus enim agentium non operantur ultra eorum intentionem. Not. 2. cum quæritur de gravitate materiæ præceptæ, non debere attendi gravitatem ejus *secundum se*, sed relatè *ad finem præceptum*; sæpius enim res secundum se gravis, leviter; & secundum se levis, *graviter* necessaria est ad finem directè quæsitum à lege. Not. 3. finem, propter quem legislator jure naturali obstringitur ad servandam legem à se conditam in materia etiam ipsi accommodabili, non esse eundem cum eo, quem intendit lex pro subditis statuta. Sic lex jejunii subditos obligat propter temperantiam; jus autem naturale obstringens legislatorem ad eandem legem servandam, intendit Principis conformitatem cum subditis in materia communi, ut dictum est supra; quibus positis:

Resp. ad object. in n. 554. & dico, in dato casu, & Principem, & subditos obstringi ad materiam præceptam, sed *diverso jure*, & *ex diverso fine*; non autem *eodem*, ut jam dictum est. Hinc dist. sequelam: sequitur cum peccare graviter, quoties non servat legem à se conditam, ubi hujus observantia est graviter necessaria ad finem directè quæsitum à jure naturali, obstringente Principem ad eandem materiam legis à se conditæ C. fecus, N. sequelam; cum materiæ gravitas respectu gravis obligationis non pendeat à rei gravitate secundum se, ut dictum est. Cum autem probabilius sit, non esse graviter necessarium ad finem (qui est conformitas Principis cum subditis in materia utriusque communi) quod in quovis omnino actu faciat hanc conformationem (saltem, ubi abest scandalum, vel alia ratio extrinseca) ex hoc præcisè non arguetur in Principe

juris naturalis transgressio *gravis*, quod transgressio legis positivæ in subditis fit *gravis*; cum graviter necessarium ad finem *juris positivi*, possit esse necessarium solum leviter ad finem *juris naturalis*. Sic ad justas, & validas nuptias jure positivo graviter necessarius est defectus impedimenti nascentis ex jure solum positivo; jure autem naturali, nullatenus.

556. Instabis: ergo saltem Summus Pontifex ligabitur suis legibus Ecclesiasticis; patet illatum; nam Sacri Canones (quatenus eis derogatum non est per posteriores Canones, vel consuetudinem legitimam) ligant omnes Christianos, sed etiam ipse Summus Pontifex Christianus est; ergo. Et confirmatur ex *c. 25. q. 1. c. 7.* ubi Zosimus Papa ait: *contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest autoritas.*

557. Ante resolut. not. statuta Patrum quædam esse *de pertinentibus ad fidem Catholicam*, vel continentibus jus naturale, aut divinum; & de his procedunt verba Zosimi; nec dubium est, illis etiam Summum Pontificem obligari; sic gloss. *in cit. c. contra, v. eod.* id, quod aperte etiam docet Urbanus Papa in *c. sunt quidam*, immediate præcedenti. Quædam verò continent solum ea, quæ nullo jure naturali, vel divino debita sunt, sed autoritate solum humanâ præcepta, vel prohibita. Et in his dicendum, Summum Pontificem non obligari *quoad vim coactivam*, *25. q. 1. c. 16. vers. his ita*: sed solum *directivam*, quæ est *decentiæ*; non *necessitatis*, ut patebit ex seqq. & quidē *non quoad vim coactivam*; quia nullum habet Superiorem, à quo justè cogi posset, utpote fungens eadem, vel etiam majori potestate Ecclesiasticâ, quâ pollet quicumque alius Superior Ecclesiasticus, *c. 20. de Elect.* ibi: *quamvis autem Canon Lateran. Concilii, ab Alexandro Prædecessore nostro editus, non legitimè genitos ad eò persequatur, quod electionem talium innuit, nullam esse; nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas; & subjungit causam, quia Successoribus suis nullum potuit, hac in parte, præjudiciū generare, pari post eum, imò eadem potestate functuris; cum non habeat imperium par in parem: nec etiam quoad vim directivam, quæ est necessitatis, nimirum obligantis ad culpam; cum nulli*

humanæ potestati legislativæ in Ecclesiasticis, ac spiritualibus subdatur, utpote caput omnium Christianorum, non recognoscens in hisce causis Superiorem, ut constat *ex cit. c. 20.*

Ligatur tamen *quoad vim directivam*, quæ est *decentiæ*, ac naturalis honestatis; tum ut caput conformetur membris, juxta *c. 2. dist. 8.* tum ut conditor legis exemplò suo subditos in ejus observantiam inducat, ut dicitur *cit. vers. his ita*; ibi: *Sacrofancta Romana Ecclesia jus, & auctoritatem, Sacris Canonibus, impertitur; sed non eis alligatur; & paulò post: ita ergo Canonibus auctoritatem præstat, ut se ipsam non subsiciat eis; id, quod pluribus explicans Leo Papa III. in cit. 25. q. 1. c. 16. vers. his ita*, ubi, sicut Christus, ait, *qui legem dedit, ipsam legem carnaliter implevit octavâ die circumcisus &c. ut in se ipso eam sanctificaret: postea verò (ut se Dominum legis ostenderet) contra legis literam, leprosum tangendò mundavit &c. ita & summe Sedis Pontifices Canonibus sive à se, sive ab aliis, suâ auctoritate conditis reverentiam exhibent; & eis se humiliandò custodiunt, ut aliis observandos exhibeant; non nunquam verò seu jubendo, seu definiendo, seu aliter agendo, se decretorum Dominos, & conditores esse ostendunt, aliis imponendo necessitatem obsequendi; & ostendendo, sibi inesse auctoritatem observandi, ut à se tradita observando, aliis non contemnenda demonstrant.*

## §. II.

An, & quibus legibus obligentur infideles? amentes? pueri?

559. Non est dubium, infideles obligari jure naturali, & divino; cum Deo, & rectæ rationi subdantur; quæstio autem de legibus Ecclesiasticis negativè resolvitur, cum sint extra Ecclesiam, & ex *c. gaudeamus; de divortis*, disertè constat, Ecclesiam in eos nullam habere jurisdictionem. Ex hoc sequitur, infideles jure naturali, & divino teneri ad media salutis necessaria non tantum necessitate medi; sed etiam præcepti divini, ubi debitam eorum notitiam, quæ sufficiat ad intimandam naturalis, aut divinæ legis obligationem, acceperint; & , ubi dubium, vel scrupulus ali-



aliquis occurrerit, conandum, ut debitam eorum notitiam acquirant. Not. tamen, aliud esse, quod infideles non ligentur legibus Ecclesiasticis; aliud, quod defectus aliquis, qui etiam sine subjectione ad Ecclesiam in aliquibus infidelibus est, propter quem etiam Christiani ab Ecclesia pro certis casibus repelluntur, in illis tempore infidelitatis contrahatur, qui etiam suscepto Baptismo duret, ut est bigamia; & ob hunc ab Ecclesia à certis casibus repelluntur, ut dicemus *infra*; quibus positis:

560. Quæstio est 1. an amentes, ac ebrii (durante statu amentie, ac ebrietatis) ligentur legibus? Resp. eos excusari ab imputabili transgressione legis; cum careant tunc usu rationis, necessariò ad liberum voluntatis exercitium morale; & ideo ex eadem ratione pueri ante usum rationis nullis legibus tenentur (consentur autem communiter habere usum rationis, completò septenniò; & in dubio, an tunc habeant? præsumitur affirmativa; quia hoc est ex communiter contingentibus) ex hoc sumitur ratio, eos, durante tali statu, nullis ligari legibus, saltem obligatione proximã. Nam hæc in taliter obligato supponit usum rationis expeditum, ad debitè deliberandum, sine quo nec formalis bonitas, nec malitia in actum refundi potest. Qualiter autem commissa in ebrietate imputari ad culpam possint, & debeant, quando rationis compos prævidit ea in ebrietate secutura, pluribus exposuimus *in tract. Theolog. de vitiis, & peccatis*.

561. Quæstio tamen altera est, an, & quibus legibus ligentur pueri adepto usu rationis, qui præsumitur adesse completò septenniò? Resp. teneri tunc legibus naturalibus, & divinis, imò etiam prius, si citius pollerent usu rationis. Nam jus naturale, & divinum, debitè per cognitionem rationis intimatum, statim obligat; intellige, si reverà tunc adsit rectum iudicium, quo dignoscant bonum à malo morali; ubi enim hoc abest, nec legis obligatio esse potest; de legibus autem positivis potissima quæstio est? sed idem de his dicendum, quod illis non obligentur *proximè*, ubi in re abest usus rationis, etiamsi essent septenniò majores; quia tamen à jure usus rationis, completò septenniò, in illis præsumitur, ubi violarent legem Ecclesiæ, præsumerentur transgressores imputabiliter, hoc est, cum sci-

entia de obligatione; quæ tanten præsumptio, in foro poli (si talis puer affirmaret, se non intellexisse malum, vel saltem gravitatem ejus) cederet veritati, id, quod etiam in foro fori tenendum est, ubi probaret notitiæ debitæ defectum, quæ in hac ætate exigere non debet *tanta*; cum reverà multi satis tardè orientem sibi solem vident super tanta malitiæ gravitate.

Quæstio est 3. an, si ante septenniò 562. pollerent usu rationis, tenerentur tunc legibus positivis? Joannes Sanchez *in select. D. 51 n. 31.* docet, non teneri, quia leges positivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt, ut dicitur *L. non ad ea, ff. de legibus*, consequenter non est intentio Legislatoris obstringere subditum, ante *legale* tempus, quo *communiter* adest capacitas passiva obligationis, cujus defectus præstet naturale impedimentum legi, ad obligandum; quod verum iudico de legibus humanis; cum ferri non debeant in incertum; quod tamen eveniret, humano iudice vix rectè pronuntiaturo de transgressione scienter facta in ea ætate tenera.

Quæstio est 4. an pueri ligentur legibus Ecclesiasticis, post adeptum usum rationis, sed ante pubertatem? tametsi plurimùm in hac quæstione varient Doctores, ut videri potest apud Castropalaum *p. 1 tr. 3. D. 1. p. 24. §. 2. n. 4.* nec desint, qui hoc negent; verior tamen sententia est affirmativa, ubi lex Ecclesiastica non expressè determinat tempus, ante quod nolit septenniò majores suis legibus obstringi, ita Thom. Sanch. *l. 1. c. 12. n. 6.* Suarez *tom. 4. p. 3. D. 36. f. 2. n. 3.* apud, & cum Castropal. *cit. n. 5.* Ratio est, quia omnes subditi, passivè capaces alicujus obligationis, ex lege legitimè constituta, à subditis cognita, illà obligantur, nisi excipiantur; sed pueri usum rationis habentes, completò septenniò, etiam ante pubertatem sunt subditi Ecclesiæ; & sunt passivè capaces obligationis ex lege Ecclesiastica legitimè constituta; ergo illà ligantur ante pubertatem, *nisi excipiantur*. Nam quædam sunt Ecclesiæ leges, ad quarum observantiam ipsa non obligat ante certum tempus, vel ab ipsa, vel à consuetudine legitimè recepta definitum, ut patet in lege jejuniij, & aliis, de quibus Theologi morales.

Ex dictis colliges, pueros, cum pervenerint ad annos *discretionis*, teneri præceptò 564.

cepto confessionis annuæ, de quo *c. omnis utriusque sexus*; nec excusari, nisi affirmandò, discretionem perfectam ad illius observantiam non habere; id, quod relinquitur prudenti iudicio Parentum, Instructorum, & cumprimis Confessariorum, quorum est iudicare de sufficienti maturitate iudicij, ut hoc Sacramentum debite peragatur. Et ideo in *cit. c. omnis utriusque* (ubi etiam præcipitur habentibus annos discretionis sumptio S. Eucharistiæ) prorogatio temporis remittitur Confessoris arbitrio; unde puer, etiam completò septenniò, non tenebitur lege communicandi, si prudentis Confessarij iudicio præscriptum septennij tempus prorogetur; sic enim operabitur juxta legitimam dictæ legis declarationem, sumptam ex iudicio prudentum, & Ecclesiæ consuetudine recepta. Vix enim prudenter iudicari potest *universim*, pueros etiam completò septenniò habere discretionem tantam, ut reverenter Christi Corpus sumant.

565. Et si autem iudicio Confessoris pueris septennio majoribus prorogari possit tempus Communionis annuæ, aliàs Ecclesiæ præcepto debite; tamen in agone, si doli sint capaces, & apti confiteri, rectè tribuitur Sacra Communio; imò secundum multos, debet. Hinc valde probabiliter Castropalaus cit. (qui in prima parte nobiscum sentit n. 7.) in eodem docet, etiam annuæ communionis lege illos teneri, ubi annos discretionis habent, nisi expressè Confessor iudicet, tempus prorogandum secundum dicta; quia si habent annos discretionis, sunt capaces passivæ obligationis.

566. Quæstio est 5. an pueri adepto rationis usu ante pubertatem ligentur legibus Ecclesiasticis etiam *quoad penas & censuras*? & ante pubertatem non ligari, *latis ab homine*, ut habetur expressè in *c. 1. de delictis puerorum*, ubi, cum Gregorius Pontifex dixisset, quosdam pueris grandiusculis nolle peccatum attribuere, nisi ab annis 14. cum pubescere cœperint; negari tamen non posse, furta, mendacia, perjuriam esse peccata, quibus plena sit puerilis ætas; *in eis tamen non ita punienda esse, ut in majoribus*; & in *c. Referente*, 2. eod. ibi: *quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in alijs provecioris ætatis, humana leges dicunt severius corrigenda*.

*dum*: mandamus, quatenus, si confitebitur filium prædicti H. intra 14. ætatis suæ annum, eundem excessum commississe, memoratum Abbatem moneas, & compellas, ut ab eodem H. prædictos centum solidos propter illam consuetudinem *non exigat, nec ab ipso pro temporali pœna requirat*; & hoc ex benigna mente Matris Ecclesiæ. sic Azor tom. 1. l. 7. c. 40. q. 6. Sanchez l. 1. decal. c. 12. n. 7. & alij.

Dixi *latis ab homine*. Nam ligari pœnis, & censuris *latis à jure communi*, si doli capaces sint, tenent complures cum Azor *cit. c. 41. q. 10.* Suarez tom. 5. de *Censur. D. 5. S. 1. n. 19.* cum alijs, fundantur in *c. super eo*; *c. quamvis*; *c. pueris, de sent. excommunic.* Castropalaus autem *cit. p. 24. q. 2. n. 9.* censet, non ligari pœnis, & censuris etiam *latis à jure*, exceptà solâ excommunicatione ipso jure latâ ob Clerici percussorem. Et hæc opinio videtur probabilior; quia cum versemur in materia pœnali, & odiosa, tenendum est, quod dicitur in *c. Pueris*, 1. de *delictis puerorum*, ubi habetur: *in pueris nondum puberibus delicta non ita, ut in majoribus, videri punienda*; item *c. Referente*, 2. & *fin. eod.* ubi *puer infra pubertatem*, propter commissum homicidium, etiam à temporali pœnâ liberatur jussu Alexandri III. *quoniam in pueris solet relinqui inultum, quod in alijs provecioris ætatis humana leges dicunt severius puniendum.*

Nec obstant citati in contrarium canones. Nam in *c. super eo*, solum dicitur, imuberem, qui Clericum percussit, ab Episcopo absolvi posse; *quia ætas illum excusat*; ubi gloss. V. *Excusat*, ait: *non ab excommunicatione* (quam incurri ab eo concedimus propter criminis gravitatem) *sed quoad hoc, quod non sit mittendus ad Curiam pro absolutione.* In *c. quamvis* solum dicitur, percussorem Clerici (propter hoc, quod percusso *satisfaciat*) non posse absolvi ab Episcopo, nisi in certis casibus ibidè expressis, quo casu (si labore impedimento temporali, quo minus Curiam pro absolutione accedat, jurare tenetur) *exceptis pueris* se, impedimento cessante, ad Sedem Apostolicam accessurum.

Dicitur: *exceptis pueris*; nam in *c. Pueris* 60. de *sent. excom.* habetur, *pueris, qui in canonem* (nimirum de percussione Clerici) *inciderunt sententia promulgata, si*

ve ante sive post pubertatem postulent se absolvi, posse Episcopū diocesānum absolutio- nis beneficium impertiri (non exigito illo juramento) quod propter defectum aetatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus. Ex his patet non ob- stare canones in contrarium adductos. Nam ex illis (collatis cum c. 1. & 2. de de- lectis puerorum, de quibus n. 566.) solum deducitur, impuberes propter delicta, in ea aetate commissa, excusari a pœnis, & censuris juris, exceptā solā excommunicatione, de qua in illis canonibus sermo est, imò etiam a pluribus aliis, quæ talis ex- communicatio incurfa post se trahit, quæ- le est onus accedendi Romanam sedem pro absolutione ab excommunicatione; vel juramento, cessante impubertate, ut dic- tum est.

## §. III.

Quâ ratione teneantur lege, seu statuto locali forenses, & peregrini?

579. **S**EX casus sunt, in quibus obligationem Sagnoscunt & communiter conveniunt Doctores in hac quæstione, ut notat Castropalaus p. 1. tr. 3. D. 1. p. 24. §. 3. pri- mus est, forenses teneri legibus locorum, cum accedit animò ibi figendi habitatio- nem; sic enim fit incola, & sortitur ibi forum, ratione habitationis, *L. domici- lium, ff. ad municipalem*. Secundus, iis- dem loci legibus teneri forenses, qui ve- niunt ad locum animò majore parte anni ibi commorandi; quia sic habent quasi do- micilium in tali loco. Hinc ratione quasi domicilij possunt in tali loco recipere om- nia Sacramenta (Ordine excepto, c. cum nullus, de temporibus ordinat. in 6.) Nam esto per hoc non consequantur domici- lium in tali loco; tamen propter quasi do- micilium (quod dicitur *assidua, & diutur- na habitatio*) conveniri possunt, ut dicitur *L. 2. C. ubi Senatores*, ibi: *& assidue versatur*; & *L. 2. C. ubi de crimine agi oportet, juncta gloss. V. elegit*. Et ideo talis ibi mortuus, ibidem sepulturam habet, nisi alibi elegerit, ut docet Molina de just. tr. 2. D. 214. Tertius est, quod forenses, & peregrini teneantur ad leges locales in celebratione contractuum, c. *Dilecti*, & c. *fin. de foro compet.* & *L. quod si nolit, §. quia assidua, de adilit. edict. L. si heres ab-*  
Tom. 1.

sens. §. si quis tutelas, ff. de judic. sed Tho- mas Sanchez tamen de matr. l. 3. D. 18. n. 10. & Suarez cum Salas excipit contra- ctum dotalem, volens debere in hoc atten- di locum, ubi Vir habet domicilium, pro- pter *L. exigere, ff. de judic.* ubi dicitur, *mulier debet* (intellige, *exigere*) *ubi ma- ritus habet domicilium, non ubi instru- mentum dotale scriptum est*: at exceptio- nem negat Castropalaus cit. §. 3. n. 4. quia aliud est, *dotis exactionem*, ac repetitio- nem fieri debere in loco, ubi Vir domici- lium habet, quia bona Viri obligata sunt do- ti solvendæ; aliud *contractum de dote* de- bere celebrari juxta leges loci, ubi Vir do- micilium habet. Primum dicitur in *c. L. exigere*; at non secundum. Quartus est, peregrinum teneri legibus loci, quæ tran- sit, si tales etiam sint in loco sui domicilij secundum habitationem; quia sic non plus gravatur, quàm si esset domi. Sanchez de matr. l. 3. D. 18. n. 3. & 24. Quintus, peregrinum teneri legibus loci, latis ob commune bonum illius loci, v. g. ne advena ultra certos dies ibi moretur &c. Sanchez l. 1. in decal. c. 12. n. 36. alias enim ejus in- quilini non haberent justam, ac sibi debi- tam defensionem: sed quoad hoc non æ- què Doctores conveniunt, ut patebit ex seqq. Sextus, peregrinum teneri legi- bus communibus in loco, ubi vigent; esto in loco sui domicilij non sint in vigore ob consuetudinem contrariam; ita Suarez tom. 1. de Relig. l. 2. c. 14. n. 17. & 28. quia sic subest Legislatori, & consuetudo con- traria illi solum favet favore locali, scilicet cet sui oppidi, vel civitatis; cum non egredi- atur territorium: his præmissis:

Quæstio est, an forenses, & peregrini, 571. extra prædictos sex casus, teneantur statu- tis, & municipali lege locorum, per quæ transeunt affirmativam sequitur Castropalaus tr. 3. D. 1. p. 24. §. 3. n. 11. exten- dens opinionem suam etiam ad vim coa- ctivam, eò quod hoc pertineat ad pacem, & tranquillitatem communem talis loci; fatetur tamen etiam esse probabilem neg- ativam, quam tenet Sanchez l. 3. ma- trimonij, D. 18. n. 6. Lessius l. 4. de just. c. 2. dub. 7. n. 49. & plurimi alij. Ratio negantium fundatur potissimum in eo, quod lege locali, seu municipali non li- getur nisi subditus; peregrinus autem, & forensis, solum transiens, aut modicum dunta-

duntaxat sistens in loco aliquo, non est subditus illius loci; subditus enim non est nisi ratione originis, domicilij, contractus, vel delicti; ergo. Hæc ratio omnino probabilem reddit negantium opinionem, in quantum universaliter negat eam obligationem, seu in quantum loquitur de omnibus legibus localibus; quæ confirmatur in seqq.

572. Sed contra hoc instat sententia affirmantium ex eo, quod sic sequeretur, peregrinos, & forenses nec obligandos locali lege, latâ propter commune bonum talis loci. Nam etiam in dato casu dici posset, forenses, vel peregrinum non esse subditum origine, domicilij, contractu, delicto: & tamen in hoc casu eum tæneri concedunt, ut dictum est n. 570. Et ideo Castropal. cit. n. 13. censet, viatores obligari legibus municipalibus, quæ transeunt, non solum quoad vim directivam, seu culpam; sed etiam coactivam, & pœnalem. Nam si subduntur legi municipalis quoad vim directivam, transgrediendõ, seu non servandõ eã, delinquant; & sic ratione delicti etiam fortiuntur forum, quoad pœnam.

573. Posset tamen à negantibus responderi, aliud esse bonum commune *generaliter*; aliud *specialiter*, nimirum specialis communitatis, & loci, quæ talis, conservationi necessarium; & in ordine ad hoc, non ad illud, quemlibet à natura subijci legibus, illud speciale bonum directè quærentibus. Nam unius loci conservatio præ altero potest indigere; ne hoc, aut illud fiat, v. g. ne inducantur tales mores, merces &c. unde omnino rectæ rationi consonum est, omnes, qui eò veniunt, naturali jure exigente, Præsidibus subijci, quibus per leges locales, *bonum speciale loci*, respicientes, eam communitatem gubernare datum est.

574. Dices: potest aliqua provincia, vel civitas ferre leges pro solis advenis, & peregrinis; ergo datur in republica potestas ad hanc obligationem inducendam; ant. pat. quia alias non posset se republica incolumem, ac indemnem servare; sic Abbas, & Hostiensis in *c. à nobis, elig. 1. de sent. excom.* Resp. ex hac, & priori ratione in n. 572. sententiam affirmantium omnino reddi valde probabilem; à negantibus autem eam doctrinam, indefinitè affirmantem, rectè antecedens distingui pos-

se, dicendõ: illud procedere, quando illæ leges latae sunt *ob bonum speciale talis loci*; non *generale*, ut supra dictum est. Nam per hoc sufficienter provifum est defensionis, & conservationis talis loci.

Negantium opinio confirmari potest ex *c. à nobis, elig. 1. de sent. excom.* ubi Pontifex interrogatus, *an forenses comprehenderentur in excommunicatione, lata ab Episcopo pro futuris delictis?* respondit, *solos subditos comprehendi.* Ex hac enim Pontificia resolutione rectè colligitur, dicecesanorum legibus non comprehendi forenses, & peregrinos, seu viatores; cum ad hanc quæstionem: *an, ubi Episcopus sic pronuntiaverit (qui furtum fecerit, excommunicatus sit) hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur? an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de jurisdictione illius?* expressè responderit: *non nisi subditi ligantur.*

Dices 1. hoc solum procedere, quando Episcopus statuit excommunicationem, *per sententiam*; non autem, quando *per statutum*; id, quod tenet Suarez l. 3. de legibus, c. 33. à n. 9. dicens, forenses, & peregrinos omnino esse exclusos, seu non comprehensos in sententiis, & præceptis Superiorum localium (nam hæc afficiunt personas) secus in *statutis*, quia hæc afficiunt personam ratione loci subijci statuenti. Verum, si peregrini, & forenses possunt à supremo Domino alicujus loci ligari illius localibus statutis; poterunt etiam ligari non modò generalibus, sed etiam specialibus sententiis, & præceptis. Utrique enim casui communis est ratio antecedentis in eo sita, quod speciale bonum talis loci requirat etiam viatores, & forenses conformari cum reliquis de republica. Sic Castropal. cit. n. 15.

Deinde negari potest, responsum Pontificis in *c. à nobis* procedere solum de *præceptis*; non *statutis*, ut exponit P. Suarez cit. Nam responsio negativè data est ad quæsitum indefinitè, *an ejusmodi pronuntiatio Episcopi, ligentur tantum subditi*, vel etiam illi, *qui non sunt de jurisdictione illius?* pronuntiatum enim comprehendit non tantum *præcepta*, sed etiam *leges, & statuta.* Confirmari potest ex eo, quia *c. à nobis*, eodem modo procedit in hac quæstione de pronuntiato Episcopi, quo *c. ut animarum, de Constitut. in 6.* sed hoc

575

576

577

hoc etiam comprehendit statuta, & leges; ergo & illud; ita Salas hic *D. 14. S. 4. n. 44.* & alij.

578. Dices 2. licet Pontifex in *cit. c. à nobis*, expresse non dixerit, ibi advenas comprehendendi; non tamen illos exclusit, sed quaestionem indecisam reliquit, ut locus daretur opinionibus; ergo ex illo textu non rectè probatur, advenas, peregrinos, & forenses non ligari localibus statutis; sic Castropalaus *cit. n. 15.* sed, nego antecedens. Nam Pontifex expresse respondit *negativè* ad quaestionem: *an eo Episcopi pronuntiato ligentur etiam illi, qui non sunt de jurisdictione talis Episcopi;* & affirmavit de solis subditis ejus.

579. Dices 3. S. Augustinus relatus in *c. quæ contra, dist. 8.* ait: quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate sunt vitanda, ut pactum inter se gentis, aut civitatis, consuetudine, vel lege firmatum, nullà civis, aut peregrini libidine violetur; turpis enim est omnis pars universo suo non conveniens; ergo peregrini, etiam ex mente S. Doctoris, ligantur legibus loci. Resp. ex *n. 69.* D. Augustinum non condidisse legem; ejus tamen opinionem (ne contradicat Summi Pontificis decisioni in *cit. c. à nobis*, de quo *n. 552.*) quoad peregrinos rectè intelligi de obligatione statuti propter speciale bonum talis loci; non autem generale, ut diximus *num. 573.* & quoad hoc satisfieri, dicendò, esse obligationem decentiæ, & honestatis, vel etiam procedere de lege locali in materia jure naturali, divino, vel communi aliàs debità.

580. Ad extremum nota, ex hoc, quòd admittatur, viatores subjici statutis loci, quà transeunt, non rectè inferri, delinquentes in suo oppido, si aliò veniunt, posse ibi puniri. Nam etiam admittà sententià affirmante, Viatores obstringi legibus loci, quà transeunt, solum sequitur, eos subjici Judici loci, quà transeunt, in his, quæ ad rectam illius Reipublicæ gubernationem pertinent; ad quod nihil confert delictum alibi commissum. Unde in hac opinione viatorum obligatio ad leges locales est solum indirecta, quatenus ea Respublica pro conservatione sua petit inibi sistentes, aut transeuntes, pro tempore suæ moræ, cæteris conformari; sic Farinacius in *praxi l. 1. q. 7. Tom. I.*

*à n. 6.* quid autem tenendum de contrahendis vagorum matrimonijs, constabit ex *lib. 4.* quibus addo, quòd, si loci Parochus assistat matrimonio vagorum, non præmissà debità diligentia, & licentià Ordinarij, graviter peccet, matrimonium tamen valeat; sic Barbof. in *Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 7. n. 4.* & apud eundem Sanchez, Pontius, & complures alij.

581. Quæres, an forenses, peregrini, & viatores gaudeant privilegijs locorum, quà transeant? Resp. notandum, quædam esse privilegia præcisè in favorem *incolarum*; quædam autem sita solum in exemptione à jure communi, v. g. quòd in tali loco celebretur festum aliquod ritu duplici, quòd alibi, vel solum sub simplici, vel nullo modo; quòd tali die in ejusmodi loco non sit festum fori, jejunium &c. Non gaudere privilegijs primi generis ex eo dici possèt, quia *viatores* non sunt *incole* talis loci. Dicit tamen possèt, etiam gaudere, saltem dum ibi sunt; si enim juxta probabilem sententiam, dum ibi sunt, ligantur legibus locorum, ut sic inquilinis conformentur, æquum est, ut fruantur favoribus; cum justum omnino sit, ut sentiat & commodum, qui sentit onus; & ex hac ratione à fortiori sequitur eos gaudere privilegijs secundi generis, nisi expresse restricta sint ad certum duntaxat populum, vel communitatem; ita sentire videtur Castropalaus *cit. p. 24. §. 5. n. 2.* cum Suarez, Sanchez, Salas, Bonacina, & alijs ibidem relatis.

582. Si quæras, qua ratione legibus teneantur vagi? Resp. *vagos censeri*, qui nullibi habent certam sedem. Hinc qui habens alicubi domicilium, inde abit animò nunquam redeundi, nec alibi, saltem majori parte anni habitandi, vagabundus est; ita Sanchez *l. 3. matrim. c. 25. n. 1.* &c. quo posito: Resp. quamvis Lessius *l. 4. c. 2. d. 7. n. 49.* & alij censeant, de his idem tenendum esse, quòd dictum est de peregrinis, nimirum non obstringi legibus municipalibus locorum, per quæ transeunt: probabilius tamen, illos teneri legibus loci, ubi actu sunt, & quamdiu ibi sunt, censeri à Castropalao *cit. p. 24. §. 4. n. 3.* Aliàs enim essent exempti ab omnibus legibus particularibus, quòd rectè ipsorum gubernationi repugnat; sic etiam Suarez *D. 14. de legibus, f. 4. n. 55.* & communis. Hæc tamen

tamen ratio non evertit probabilitatem sententiæ oppositæ. 1. quia per hoc non eximuntur à jure naturali, & divino, nec à jure comuni Ecclesiastico; imò nec à principali locorum, quæ transeunt, quod respicit *speciale bonum* talis Reipublicæ.

583. Dubium est, an vagus in loco, per quem transit, puniri possit de delicto alibi commissio; affirmativam tenet gloss. in *L. i. c. ubi de criminibus agi*; quam esse communiter receptam affirmat Farinacius in praxi *l. 1. q. 7. n. 13*. Alij rectius distinguunt, & dicunt, posse, *in defectu judicis loci, ubi deliquit*; secus, *cum ab hoc sibi remitti petitur*. Ratio primæ partis; quia judicis loci, quæ transit vagus, non est subditus in punitione delictorum alibi commissorum; cum hæc tendat, ut ex punitione fiat alijs exemplum, & dati scandali reparatio; quod, ubi deficit Judex loci, in quo peccatum est, ne crimina maneant omnino impunita, justè tribuitur Judicis alterius loci. Ratio secundæ parris est; quia ratione delicti factus est subditus loci, in quo deliquit; ergo hic *justè* illum exigit sibi reddi; consequenter Judex alterius loci, in quo non deliquit, tenetur eum *justè petenti* reddere; cum hæc sint correlativa justè, seu *jure petere*, ac *jure debere*; sic Decius in *tract. crimin. tom. 1. l. 4. c. 13. à n. 17*. Julius Clarus *l. 5. recept. sentent. in pract. crimin. q. 39. n. 7*. Azor *p. 1. l. 5. c. 11. q. 3*. quod procedit, si ve ambo Judices sint sub eodem, si ve sub diverso Principe; cum ratio militet pro utroque casu; sic Castropal. *cit. n. 5*.

#### §. IV.

*An lex, vel statutum obliget existentem extra territorium Legislatoris?*

584. Communis regula est negativa; fundatur in eo, quod *extra territorium jus dicenti non pareatur impunè*, juxta *c. 2. §. statuta, de Constit. in 6*. Et ideo, qui non paret, non incurrit pœnam legis. Non enim potest jurisdictionem exercere ultra limites suæ potestatis, *L. ult. ff. de jurisdict. omn. Judic.* & statuta non feruntur in personas absolutè, sed dependenter à territorio. *L. omnes populi, ff. de just. & jure*. Hinc subditus, etiam extra territorium temper *manet subditus ad obediendum*, sed *intra territorium*, non extra.

Hæc tamen regula declaratione indiget, ut rectè procedat. Primò enim non venit intelligenda pro casu, quo subditus, existens extra territorium, delinquit intra territorium; ut si existens foris, jaculetur in alium existentem intra territorium, & hic occidatur.

Verùm circa hanc declarationem advertendū est 1. cum Suar. *l. 3. de legibus, c. 22. n. 8. & de censur. D. 5. f. 4. n. 9*. illam posse adhiberi statuto vel *affirmativo*, nimirum exigendi positionem alicujus actus; vel *negativo*, nimirum exigendi omissionem alicujus actus. Advertendum 2. in hac materia maximè attendendum, *ubi delictum contra statutum censetur fieri?* si sit contra statutum positivum, seu affirmativum, ibi censetur committi delictum, per omissionem, ubi ex obligatione ponendus erat actus; sic si detur statutum exigens Titij præsentiam in territorio A v. g. triduo Pascatis; ubicunque sit Titius, dum eo tempore abest à territorio, delictum censetur fieri in ipso territorio; quia intra hoc tali tempore illius præsentia in loco exigebatur statuto.

Si autem sit statutum negativum, distinguendum est inter pœnas. Nam si transgressoribus imponat *censuram*, ibi censetur delictum committi contra tale statutum, ubi delictum consumatur, esto alibi sit inchoatum; nisi etiam censuram statuat delicto solum attentato; cujus ratio est ex *L. qui non facit ff. de reg. juris*, ibi: *qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ non facit*; & colligitur ex *c. tuæ 11. de Cleric. non resident.* si autem imponat alias pœnas temporales, quoad has delictum committi censetur, & *ubi inchoatum, & ubi consummatum est*; hinc si quis in uno territorio delictum inchoet, & in alio consummet, ratione delicti sortitur forum in utroque loco, & puniri potest; *L. i. c. ubi de crimine agi oportet*, ibi: *ubi commissæ, vel inchoata sunt*.

Secundò non venit intelligenda dicta regula pro casu, si statutum violetur ab existente extra territorium, quando directè respicit rem in territorio sita (v. g. *ne frumentum distrahatur extra territorium*, vel *quovis anno conveniat ad synodum*) vel ipsius territorij speciale commodum; v. g. si sub pœna censuræ prohibeat mercatorem exerceri extra territorium; quia tunc inju-

injuria fit ipsi loco, seu municipio, quæ utique est intra territorium &c. ita Suarez cit. f. 5. n. 17. Præter hæc notandum, quod diximus de statuto afficiente personas ratione loci (nam in hoc lex localis, seu statutum consistit, in quantum differt à præcepto) non posse intelligi de præcepto; quia hoc afficit personas secundum se, & independenter à loco, adeoque illas ligat, ubicunque existant: præceptum autem est constitutio tantum ad singulares personas, quo differt à mandato, quod etiam ad communitatem pertinet. Streinius in *prolegom. Juris Can. §. 2. in fine.*

588. Not. 2. quod dictum est de præcepto, intelligi quoque de sententia Judicis, etiam generaliter lata, v. g. *si quis non restituat intra mensem, sit ipso facto excommunicatus*. Hæc enim fieri potest directè in personas, sine respectu ad locum; consequenter ligat etiam absentes, c. *cùm sit, de appellat.* Ut autem subditus dicatur deliquisse non in territorio, & sic evitet pœnas sui statuti localis, requiritur, quod & ipse, & actio mala etiam quoad effectum, & res, circa quam versatur, sit extra territorium, ut cum comuni tenet Suarez tom. 5. in 3. p. D. 5. à f. 4. & l. 3. de leg. c. 32. aliique. Aliàs enim, si vel delinquens, vel delictum etiam quoad effectum, vel res, circa quam delinquitur, sit in territorio, & Judex hujus loci punire non posset, non haberet plenam potestatem præcavendi sibi noxia.

589. Dices: si ad hoc, ut quis dicatur deliquisse in territorio, sufficiat, quod ipsi territorio fiat injuria, etiam si ipse foris sit, imò & actio prava; nulla lex erit, quæ non obliget subditos existentes extra territorium; probatur: nam, cum quælibet lex respiciat commune bonum, de violante illam (licet existat extra territorium) dici potest, quod damnum, vel injuriam suæ communitati, seu municipio faciat; ergo sic quælibet lex ligabit existentem extra locum Legislatoris. Sed hæc sequela est contra apertam decisionem c. *ut animarum, de constitut. in 6.* ubi dicitur *impunè non pareri*, seu *obediturus dicenti extra territorium*. Et quamvis aliqui cum Bartolo in L. 1. C. de Summa Trinit. à n. 45. hoc limitent pro casu, quo Legislator non exprimit, *se velle legem à suis observari etiam extra territorium*; rectius tamen dicitur, id etiam procedere, licet ex-

primeret; quia jurisdictio ejus definitur limitibus sui territorij, nec ultra porrigitur. Sic Covarruv. in c. *alma mater*, p. 1 §. 10. n. 3. Suarez l. 3. de leg. c. 32. n. 4. &c.

Ante responsonem not. dupliciter actionem aliquam, in alieno territorio exercitam, cedere in damnum, vel injuriam territorij, cujus statuti prohibetur. 1. specialiter. 2. generaliter. *Generaliter* cedit in damnum, vel injuriam territorij eam statuto prohibentis, quando non magis cedit in damnum hujus territorij prohibentis, quàm cujuscunque alterius; cujusmodi sunt furta, homicidia, stupra &c. quæ scilicet in qualibet Republica prohibentur, & justitiam legalem, seu generalem lædunt, nimirum tanquam ubique noxia communi bono: *specialiter* autem, quando lædunt speciale bonum talis municipij statuto quæsitum, ut sunt, frumentum extra territorium non divendere, exteris arma non vendere &c. sic Castropal. p. 1. tr. 3. D. 1. P. 24. §. 5. n. 18. quibus positus: Resp. ad object. in n. 589. ex hoc, quod dicamus sufficere, ut etiam extra territorium existens, & actionem pravam ponens, dicatur intra territorium delinquere, & cadat in pœnam statuti eam prohibentis, *si specialiter cedat in damnum, vel injuriam territorij, quod tale statutum condidit*, nullatenus rectè inferri, omnem legem localem ligare etiam extra territorium; quia non omnis transgressio cujuslibet statuti cedit *specialiter* in damnum vel injuriam illius communitatis; sed sæpè tantum *generaliter*. Quare neganda est sequela sub data distinctione.

§. V.

*An lex, vel statutum obliget existentes in loco exempto?*

590. PRO resolut. suppon. 1. ex P. Suarez l. 4. contra errores Angl. c. 1. exemptionem, seu *immunitatem* in genere sic describi: quod sit *privilegium, quo res aliqua, vel persona, à communi aliqua obligatione, seu onere eximitur*, ut habetur L. *munus*, 18. ff. de verb. signif. & ex parte subjeçti triplex est, nempe *immunitas locorum, personarum, & bonorum*. Ex quo facile deduces, quid veniat nomine *immunitatis*, seu libertatis (hæc enim idem sunt

sunt) *Ecclesiastica*. Suppon. 2. *exemptionem*, quamvis immunitatem, & libertatem importet, videri tamen magis esse facti, quam juris; & potius effectum privilegij, quam ipsum privilegium significare; sic Peregra in *Elucidar. n. 847*. Suppon. 3. quod, quamvis exemptio (teste Suarez *cit.*) concessa *Ecclesie, bonis, vel personis Ecclesiasticis*, quæ talibus in genere, ita spectet ad immunitatem Ecclesiasticam, ut violator illius, hujus etiam violator sit; non cenferi tamen violatorem immunitatis Ecclesiasticæ, qui violat privilegium *particulare* datum tali Ecclesie, ex peculiari ipsius consideratione. Suppon. 4. exemptionem aliam esse *personalem*, aliam *localem*. Personalis est, quando certæ personæ vel communitates *ratione sui, non ratione loci, eximuntur à jurisdictione alicujus*. Localis, quando locus *ratione sui, & non ratione personarum in ea commorantium* eximitur à jurisdictione alicujus.

592. Hinc ubi solus locus est exemptus à jurisdictione v. g. Episcopi, personæ in eo commorantes possunt interdici ab Episcopo, quoad divina officia in loco non exempto; quia personæ, ut ponit casus, non sunt exemptæ ratione sui; sed tantum per accidens ratione loci exempti, ut, dum in eo sunt, liberè divina celebrare possint, ut colligitur ex *c. per exemptionem, de privileg. in 6. & c. cum capella, de privileg.* Unde, si exempta sit sola capella, non censentur exempti Capellani, nisi quatenus exercent officium in tali Capella; ita Sylv. *V. exemptio, q. 2.* ratio est eadem; quia cum ponatur solus locus exemptus, non personæ ratione sui, exemptio illis alia in præsentem non favet, nisi loci. Dupliciter autem aliquis locus potest esse exemptus. 1. plenè, seu plenissimè, quando scilicet non tantum ipse ratione sui, sed etiam ratione populi, seu pertinentium ad illum exemptus est à jurisdictione v. g. Ordinarij; quando autem vel populum non habet, vel populus ejus ab Ordinario exemptus non est, non dicitur exemptus plenè, seu plenissimè. Sic Layman *c. ut animarum, de Constitut. in 6. n. 5.* his præmissis:

593. Quæstio est, an subditi alicujus territorij, agentes aliquid in loco exempto, quod prohibitum est statuto loci, intra quem solum materialiter existit talis locus, fiat reus culpæ, ac poenæ à tali statuto transgresso-

ribus statuta? consequenter, *an statuta ligent subditos statuentis, existentes in loco exempto?* Layman in *cit. c. ut animarum, n. 5.* cenfer, non ligari, si existant in loco *perfectè & plenè, seu plenissimè exempto*; secus, si talis non sit. Illum enim, non istum æquiparari loco extra diocesim. Primam partem ait sumi ex *c. Episcopus 7. de offic. Ordinar. in 6.* ubi dicitur, *non esse dubium, quin Episcopus quolibet loco ipsius diocesis, non exempto, per se, vel per alium possit pro tribunali sedere.* Ex quo per sensum contrarium colligitur, id eum non posse *in loco exempto*, saltem plenè, ac plenissimè. Secundam autem ex hoc, quod privilegium exemptionis, in quantum præjudicat ordinariæ Episcoporum jurisdictioni, strictam habeat interpretationem; nec ad casum non expressum extendi debeat; cæteroquin daturum occasionem delinquendi, nec parum turbandi diocesanam Episcoporum jurisdictionem. Hanc etiam sententiam tenet Castropal. *cit. q. 5. in fine pro eadem citans P. Suarez de censuris D. 5. s. 4. n. 10. Salas de legibus D. 14. s. 6. n. 85.* Et ideo citatus Author *ibid.* docet 1. *loca exempta*, esse illa; in quibus Judex territorij exercere jurisdictionem non potest, sed incolæ jurisdictioni alterius subduntur. 2. Monasteria Monialium, & conventus Religiosorum, in quibus sui superiores jurisdictionem quasi Episcopalem non habent, nullo modo reputari exempta per se, ac ratione sui; sed tantum ratione personarum ibi degentium. Hinc infert, subditos territorij illuc accedentes ligari præceptis, & statutis latis pro suo territorio.

In hac quæstione videtur illud probabilius dici, quod existentes *in loco exempto per se, ac ratione sui*, non ligentur statutis localibus territorij, intra quod ejusmodi exemptus locus est, sicut non ligantur existentes in loco alieno. Nam exemptio de se reddit exemptum, *non subditum, seu subjectum illi*, à cujus jurisdictione eximit in his, in quibus eum eximit; ergo exemptio, quæ locum afficit *per se*; ac *ratione sui*, reddit eum non subjectum illi, à cujus jurisdictione eximit, nimirum in his; in quibus illum eximit; at sic in his ad jurisdictionem illius se habet talis locus exemptus, sicut territorium alienum; ergo existens in loco taliter exempto perinde



de se habet, ac existens in territorio alieno; ergo existens in loco per se, ac ratione sui exempto non aliter ligatur statutis localibus, ac existens in territorio alieno. Locus enim per se, ac ratione sui exemptus in jure æquiparatur loco extra diocesim, & territorio alieno; sic Joan. Andreas, & Udalr. Zasius in *L. ult. ff. de jurisdic. omn. Jud. col. 3. apud Laymann cit. in c. ut animarum, de constitut. in 6. n. 5. universim* docentes, locū exemptum æquiparari loco extra diocesim; id, quod nos hic asseruimus solum de loco exempto *per se, ac ratione sui*, seu gaudente vera exemptione locali.

595. Quamvis autem Episcopus intentionem jurisdictionis sibi competentis ex jure communi habeat fundatam erga omnia loca, & personas intra diocesim consistentes, adeo, ut si exemptio aliqua prætendatur, ea ostendi, probarique debeat, ut colligitur ex *c. cum Episcopus, 7. de offic. Jud. ordin. & c. cum personæ, 7. de privileg. in 6.* id tamen fallit in loco *per se, ac ratione sui exempto*, quod attinet ad excludendam Episcopi jurisdictionem in his, per ordinem ad ea omnia, ad quæ illi exemptio favet, ita Layman in *cit. c. cum Episcopus, n. 2.* indefinite ibi loquens de loco exempto. Hinc diversa sunt hæc duo, *esse in, vel intra diocesim materialiter, & physicè*, materiali nimirum situatione loci intra fines illius; & *esse in, seu intra diocesim formaliter, seu juridicè*, nimirum quoad jurisdictionem Ordinarij se porrigentis etiam ad talem locum. Unde locus per se, ac ratione sui exemptus à jurisdictione Episcopi, etsi sit *in* ejus diocesi, nimirum solum materialiter; non est tamen *de* diocesi formaliter, seu juridicè, ac quoad jurisdictionem.

596. Not. præterea, significari exemptionem *personalem*, si Pontifex in privilegio exemptionis dato personis, quæ sunt de tali Ecclesia, Collegio, vel monasterio, dicat: *immediatè nobis subjicimus, vel, eximimus à jurisdictione Ordinariorum*, aut, *recipimus eos in proprios subditos, c. ex parte, elig. 2. V. recipimus, de privileg.* non autem per hoc, quòd dicat: *suscipimus eos sub nostra, & sedis Apostolicæ protectione*; nec per hoc: *recipimus eos in proprios filios*, ut notat Sanchez *l. Consil. c. 9. d. 1. n. 4. ex cit. c. ex parte*; & *c. 1. de verb. signific. c. si Papa, 10. de privil. in 6.* Simili-

ter censetur eximere locum, si dicat in privilegio exemptionis, vel sententia: *super ea Ecclesiam juris B. Petri existere*; sive, *eum ad jus, & proprietatem Romana Ecclesia pertinere*, vel, *quòd Ecclesia sit libera*, vel, *Ecclesia Romana libertate fruatur*, vel, *quòd Episcopus non audeat Cathedram ibi collocare*, vel *imperium, aut potestatem exercere*, vel, *quòd eam eximat, ut libera sit à potestate Episcopi*; ita Sylvest. Angel. Tabien. D. Antonin. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *loc. cit.* Not. 2. valde probabile esse, ut locus (Collegium, vel Monasterium v. g.) dicatur ratione sui, ac per se exemptus ab alicujus jurisdictione, sufficere, quòd is nullam jurisdictionem *ordinariam* exercere possit in talè locum, ac incolas ejus. Nam sic locus ille, & ratione sui, & ratione incolarum jurisdictioni ejus *ordinaria* subtractus, seu nullatenus subjectus est; cum tota ratio, propter quam Ecclesia dicitur, *etiam localiter exempta à jurisdictione Ordinarij*, sit, quòd *nec in eam, nec in ejus populum*, aut indiget, ullam jurisdictionem *ordinariam* exercere possit. Et sic videntur sentire Joannes Andreas, & Zasius, de quibus dixi *n. 543.*

Not. 3. Societatem nostram, & universos illius Socios, & personas, illorumque bona quæcunque, ab omni superioritate, jurisdictione, & ab omni correctione, quorumcunque Ordinariorum, à Paulo III. exemptos esse, ut notat Sanchez *l. 6. Consil. c. 9. D. 1. n. 11.* & declarat Greg. XIII. in Bulla: *ascendente Domino*, homines Societatis dicens Sedi Apostolicæ *immediatè subjectos, & à quorumvis Ordinariorum, & Delegatorum, seu aliorum Judicum jurisdictione omnino exemptos*, addensque: *prout nos etiam vigore presentium eximimus.* Idem habetur in ejusdem Gregorij XIII. constitutione: *satis, superque*, ibi: *nonnulli Romani Pontifices, prædecessores nostri, dictam societatem, à primævæ ejus erectione, illiusque personas, & bona quæcunque, à quorumvis Ordinariorum visitatione, jurisdictione, correctione, superioritate exemerunt, & sub sedis Apostolicæ protectione susceperunt*; ut illa Romano Pontifici pro tempore existenti *immediatè subjecta esse noscatur*: & subjungit: *quare nos dictam exemptionem illi confirmamus, &c.* Ex his autem habetur, Societatem nostram gaudere privilegio exemptionis

597.

onis

onis non tantum *personalis*, sed etiam *localis* à jurisdictione quorumcunque Ordinariorum, ut rectè notat Sanchez cit. n. 11. *in fine*; quia *ipsa*, hoc est, omnes, & singulæ personæ, ac bona, seu res ejus *immediatè subjecta sunt Romana Sedi*, ut liquet ex dictis; si enim ejus domus, & Ecclesiæ solum ratione personarum exempta forent, exemptio non esset *localis*; & res ejus, ac bona, non bene dicerentur exempta *simpliciter*; sed cum addito: *ratione personarum*; cujus contrarium constat ex allato textu.

598. Dices 1. si ejusmodi domus per se haberent exemptionem, & non ratione personarum, manerent exemptæ etiam, ubi deferuntur à talibus personis; hoc autem dici non potest. Resp. distinguendò, & dico, quòd etiam in dato casu manerent exemptæ, si solum physicè, non autem, si etiam juridicè deferuntur ab illis. Nam si juridicè deferunt, censentur renunciare privilegio ipsi loco concessò in ipsorum favorem. Ex his sequitur, subditos alicujus territorij, existentes in territorio gaudente locali exemptione, non aliter teneri legibus statuentis aliquid pro suo territorio, quàm teneantur subditi existentes in territorio alieno; ratio est ex n. 591. qualiter autem subditi ligentur statutis localibus, dum existunt in alieno territorio, constat ex dictis à n. 584.

599. Dices 2. subditi existentes in alieno territorio, ligantur præceptis, & sententijs ejus, sub cujus jurisdictione sunt; ergo etiam statutis localibus; ergo idem in utroque casu dicendum quoad existentes in territorio gaudente exemptione locali, seu per se exempto; patet hæc consequ. ex ipsa doctrina nostra in *preced. num.* Primam consequ. probat Castropalaus p. 1. tr. 3. D. 1. p. 24. §. 5. n. 21. eam omnino defendens, paritate sumpta à præceptis ad statuta, sic opponens: qui sententiam, & præceptum generale imponit, *jus dicit*, sicuti cum legem imponit; ergo si per præceptum dicere potest jus in existentes in alieno territorio, jus etiam in eodem dicere poterit per legem, & statutum. Nec enim valet dicere legem adstringi territorio; secus verò præceptum: utrumque enim tam *generale præceptum, quàm lex, & statutum ob commune bonum fertur.*

600. Confirmari potest ex eo, quòd nullum

hinc sequatur inconveniens, esto existentes extra territorium ligentur *statutis* potius, quàm *præceptis*. Nec enim ex hoc specialiter labefactatur jurisdictione Judicis, in cujus territorio delinquens existit: siquidem in ejus territorio, & ditione Legislator nullum exercet actum jurisdictionis *contentiosa*; nec enim ibi citat reum, nec capit, nec punit punitione supponente delictum, quæ præcepto imponi non possit. Nam esto dicatur: *jurisdictionem contentiosam esse, quæ in invitum exercetur*, ut habetur L. 2. ff. de offic. Proconsul. & *semper censeri, invitum sustinere obligationem legis impostam*: non propterea quis dicitur exercere jurisdictionem contentiosam in alieno territorio, quòd subditum existentem in alieno territorio *sua lege obliget*; sed requiritur præterea, quòd interveniant testes, citatio, aut aliæ juris solemnitates, quòd non fit præcisè obligandò subditum existentem extra territorium; aliud enim est, *legem imponere*; aliud, *lege obligare*. Unde quamvis Legislator, extra territorium, *legem ferre* non possit (cum ea, quæ ad legis impositionem necessaria sunt, extra territorium, exercere nullatenus possit, ut legem promulgare, &c.) effectus tamen legis, nimirum *obligatio* extra territorium, esse potest; cum afficiat insensibiliter personas. Ex his demum infert citatus Author n. 22. *in omnibus illis casibus, in quibus præceptum generale imponi potest subditis, extra territorium existentibus, etiam imponi posse legem*: & e contra, *in quibus statutum ferri non possit adversus extra territorium delinquentes, neque præceptum posse ferri.*

Verum hæc paritas à *præceptis* (quibus ligari possunt subditi etiam extra territorium sui Judicis, vel Legislatoris existentes) *ad idem statuendum* de legibus, ac statutis ejus, non videtur tenere universaliter, sicut docet Castropalaus *cit.* Quare ad object. in n. 599. N. consequ. ad hujus prob. R. 1. N. ant. Nam, ut fatetur ipse Castropalaus *cit. n. 22.* qui præceptum imponit, *jus dicit* jurisdictione solum *voluntaria*, nimirum jurisdictione juris pendente à sola voluntate obligantis; qui autem legem, jurisdictione *contentiosa*, jus dicit, jurisdictione (ut ipse ait) pendente à solemnitatibus juris; ergo non habet se unum, *sicut* alterum. Deinde R. 2. cum distinctione: qui

*præ-*

præceptum imponit, jus dicit *directè* intendendo *bonum duntaxat particulare* ejus, aut eorum secundum se, quibus præcipit, C. *directè* intendendo *bonum communitatis in tali loco, quò talis*, N. Contrarium autem habet, qui jus dicit, imponendo *legem, vel statutum*; ergo rursus fallit ly *sicut*; hinc. N. *conseq.* Ad ejus prob. in *n. cit.* distinguo id, quod assumitur: utrumque (nimirum *præceptum generale, & lex, seu statutum locale*) fertur ob *commune bonum*, eodem modo, N. diverso, C. *Præceptum generale* non intendit *directè* bonum commune, in quantum est *bonum Communitatis*, quò talis; sed bonum commune, in quantum est bonum singulorum de Communitate. Nam in hoc differunt potestas *præcipiendi*, & potestas *condendi legem, vel statuendi*. Contrarium habet *lex, & statutum*, atque ex hac causa apparet, quare potestas *condendi legem, seu statutum* definitur limitibus solius territorij; non autem potestas *præcipiendi*. Cùm enim jus jurisdictionis in eo differat à jure proprietatis, quòd illud *directè* respiciat bonum subditorum; & aliud sit *bonum particulare singulorum*; aliud *communitatis, in quantum communitas est, quin directè respiciat singulos, quò tales*, necesse quoque est, quòd jurisdictio, in quantum distincta à jure proprietatis, alia sit, quæ *directè* respiciat bonum particulare, quò tale; alia, quæ *directè* bonum communitatis, quò talis: cùm ergo potestas *præcipiendi* *directè* tendat ad bonum particulare, quò tale; *statuendi*, ad bonum communitatis quò talis; & bonum particulare singulorum consideretur *ratione personæ*, quò talis non affixæ loco; bonum communitatis quò talis in ordine *ad communitatem talis territorij*, rectè sequitur, potestatem *præcipiendi* non considerari, aut defini limitibus territorij; secus potestatem *statuendi*.

602. Ad confirmat in *n. 600.* rectè negatur, *nullum sequi inconveniens*. Nam sic non verificaretur decisio capituli *ut animarum*, citra culpam, & pœnam posse non pareri statutis Ordinariorum ab existentibus extra territorium; hoc autem est inconveniens. Unde, esto non sequeretur inconveniens ex eo, quòd per hoc non labefactetur jurisdictio alieni

Tom. I.

Judicis; satis tamen inconveniens est potestatem *statuendi* ultra suos terminos extendi à sola paritate potestatis *præcipiendi*, non fundata in medio concludendi, quòd utrique commune sit. Ant. probatur: si enim aliquod *statutum* existentes extra diœcesin non ligat, sicut reverà admitti debet vi c. *ut animarum*; rationes desumptæ ab eo, quòd *præcepta* ligent existentes extra territorium *præcipientis*; non procedunt legitimè ad statuta extra territorium *statuentis*. Et quamvis hoc videatur admittere cit. Castropalaus, ut diximus, non ostendit tamen, unde potestas *præcipiendi* existentibus extra territorium *præcipientis* limiteretur, cùm *præcepta* non respiciant nisi bonum privatum subditorum, quòd non definitur certo loco; sicut bonum alicujus municipij, seu communitatis, quò talis.

Ad eand. confir. ; Resp. non tantùm tunc exerceri jurisdictionem contentiosam extra territorium (ferendo legem v. g.) quando Legislator extra territorium eam promulgat, vel alias juris solemnitates adhibet; sed etiam, cùm hujus actus obligationem transmittit extra suum territorium. Nam per c. *ut animarum* non minùs effectus *statuti* (qui dicitur obligatio) quàm *statutum*, definitur limitibus sui statuentis, territorij; aliàs enim verum non esset *impunè non pareri jus dicenti extra territorium*, transmissa obligatione. Si enim obligatio *statuti*, solenniter conditi intra territorium statuentis, transmitteretur in subditum existentem extra illius territorium, falsum esset, quòd *posset impunè non parere*. Ex quo etiam patet ad id, quòd dicitur pro discrimine inter hæc: *legem imponere, ac obligare*, seu obligationem transmittere in alienum territorium.

Si quæras, an, & qualiter existentes in alieno territorio ligentur poenis, per statutum impositis? & inter pœnas aliquas esse, quæ non requirunt Judicis executionem, sed ipso facto incurruntur, ut sunt censuræ ipso jure latæ; alias, quæ requirunt oppositum; quibus positis quæstio est 1. an subditus incurrat pœnam, statuto impositam, ipso jure incurrendam, agens oppositum statuto, si id agat existens extra territorium statuentis, aut in loco per se, ac ratione sui exempto? Ad hoc generaliter

T

604.

neraliter responderi potest, incurri, si etiam existens in tali loco, ligetur statuto; non autem secus. Ratio est, quia si existens in tali loco ligetur statuto sui territorij, ibi committens actum prohibitum, est verè transgressor ejus; non autem, si ita non ligetur: pœnæ autem afficiunt solum transgressores. Hinc si transgressoribus *præcepti* imposita est pœna, ipso jure incurrenda, subditus incurrit pœnam eo *præcepto* impositam, licet existens extra territorium delinquat contra tale præceptum; cum liget etiam existentes extra territorium præcipientis, per n. 587. Si autem transgressoribus *statuti* imposita est pœna, ipso jure incurrenda, subditus non incurrit pœnam eo statuto impositam, si existens extra territorium statuentis faciat oppositum *statuto*; nam sic non est ejus transgressor; cum non liget existentes extra territorium *statuentis* ex n. cit: nisi occurrat unus ex casibus, in quibus hæc regula non procedit, ut notavimus *supra*; Unde, si transgressoribus imposita est ejusmodi pœna per statutum, quod *directè* respicit rem in territorio sitam (v. g. ne frumentum, vel pecora inde extrahat:) vel ipsius territorij speciale bonum, incurritur pœna à subdito, si oppositum statuto agat, licet id agat existens extra territorium statuentis; nam in hoc casu statutum ligat subditos etiam extra suum territorium, per n. 578.

605. Questio est 2. an incurrat pœnam, statuto impositam, ac ipso jure incurrendam, qui delictum quidem inchoat intra suum territorium, sed consummat extra illud in alieno? R. si pœna sit censura, non incurri à faciente, vel omittente actum sub censura prohibitum, si consummetur in loco non subiecto jurisdictioni statuentis, nisi expressè lata sit contra delictum etiam attentatum, vel inchoatum; nam censura, seclusà tali expressione, non intelliguntur lata nisi *ob delictum consummatum*; cum ergo consummatio non contingat intra territorium, pro quo urget pœnale statutum; non fit hujus transgressio, consequenter nec pœnæ incurso; ita Suarez l. 3. de legib. c. 32. à n. 5. & alij. Idem dicendum venit de alijs pœnis, ipso jure impositis, ubi non expressè fit extensio ad delictum etiam *attentatum*, vel *inchoatum*; quia in pœnis mitior interpretatio est.

606. Questio est. 3. de pœnis sententiæ ferendæ, seu requirentibus executionem Judicis; de quibus communis tenet, nullum Judicem, extra suum territorium, posse pœnam illam imponere, sive statuta sit delicto inchoato, sive consummato; quia hoc importat actum jurisdictionis contentiosæ. In questione autem, quis delictum punire possit, an Judex, ubi delictum est inchoatum, an, ubi consummatum, si *inchoatio* fiat in alio, in alio territorio *consummatio*? Communis opinio fert, quod ille, ubi facta est consummatio, licet delinquens de cætero ibi domicilium non habeat. Nam sic verè læsum est ejus territorium, & delictum ibi commissum. Si autem delinquens ibi habeat domicilium, ubi solum est inchoatum; etiam ibi puniri potest propter delicti attentionem, vel inchoationem; nam & in hoc deliquit; ergo cum ratione domicilij subditus sit Judici illius loci, ab illo puniri poterit. An autem eadem pœnâ, qua, si delictum etiam ibi foret consummatum? affirmat Castropal. cit. p. 1. tr. 3. D. 1. p. 24. §. 5. n. 26. dicens, in hoc Doctores convenire. Si denique delinquens aliàs non sit subditus Judici loci, in quo delictum attentavit, nisi *ratione attentionis*, posse illum nihilominus puniri *propter delictum*, licet *alibi consummatum*, tenet communis. Suadet consuetudo jure gentium introducta, quæ utrique Judici delictum integrè subjecit, ne crimina maneant impunita; & colligitur ex L. 1. C. ubi de crimine agi; id, quod constat ex dictis *supra*; Sic Felinus in c. *Postulasti*, eod. n. 25. Bartol. in L. *Dominium*, ff. de furtis, &c.

607. Dices: aliud est *inchoare*, aliud *consummare delictum*; ergo si consummatio fiat in loco extra jurisdictionem Judicis, ab eo consummatio puniri non potest; pat. conseq. quia non potest punire delictum, nisi in quantum est injuria ipsius territorio; at, cum ponatur non contigisse consummatio intra illud, non est illi injuria; ergo talis Judex non poterit punire consummationem, sed tantum inchoationem factam in suo territorio. Et ita tenet Abbas in c. *fn. de foro compet.* Julius Clarus in *practic. q.* 38. & plures alij. Resp. dato antecedente, dist. conseq. ergo Judex loci, ubi delictum solum est inchoatum,

tum, non autem consummatum, non poterit punire, nisi delicti inchoationem, non autem consummationem, *secus à legitima consuetudine, jure gentium introducta, & juris dispositione*, quæ delinquentem in tali casu utrique Judici subicit integrè, C. stante illa, N. conseq.

608. Dices. 2. qui intra territorium sui domicilij dat alicuj mandatum, ut occidat Petrum, non potest in loco dati mandati puniri poenâ statuto impositâ *occisioni*, si mandatarius mandatum executus est in alio territorio; ergo, qui intra territorium sui domicilij lethaliter vulnerat Petrum, in loco facti vulneris non potest puniri poenâ impositâ homicidio. Resp. cum Farinacio l. 1. *Praxis, tit. 1. q. 7. n. 45.* probabiliter posse negari antecedens; sed quia probabilius est, quod consuetudo *mandantem*, ac *mandatarium* in casu delicti, per illum mandato, per istum facto, in distinctis, nec eidem Judici subjectis territoriis commissi, non æquè subjecerit utriusque territorij Judici, ac *inchoantem*, & *consummantem* delictum, quantumvis etiam in distinctis territoriis facta sit inchoatio, & consummatio delicti: ideo *æ. 2.* dato anteced: N. conseq. propter consuetudinem, & juris dispositionem stantem pro consequenti; non antecedenti.

## §. VI.

*An, & qualiter omnes fideles ligentur legibus Ecclesiasticis*

609. **N**on est dubium, Canonum statuta ab omnibus observanda esse, ut dicitur c. 1. *de Constitutionibus*. Simile quid habetur in jure civili, L. 3. C. de Legib. ibi: *ab omnibus æquanimiter observentur*. Et ratio est, quia in his, quæ pertinent ad æternam animæ salutem, summus Pontifex, respectu Fidelium, tenet potestatem Christi Vicariam in terris, ligandi, & solvendi, quam immediatè accepit à Christo. Unde si Principes Laici constitutionibus suis justè possint subditos suos obligare in conscientia, & sub peccato, ut constat *ex dict. à. n. 233. & 274.*: à fortiori hoc poterit summus Pontifex, & omnis Superior Ecclesiasticus, respectu sibi subditorum. V. dicta

Tom. 1.

*n. citat.* Hujus autem ratio est; quia vis, & potestas Vicarij Christi in terris multò certius est à Deo, quàm in Principe sæculari; ac ad finem habet multò nobiliorum, qui est animæ felicitas indefectibilis; quàm habeat potestas Laica, qui est sola Reipublicæ felicitas temporalis. Hinc non potest esse indicium bonæ conscientie in illis Judicibus, & Tribunalium Præsidiis, qui, ut intentiones suas in temporalibus promoveant, etsi sacros Canones contrariari noverint, eos vel rejiciunt, vel contemnunt, nixi communi suo refugio, *quod in praxi servetur contrarium*, immemores, praxim laborantem vitiò in objecto, corruptelam potiùs esse, quàm usum legitimum, qui jus tribuat, ut constabit ex dicendis. Et ideo meritò dixit Damasus Papa, relatus supr. *num. 6. In Spiritum Sanctum peccare violatores sacrorum canonum*; quia ejus instinctu, & dono dictati sunt; quibus positus:

Not. 1. ex n. 61. Decreta Pontificum, etiam non inserta juri communi, æquè obligare, ac inserta; Sic Bartholom. Chassainus *de Privileg. Regul. tr. 1. c. 1. propos. 2. ex c. Si Romanorum, dist. 19. & c. 2. ead.* Nam ad naturam legis per accidens est, hoc vel illo modo scribi, expediri &c. intellige, pro foro poli. Nam in externo jus commune præponderat Conciliis; hæc Bullis; istæ Brævibus; his signaturæ; & hæc vivæ vocis Oraculis; ita Chassainus l. c. Not. 2. in cit. c. *per statuta canonum*, intelligi *canones generales*, non autem merè locales, vel merè personales, ut notat gloss. ad c. 1. V. *Canonum*; & per *omnes* ibidem intelligi *subditos Ecclesie*. Nam nemo in non subditum jus dicere potest; hinc sermo est de canonibus, continentibus vim legis obligantis; non autem puri consilij, vel merè directionis non præceptivæ. Et ideo etiam hæretici, ac omnes semel baptizati (consequenter etiam Apostatæ à fide Catholica) obligantur sacris canonibus; non autem non baptizati, imò nec Catechumeni. Illi enim sunt subditi Ecclesie, non isti. c. *canonum, de constitut. Layman* in cit. c. n. 1. Servari autem debent leges, & canones secundum accommodationem, nimirum ab iis, respectu quorum conditi sunt; *generales*, ab omnibus;

610.

T 2

bus; *locales*, à degentibus in tali loco, &c. quia aliter non sunt subditi legislatoris, nec is intendit obligare.

611. Not. 3. sacros canones, qui versantur circa materiam Ecclesiasticam, etiam à Laicis observandos esse (nam quoad hanc materiam æquè subsunt potestati Ecclesiasticæ, ac Clerici, *c. novit, de Judiciis*) unde leges in hac materia contrariæ canonibus, censeri debent abolitæ, *c. 1. & seq. dist. 10.* Rescriptum tamen Principis in *certa* causa, vel erga *certam* personam, non habet rationem legis; Felin. in rubric. de rescript. quia sic non est *præceptum commune*; sed *limita*, nisi voluntate Principis extendatur ad omnes, ut si sit insertum juri communi; vel, sit interpretatio alicujus juris &c. ut dicitur *L. ult. C. de legib.* hinc rescriptum in materia particulari inter personas, quarum interest, facit jus speciale; in aliis constituit legem generalem, *c. 1. dist. 19. & glos. in c. Ex tua, V. Consultationi*, de fil. presbyt. Sanch. *de matr. l. 2. D. 31.* Layman. *l. 1. tr. 4. c. 6. q. 3. n. 13.* Armilla *V. Rescriptum.*

612. Not. 4. si aliud lege civili, aliud sacris canonibus statutum sit, eam in foro civili, istam in foro Ecclesiastico servandam esse; sic glos. in *c. 2. de arbitr. 6. V. Lex civilis*; quod potissimum contingit in formandis judicijs, ut dicitur loc. cit. sed intellige, modò lex civilis non foveat peccatum, juxta dicta à n. præced. nec disponat de personis, aut materia, sibi non subditis, ut constabit à n. 616. Unde in tali casu non obstat Laicorum praxis, & consuetudo. Nam ad Papam spectat, *tollere irrationabilem consuetudinem etiam à Laicis inductam*, si scilicet sit nutritiva peccati, *c. 2. de Probat.* Quando autem in *c. Canonum*, 1. h. t. dicitur: *nemo in actionibus, vel judicijs Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum* (nempe canonum) *auctoritate ducatur*, quidam cum Fagnano censent, sensum esse, quòd Judex judicare debeat secundum notitiam, quam habet *ut Judex*, nimirum secundum allegata, & probata, licet *ut homo* notitià privatà sciat oppositum. Sed hoc fit indefinitè acceptum, puto illicitum.

613. Ratio est, quia quando dicitur, quòd Judex *quà talis*, ex lege, & obligatione sua

debeat judicare secundum allegata & probata, lex habet tacitam conditionem, *nisi certo sciat, allegata esse falsa.* Nam aliàs illa lex non esset justa, sed foveret peccatum. Sic Judex Ecclesiasticus privatà scientià certò sciens Bertam non esse uxorem Titij, esto secundum allegata probetur talis, nulliter obligat, nec obligare potest Titium, ut ej conjugaliter convivat. Sed de hoc alibi. Unde rectius dici videtur, ibidem per ea Verba insinuari, quòd Judex subordinatus Canonum, vel Legum Conditori, debeat judicare *secundum* leges, vel canones; non autem *de* legibus, vel sacris canonibus, quos constat auctoritate legitimà latos esse. sic Layman *in cit. c. 1. n. 13.*

614. Quia tamen quandoque occurrit casus, ubi propter quasdam circumstantias lex *secundum literam* observari non posse videtur, quæritur, an Judex relicto externo cortice, seu literà, judicare possit secundum mentem Legislatoris, quam in tali circumstantia prudenter præsumit; & si de mente Legislatoris constet, non curandam literam, ut dicemus infra. Idem dicendum est, ubi prudenter de mente Legislatoris præsumi potest contra literam; nam hæc illi, non econtra servire debet. Hinc, etsi Judex (exceptà plenitudine potestatis supremæ) pœnam legalem ob crimen aliquod, regulariter, & ordinariè augere, aut minuere non possit, ut dicitur *L. 1. ad S. C. Turpil. (cùm nihil Reipublicæ tam perniciosum sit, quàm si Judices arbitraria faciant ea, quæ à lege certam definitionem habent,* ut rectè docet Layman *in c. 1. de Constit. n. 14.)* non desunt tamen plures casus, in quibus Judex subordinatus, ob gravem, & urgentem causam ex circumstantiis personarum delinquentium à præscripto legum recedere possit, ut notat Felinus *in cit. c. 1. n. 48.* Et quamvis Felinus censet, debere tunc consuli Superiorem; id tamen non procedit, ubi causa evidens est, licet Superior præsens sit, ut vult Layman *cit. n. 15.* Nam in tali casu ipsa jura indulgenti Judici hanc epichiam, seu arbitrandi facultatem, prout sumitur ex *L. 1. C. de Legib.* ubi Imperator ait: *inter aequitatem, jusque, interpositam interpretationem nobis solis, & oportet, & licet inspicere.*

*inspicere: secus est, ubi causa dubia est; tum enim ad Superiorem recurri debet, si id fieri possit.*

615. Quòd autem quandoque occurrant ejusmodi casus, ubi secundum legis literam videatur procedi non posse, inductione constat; nam saepe lex indeterminatè habet, nisi gravia criminis indicia habeantur, non esse deveniendum ad capturam; vel torturam criminosi; quin determinet, quæ sint ea gravia indicia? Similiter non raro lex statuit, *Judici sic, vel sic procedendum esse in casu, quo alicui metus gravis, vel atrox injuria illata est; quin definiat, quis metus gravis, aut injuria censerit atrox debeat?* cum omnes casus speciales, qui ex variatione circumstantiarum innumerabilium, mirè variantur, unâ lege universali comprehendere non possint. Licet autem interdum in lege speciatim exponatur, quis metus v. g. censeatur *gravis?* &c. hoc tamen communiter non fit aliter, quàm *exempli gratia* asserendo unum, vel alterum casum, ut in multis liquet. Et ideo in ejusmodi casibus occurrentibus, fori præsertim externi Judex, non statim *sensu suo duci debet* (qui frequenter cæcis affectibus corrumpi potest) sed quando casus neque per legem, nec statuta, stylum Curia, seu consuetudinem, decisionem habet, in judicando adhærere debet communi, & meliorum Doctorum opinioni. Quia cum inter litigantes arbiter constitutus sit; sequi cogitur, quod probabilius, seu veritati ac justitiæ magis consentaneum est. Nam hoc importat *obligatio muneris judicarij*; ita Layman l. 1. Summa, tr. 2. c. 6. n. 5. Dixi: opinioni communi, & meliori. Nam major opinionis probabilitas non debet sumi *ex sola pluralitate authorum* eam sequentium, sed ex pondere, & gravitate rationum, quibus nititur, L. 1. C. de veteri jure enucleando, ibi: *sed neque ex multitudine Authorum, quod melius est, judicatore;* cujus rationem dat ipsa lex dicens: *cum possit unius forsitan, & deterioris sententia, & multos, & majores aliquâ parte superare.* Cui consonare videtur c. Capellanus, de Feriis, ibi: *posterior sententia meliori, & subtiliori nititur ratione.* Et ideo rectè ait gloss. marginal. in cit. L. 1. *ponderande sunt sententia, non numeranda.* Si autem

nec his juvari possit, tradit hanc regulam Manzius p. 1. Instit. ad Tit. 2. 2. §. 9. de jure naturali, n. 16. quòd, *quoties aliquid jure non satis reperitur definitum, recuratur ad Judicis arbitrium.*

## §. VII.

*An, & qualiter Ecclesiastici ligentur legibus, & statutis Laicorum?*

Ante resolut. not. 1. per exemptionem, seu immunitatem Ecclesiasticam intelligi jus, vi cujus Ecclesiæ, personæ Ecclesiasticæ, ac earum bona eximuntur, seu liberantur à præstandis oneribus, vel etiam subeundis officiis sæcularibus, & subjectione, *relatè ad Laicum Superiorem.* Hoc autem nomine veniunt solum exemptiones illæ, quæ toti statuj Clericorum, vel omnibus locis, aliisque rebus Deo particulariter dicatis communes sunt. Sic Thom. Delbene c. 1. de Immunit. Ecclesiastica, dubio 1. n. 4. hæc immunitas triplex est: *Localis*, quæ Ecclesiis, & aliis locis Ecclesiasticis; *Realis*, quæ rebus, seu bonis ad Ecclesiam, vel Clericos pertinentibus; *Personalis*, quæ ipsis personis Ecclesiasticis concessa est. Not. 2. potissimam quaestionem hic in eo versari, *an Clerici, & Regulares civilibus Principum legibus, & statutis obligentur?* Negativam sequuntur non tantum Theologi, sed etiam Canonistæ, fundantes se in eo, quòd nemo ligari possit legibus, aut statuto alicujus, nisi subditus sit jurisdictioni, & potestati Legislatoris *quoad eam materiam, circa quam versatur lex;* sed Clerici, & Regulares nulli jurisdictioni, seu potestati Legislatoris Laici subditi sunt quoad personas suas, Ecclesias, ac earum & sua etiam bona: ergo nullis eorum legibus, & statutis ligari possunt. Minorem probant ex utroque jure humano, civili scilicet, & canonico.

617. *Ex jure civili.* Nam in Authentica *Cassa, de sacrosanctis Ecclesie, Cassa*, inquit Imperator, *& irrita esse denuntiare per totam Italiam precipimus omnia statuta, & consuetudines, contra libertatem Ecclesie, ejusque personas.* Ea porro statuta Laicorum *contra libertatem Ecclesiasticam* censentur, (ut dicimus amplius n. 635.) quibus Clerici timidiores, & mi-

nus expediti redduntur, vel ad amplectendum statum, vel ad exercenda officia suscepti status, quod sane fit per onera, & gravamina, quæ Laicorum statutis, & præceptis, personis Ecclesiasticis directè, vel indirectè, & cum effectu inferuntur; sic Bart. in Authent. *Cassa*, & L. 1. §. *quæ oneranda*, ff. *quarum rerum actio non datur*; & Suarez *de immunit. Eccles.* c. 22. n. 11. Plura super hoc videri possunt in l. 1. *authenticorum*, & in authent. *Item nulla*, C. *de Episcop. & Cleric.* His addi potest constitutio quarta ex Constitut. Friderici Secundi Imperatoris, cujus verba sunt: *item statuimus, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali questione, vel civili, trahere ad iudicium seculare præsumat, contra constitutiones imperiales, & canonicas sanctiones; quod si fecerit, actor à suo jure cadat; & iudicatum non teneat: & Judex sit ex tunc iudicandi potestate privatus. Statuimus enim, ut si quis Clericis, vel personis Ecclesiasticis justitiam denegare præsumserit, tertio requisitus, suam jurisdictionem amittat.*

118. *Ex jure Canonico.* Nam in c. *quæ in Ecclesiarum*, 7. h. t. dicitur, quod constitutio Laicorum, Ecclesias, personas Ecclesiasticas, ac earum bona non adstringat; & c. *Ecclesia S. Mariae*, 10. eod. quod *statutum generale* Laicorum ad Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas, vel ipsarum bona, in earum præjudicium non extendatur: *nec etiam speciale, licet earum commodum, & favorem concernat*, c. *significasti*, 18. *de foro compet.* quod *Clericus in iudicem non suum* (nisi fortè sit persona Ecclesiastica, & Diocesani voluntas accesserit) consentire non possit. Et ideo in c. *si diligenti*, 12. eod. *Clericus constituens, seu se subjiciens Judici Laico, etiamsi proprium juramentum, & adversarij consensus accedat, causam perdit, & à communionem jubetur haberi extraneus*, c. *Noverit*, 4. *de sent. excom.* ubi Honorius III. excommunicat eos, qui de cætero servari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas, contra Ecclesie libertatem. Eandem excommunicationem statuit idem Pontifex cit. c. *Noverit*, in *statarios, scriptores statutorum ipsorum, Potestates, Consules, Rectores, Consiliarios locorum, ubi de cætero hujusmodi sta-*

*tuta, & consuetudines editæ fuerint, vel servata; item illos, qui secundum ea præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere iudicata.* Ubi expressè additur, & habetur in integra Lectione, quod hanc excommunicationem in Basilica Principis Apostolorum præsentem Fiderico Romanorum Imperatore, in celebratione missarum, postquam Honorius capiti ejusdem diadema imposuit, accensis candelis pronuntiaverit. Demum in c. 1. *de Immunit. Eccles.* in 6. indistinctè dicitur: *quæcunque res, seu bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum dicuntur exempta à jurisdictione secularium, etiamsi intra illorum districtum, vel territorium sint constituta: excipe bona feudalia, quia clericus vasallus laici, quoad feudum, laici potestati, & jurisdictioni subest, c. Transmissa, de foro compet.* Denique c. *quanquam*, 4. *de Censib. in 6.* expressè dicitur, quod *Ecclesie, Ecclesiasticæq; persone, ac res ipsarum, non solum jure humano; quin imò & divino, à secularium personarum exactionibus sint immunes; ergo ex utroque jure certum est, potestatem, & jurisdictionem laicam nihil omnino posse contra Ecclesias, Ecclesiasticasque personas, ac earum bona, etiam leges, & statuta condendò contra libertatem Ecclesiasticam, nimirum in illis, in quibus ab eorum potestate, ac jurisdictione exempti sunt.*

619.  
Ex his tam apertis summorum Pontificum decisionibus (nisi quis dicat eos in re pertinente ad mores fidelium, dixisse falsum, quod nefas est) videtur certum, quod Laici statutis suis non possint derogare juribus Ecclesiarum, c. *quæ in Ecclesiarum, de constitut.* Laymam in cit. c. n. 1. Hinc Magistratus sæcularis nec ex plenitudine potestatis quidquam disponere potest circa Ecclesias, personas Ecclesiasticas, earumque bona. Nam nulla potestas aliquid potest circa non subjectam. Nec obest, quod mali politici communiter objiciunt: *necessitas legem non habet; & quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* reg. 4. *de regul. juris.* Nam necessitas, aut ratio boni publici jurisdictionem fundatam, seu præexistentem extendere quidem potest; sed ubi non subest, seu non præexistit circa talem materiam, dare non potest, ut notat Suarez in de-



*in defens. fid. Cath. l. de immunit. Eccl. c. 31. n. 8.* Unde omnino cum Christi Vicario negandum est, quod sola necessitas det jurisdictionem: at potestati laicæ, quæ tali, nulla est jurisdictione in Ecclesiis, earumque personis, aut res; ergo eam etiam in casu necessitatis non acquirit; ita Layman *in c. 7. de Constitut. n. 12.* Imò nec vi consuetudinis etiam immemorialis, aut præscriptionis, jus ullum in Clericos habere potest, quia Laici sunt inepaces juris Ecclesiastici, seu spiritualis. sic Barbosa *in c. 7. de constit. n. 3. &c.*

620. Hinc universaliter tenendum, quod leges, constitutiones, aut statuta laicorum, quæ de Ecclesiis, aut Ecclesiasticis rebus, vel personis, *specificè*, hoc est, *expressè*, & *nominatim* disponunt, fixe *præcipiendò*, sive *prohibendò*, licet earum commodum, & favorem concernant, omnino irritæ sint, & vim nullam habeant, defectu potestatis; ita definitum est *c. Ecclesia s. Maria de constit. Dixi: si specificè* disponant de Ecclesiis, aut earum rebus, vel personis. Nam si disponant *generaliter*, nec juri Canonico contradicant, & statutum aliàs honestum sit, nec ex objecto suo onerosum, aut Ecclesiasticæ libertati contrarium, nec dedecens statum Clericalem, statuta ejusmodi *generalia*, etiam Clericos, & personas Ecclesiasticas, saltem vi *directivâ* ligant, sed solum juxta dicenda *in seqq.* sic Barbosa *in c. 10. de constit. n. 3.* Zoësius *in 1. decret. tit. 2. n. 37.* Talia statuta sunt, quæ respiciunt regimen, & politiam civitatis, cujusmodi sunt statuta, quibus juxta rerum venalium prætia taxantur, vel prohibentur arma deferri noctu, vetantur merces extrahi, præscribitur forma contractibus, &c.; ita Sotus *l. 1. de just. q. 6. a. 7.* eodem etiam modo quidam resolvunt, etiam Clericos ligari consuetudine Clericis, & Laicis communi. Barbof. *cit. n. 4.*

621. Verum circa prædictum casum controversia est, an Clerici, & Regulares prædictis legibus *directè*, ac *in vi earum* obligentur? Aliqui censent hanc ipsam obligationem parendi ejusmodi statutis, vel consuetudini, non nasci *ex vi statuti Laicorum*, v. g. taxantis prætium rei venalis; sed *ex ipso jure naturali, & divino*, quo

tenemur res nostras justò prætium vendere. Quare, si lege Principis laici poena sit constituta in eos, qui plus vendiderint, ejus poenæ laicus fit reus, non Clericus; sic Barbosa *cit. n. 4.* Azor *Institut. moral. p. 1. l. 5. c. 12. q. 4.* Zoësius *cit. n. 38.* Alij autem cum Suarez *l. 3. d. legibus, c. 3. & 34. n. 13.* his legibus Clericos, & Regulares obligari solum, in quantum ab Ecclesia receptæ sunt. Nam in ejusmodi personas nulla Laicis potestas attributa est, ut expressè dicitur *c. Ecclesia s. Maria, de Constitut. c. Decernimus, de Judic. c. Seculares, de foro compet. in 6.*

Castropalaus *p. 1. rr. 3. D. 1. p. 24. §. 6. n. 5.* prædicta non approbat; & 1. quoad hoc, quo dicitur non peccare Clericos, & Regulares contra leges, & statuta Laicorum *directè*, si eas leges non observent. 1. quia sic non committerent injustitiam vendendò triticum ultra prætium taxatum à lege. 2. sic non facerent contractum irritum, etiam non servatâ formâ, jure vel statuto generaliter præscriptâ, &c. Nec approbat integrè modum dicendi Patris Suarez; Sed *n. 6.* censet probabilius, dictis legibus *per se ac directè* Clericos obligari. Nam Clerici cives sunt, & partes præcipuæ talis Reipublicæ; ergo etiam illi Gubernatori politico talis Reipublicæ debent esse subjecti in merè temporalibus; at is in eo casu non est Pontifex, sed Rex v. g. vel supremus ejus gubernator: ergo. Primam conseq. probat; quia neque jure divino, neque humano exempti sunt à gubernatione politica Reipublicæ. *Non ex jure divino; nam omnis anima potestibus sublimioribus subdita est*, juxta S. Paulum, *ad Rom. 13.* quæ verba expendens D. Chryostomus *hom. 23.* extendit etiam ad Clericos; & paulò superius dixit: Christum leges suas non ad hoc induxisse, ut politicas evertat; sed ut ad melius instituat. *Non etiam ex jure canonico;* tum quia sæpè præcipit eas observari; tum quia, quando personæ Ecclesiasticæ dicuntur exemptæ à jurisdictione Laicorum, intelligi debet *quoad vim coercitivam*, seu punitionem; & *quoad vim directivam in rebus tantum spiritualibus, & quæ illorum immunitatem spectant.* sic ille.

Sed contrarium videtur probabilius, nimirum Clericos, & Regulares, non ligari

622.

623.

gari per se, ac directè ullis legibus, & statutis Laicorum. Et. 1. loquendò de legibus, & statutis contra immunitatem Ecclesiasticam concedit ipse Castropalaus, ut constat ex eod. in cit. §. 6. n. 1. & 6. de aliis verò (de quibus in præfenti agitur, ut diximus n. 620.) quæ scilicet Clericorù statum non dedecent, probatur: Quia nemo per se, ac directè potest ligari legibus ejus, cui nulla in eum attributa est jurisdictio, & potestas; sed in Clericos, & Regulares nulla Laicis est attributa jurisdictio, & potestas, ut constat ex n. 616. Cùm enim omnis potestas sit à Deo mediâtè, vel immediâtè, etiam in Principe Laico, ut diximus supra; quæ illa sit, & quanta? nemo certius definire potest, quàm Ecclesia; hæc autem expressè, ac indefinitè dicit, *Laicis in Clericos, & personas Ecclesiasticas nullam jurisdictionem, vel potestatem attributam esse*, ut præmissum est; ergo.

624. Nec obstant contraria fundamenta. Ad 1. in n. 622. R. ut verum, sit, Clericos committere injustitiam vendendo triticum, ultra taxatum pretium à lege, non requiri, quòd *directè* obligentur statuto Laicorum taxante pretium; sed sufficere, quòd *indirectè*, quatenus jure naturali, & divino directè obligantur res suas justò prætiò vendere, & consequenter indirectè præscriptæ se taxæ in tali Republica accommodare. Idem respondetur ad alterum de contractibus celebrandis juxta præscriptam formam, ne cæteròquin lædant jus alienum, inæqualitate onerum, nec statum Ecclesiasticum dedecentium. Ad 2. R. concedi personas Ecclesiasticas adstringi legibus civilibus in merè temporalibus, quæ omnibus civibus communes sunt, nec dedecent eorum statum, nec lædunt eorum immunitatem; *at non directè, ac in vi legis civilis* (nam ad hoc nulla Laicis potestas attributa est) *sed solum indirectè*, nimirum *in vi legis naturalis, & divine*, qua pars quælibet secundum rationem statûs sui tenetur procurare bonum totius. Unde omnino negandum est, personas Ecclesiasticas, nec jure divino, nec jure humano exemptas esse à gubernatione politica Reipublicæ, importante vim *directè obligandi* ejusmodi personas, ut constabit ex seq.

625. Et quidem exemptas esse *jure divino* dicemus infra à n. 640; nec obstat textus

S. Pauli in n. 622. Concedo enim, omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse, *secundum mensuram jurisdictionis à Deo immediâtè, vel mediâtè concessæ*; at personas Ecclesiasticas per se, ac *directè* obligandi legibus politicis nulla Laicis potestas attributa est ex n. 616.; & S. Chryostomus rectè intelligitur de obligatione solum indirecta; cùm id doctrinæ Conciliorum, & sacrorum Canonum à n. 618. multò conformius sit. Nec aliud intendit Christus per leges à se indutas.

Exemptas esse *jure humano*, constat non tantum de jure canonico à n. 618. sed etiam civili, ex n. 617. Ex eo autem, quòd jus Canonicum sæpe præcipiat servari leges, non sequitur, Clericos obligari *directè in vi talis legis*, in quantum procedit à Legislatore Laico; sed in vi legis *canonizate*, seu in quantum approbatur, & assumitur à Legislatore Ecclesiastico, eo ipso impertiente illi auctoritatem suam, & vim canonis, ut patet in multis casibus de cognatione legali ex arrogatione, vel adoptione &c.

Nec ulli dubium esse potest, personas Ecclesiasticas à jurisdictione Laicorum, *Ecclesiastico jure*, exemptas esse, ut manifestum sit à n. 618.; immeritò autem eam exemptionem limitat tantum *ad spiritualia, & quæ lædunt eorum immunitatem*. 1. quia leges Laicorum, quæ sive generaliter, sive specificè disponunt, etiam in favorem Ecclesiarum, irritæ sunt, etiam si non sint *de puris spiritualibus*. Nam, ut habetur c. *Ecclesia S. Mariae*, 10. h. t. statutum Basilij, Præfecti Urbis Romæ, *de non alienandis prædiis rusticis, vel Urbanis* (quæ temporalia sunt) ministeriis, & ornamentis Ecclesiarum deputatis, fuit in favorem Ecclesiarum, & nullatenus pœnale; & tamen Innocentius III. ibid. expressè definivit *irritum*, ac omnino reprobavit eâ potissimum ratione, *quòd auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum; cùm Laicis* (etiam religiosis, ac piis) *super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas: quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi*. Ubi not. to *nulla facultas, nec imperandi auctoritas*, etiam in temporalibus, ut liquet ex allato casu, & pluribus ibid.

Ex hoc sequitur, non posse admitti restrictioni-

strictionem, quam n. 622. attulimus ex P. Castropalao; imò eo ipso lædi immunitatem Ecclesiasticam, si Laici usurpent si-  
bi motu proprio auctoritatem imperandi, vel ipsis personis Ecclesiasticis, etiam sine coërcitione, vel de bonis, & rebus Ecclesiasticis, ut liquet ex n. 618. & citatis ibidem iuribus, ubi dicitur, *quascunque res, seu bona*, exempta esse à jurisdictione Laicorum; ergo non sola *spiritualia*; & quoniam expressè dicitur *nulla potestas, nulla imperandi auctoritas*, manifestè excluditur potestas saltem *directè* ligandi legibus suis, siue consideretur, in quantum est coërcitiva, siue in quantum merè *directiva*. Nam tò *nulla* excludit omnia.

629. Esto igitur Clerici non observent leges, & statuta Laicorum, & ob id directè violent jus naturale, ac divinum; non tamen ex hoc fiunt obnoxij pœnæ, si quæ transgressoribus statuta sit lege Principis; quia qui non observat id, quod lege, quâ non tenetur, cautum est, non potest dici *transgressor*. Et quidem si agatur de pœna, vel punitione, quæ requirit cognitionem causæ, communis Doctorum sententia est, irritam esse legem Laicorum, quæ statuit ejusmodi pœnas in Clericos transgressores statuti etiam non specificè lati in Clericos; hi enim exempti sunt à foro Laicorum; sic Castropalaus p. 1. tr. 3. D. 1. p. 24. §. 6. n. 7. Idem dicendum venit de pœna, seu punitione ipsi delicto annexa. Nam etiam hæc punitio est quædam virtualis sententia, lata non adversus communitatem, sed adversus quamlibet personam particularem delinquentem in statutum. Nam Clericus, quâ talis, exemptus est à foro, & jurisdictione laica, c. *at si Clerici*, c. *Clerici*, & c. *qualiter*, de *Judiciis*, c. *Ecclesia. S. Maria*, de *constitut.* c. *decernimus*, de *re judicata*, c. *seculares*, de *foro competente*.

630. Unde deducitur, statutum Laicorum, expressè disponens de Clericis, Ecclesiis, aut rebus Ecclesiasticis, *præcipiendò*, aut *vetandò*, irritum esse, quamvis respiciat eorum favorem, ex n. 618. nam nulla jurisdictio extendere se potest extra limites suos; seu erga non subiecta, L. *ult. ff. de jurisdict. omnium Judic.* nisi spontè recipiantur ab habente legitimam potestatem; sed tunc vim habent non ex auctoritate statuentium, sed auctoritate confir-

Tom. I.

mantis, seu recipientis; ita Layman in c. 10. de *constit.* n. 3.

Sic nec leges sæculariù *generaliter* lætæ, quæ per se, & ex objecto onus imponunt, seu gravamen, aut juri acquisito derogant, extendunt se ad Ecclesias, aut earum res, ac personas; ita Bartol. in L. *Cunctos populos*, C. de *Sancta Trinit.* q. 5. n. 28. Andr. Gail. l. 2. *observ.* 23. Layman cit. n. 4. quia actus imponendi onera, & gravamina, præferunt jurisdictionem ergo eos, in quos feruntur; at à jurisdictione Laicorum exemptæ sunt Ecclesia, res, & personæ earum, c. *quanquam*, de *cessibus*, in 6. & hoc max imè procedit, si ratio statuendi de rebus, aut personis Ecclesiasticis, in statutis afferatur jurisdictioni territorialis magistratui laico competens. Nam, quod apud omnes notum est, ea non nisi erga personas, & res subditas extendi potest; tales autem non sunt Ecclesiæ, earumque res, & personæ relatè ad Laicos. Et ideo hi non tantum irritò statuunt, sed etiam peccant, si pœnam, & gratiæ suæ amissionem Clericis statuti sui transgressoribus, unà cum Laicis, tanquam inobedientibus, & contumacibus adjiciant, vel minentur. Nam hæc statuta apertè repugnant libertati Ecclesiasticæ. Quamvis enim concedamus, statutis Laicorum *generatim* disponentibus *quoad vim directivam* ligari etiam Clericos; juxta id, quod dictum est à n. 620.: negandum tamè est *quoad vim coërcitivam*, seu punitivam; ita Castropalaus cit. n. 7. nec obstat, quòd jus præcipiendi per se conjunctam habeat vim puniendi; quia per accidens (si scilicet quis exemptus sit à vi coërcitiva) fieri potest, ut separentur. V. Azor p. 1. l. 5. c. 41. §. 2.

Neque dicas ex reg. 55. in 6. *qui sentis onus, sentire debet commodum*, & *contra*: ergo cum personæ Ecclesiasticæ unà cum laicis, tanquam partes, & membra Reipublicæ civilis, utantur commodis, ac iuribus communibus, ex pacto quodam tacito, & naturali æquitate dicendum venit, eas oneribus, & gravaminibus communibus subiectas esse, præsertim, cum Magistratus sæcularis obligationem habeat, & non minùs curam gerat, ut defendat eas, quam Laicos. nec illam regulam juris, nec æquità em naturalem, quæ de se optima est, huic materiæ bene applica-

631.

632.

applicari. Hæc enim commoda, quæ à Magistratu civili præstantur Ecclesiasticis personis, his præstantur *ex debito propter spiritualia officia, & obsequia*, quæ Reipublicæ civili præstantur ab Ecclesiis, ut notat Apostolus. 1. ad Cor. 9. *si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus*; de quo fufius Laymam *cit. n. 6.* Reverà enim temporalia, quæ à Laicis percipiunt Ecclesiastici ministrantes eis bona spiritualia, comparatione horum modica sunt; ut rectè docet Apostolus. Accedit, quòd pro his, quæ illis præstantur à Laicis, qui curam Communitatum gerunt, amplissimè satisfiat, per subjectionem indirectam, de qua diximus à n. 620.

633. Nec istud dicunt soli Ecclesiastici. Nam ipsi etiam Principes Laici dicunt, si exactiones, collectæ, angariæ, seu vehiculares, aut similes præstationes Ecclesiasticis personis indicantur, contra earum privilegia, & immunitates, eas utroque jure nullas esse, ut apertè constat ex jure civili, de quo n. 617. & ratio est; quia Laici carent legitimâ facultate non tantùm lædendi immunitatem Ecclesiasticam per leges suas illi contrarias, ut constat; sed etiam directè, vel *generaliter*, vel *specialiter* ligandi Ecclesias, personas Ecclesiasticas, & quascunque earum res, & bona, ex juribus jam præmissis. Similiter, irritum est statutum Laicorum (in quantum se extendit ad personas Ecclesiasticas) quo disponitur, ut si quis incolarum bona sua in alium locum transfert, partem aliquam, decimam v. g. *filco*, vel communitati solvere cogatur; vel si quis civium filiam, vel filium religionem ingressurum dotaverit, partem aliquam publicæ fabricæ applicare necesse sit. Ratio sumitur ex defectu statuendi de his bonis in præjudicium Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum. Et ejusmodi statuta nullâ consuetudine, vel præscriptione stabiliri possunt, ut constabit, cum opponantur juri divino; sic Felinus *in c. 10. de constit. n. 94. ex c. 1. de consuetud.*

634. Irritum pariter est statutum municipale Laicorum, ut qui religionem ingrediuntur, excludantur ab hæreditate, & vel parte aliquâ hæreditatis, vel solâ legitimâ, seu vitalitiò contenti sint, & esse debeant. Ratio est eadem, & ita tradunt passim o-

mnes Canonistæ. Nam tale statutum retrahit ab ingressu religionis, facitque homines timidiore, & magis impeditos, ne ingrediantur; Layman *in c. 10. de constit. n. 7.* Irritum quoque est statutum municipale Laicorum in ordine ad res, & personas Ecclesiasticas, ut res immobiles æquè, ac mobiles triennij spatiò usucapiantur; ratio est eadem. Unde Gail. *cit. observ. 32.* testatur, in Camera Imperiali decisum esse, quòd statuta Laicorum non ligent Clericos; cum sint contra libertatem Ecclesiasticam, juxta Authent. *Cassa, cit. sup. n. 617.*

Notandum autem, *ea statuta Laicorum contra libertatem Ecclesiasticam censeri*, quibus Clerici timidiore, & minus expediti redduntur, vel ad amplectendum statum Ecclesiasticum, vel ad exercenda officia suscepti statûs, quod sanè fit per onera, & gravamina, quæ Laicorum statutis, & præceptis personis Ecclesiasticis directè, seu indirectè, & cum effectu inferuntur. Bartol. in authent. *Cassa, & L. 1. §. quæ oneranda, ff. quarum rerum actio non datur*, & Suarez *de immunit. Eccles. c. 22. n. 11.* Nam sicut à potestate sæculari commoda, favores, & privilegia, Clericis concessa, statum clericalem cohonestant, personas Ecclesiasticas animant, & ad officia sua erga populum fidelem alacriùs obeunda excitant, aliosque plures ad amplectendum ejusmodi statum excitant; sic vicissim onera, & gravamina, quæ Laicorum statutis, & præceptis, personis Ecclesiasticis directè, vel indirectè, ac in effectu inferuntur, statum Ecclesiasticum dehonestant, ignobilem, ac despectum reddunt, Clericorum animos contristant, ac dejiciunt, & alios ab hujusmodi statu assumendo absterrent; ita Laymam *in c. 10. h. t. n. 8. §. c. 1. de Immunit. Eccles.* ubi dicitur, quòd libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam lædere, ac minuere, tanquam honoris, & privilegij Ecclesiarum invidi moliantur.

Si autem quæras, an invalida sint statuta Laicorum, quæ specificè disponunt de bonis personarum Ecclesiasticarum, *etiam patrimonialibus*? R. quòd sic; quia & hæc exempta sunt ab omni foro, & jurisdictione sæculari. Quando enim personæ sunt exemptæ, etiam res earum, utpote accessoriaræ, sunt exemptæ; Abbas *in c.*

in c. *Qualiter*, de *judiciis*, n. 17. ibi: *certum est, quod persona est exempta; ergo & res.* Ex eodem invalida sunt Laicorum statuta, quibus conceditur Laicis, habentibus feudum ab Ecclesia, ut illud in casu necessitatis alienare possint, sine consensu Domini directi, c. *qua in Ecclesiarum*, de *Constit.* & hoc universaliter procedit de bonis, quorum dominium directum est penes Ecclesiam, licet utile sit penes Laicum; sic Pirhing de *constit.* n. 77. quod verum est, quamvis in contrarium à Jure Canonico nihil reperiatur in tali casu statutum. Nam hoc Ecclesiae præjudicium nullo jure subest jurisdictioni Laicorum, quam habent à Deo, ut constat ex n. 640. & seq.

637. Leges verò, & statuta Laicorum, quibus Clericis conceditur purus favor, cum talis concessio non sit actus jurisdictionis exercitæ in Clericum, omnino valent. Sic valet statutum Laicorum, ut Clerici primogeniti possint succedere in feudis, majoratibus, fideicommissis, &c. Nam privilegia concedi possunt etiam non subditis, & omnino extraneis, ne in detrimentum cedat, quod in favorem concessum est. Hinc si fiat statutum Laicorum, ut femina non succedat, quamdiu superest agnatus masculus, etiam Clericus, & Monachus in hoc beneficio comprehenditur. Nec obstat, quod diximus, non valere statutum Laicorum, licet favorem contineat. Nam hoc intelligendum venit, ut liquet ex textu c. *Ecclesia S. Mariae*, si procedat Clericis *præcipiendò*, vel *vetandò*; non autem *purè concedendo*, *donandò*, &c. Si autem ejusmodi statutum, excludens feminas, primò factum sit, postquam aliquæ religionem ingressæ sunt, quoad has invalidum est, secundum vim earum exclusivam; quia jam ingressæ non amplius subsunt statuentium jurisdictioni. Et ideo etiam irritum est statutum Laicorum, ut filij, vel filia, ingressi, vel ingressæ Religionem, non succedant; quia statuunt in non subjectos. Idem est, si dicant: *ingrediens religionem*, quia sic effectus ejus confertur in tempus inhabile, ut pluribus ostendi in tract. de *Jure*, & *Just.* n. 110. Idem enim est, *aliquid fieri tempore inhabili*, & *ejus effectum conferri in tempus inhabile.* L. *Quod sponsa*, C. de *donat. ante nuptias.* Tale

Tom. 4.

autem statutum cum effectu non obligat, nisi cum per professionem ingreditur, quo tempore jam non amplius subest jurisdictioni laicæ; ergo.

638. Ceterum leges civiles communes (si habeant qualitates, de quibus n. 620.) maximè Cæsareæ, à Jure Canonico potissimum approbatæ sunt, adeoque etiam in foro Ecclesiastico servandæ *in vi legis receptæ ab Ecclesia*, modò non sint contrariæ Sacris Canonibus; secus est de municipalibus, locorum specialium statutis, quæ contra jus commune sunt. Abbas in c. *1. de novi operis nuntiat. num. ult.* Major tamen favor, & exemptio competit Ecclesiis, & communitatibus Ecclesiasticis, quàm earum personis in particulari; quia causa publica magis favorabilis est; sic Layman in c. *Ecclesia*, de *constit.* n. 14. Et quoniam observari statuta edita contra libertatem Ecclesiasticam, prohibetur sub pœna excommunicationis; & in bulla cœnæ, *cenfurâ* 14. excommunicantur, qui statuta, ordinationes, vel constitutiones in genere, vel in specie, quovis quæsito colore fecerint, vel publicaverint, vel factis usi fuerint, unde libertas Ecclesie tollitur, seu in aliquo læditur, aut alio quovis modo restringitur: dubium esse non potest, obligationem non lædendi per ejusmodi statuta Sacrorum Canonum dispositionem esse gravem.

639. Si tamen fieret statutum à Laicis, quo decernitur, ne ipsorum privilegiis potiantur non subditi; non derogaretur immunitati Ecclesiasticæ: quia aliud est, *derogare*, aliud *privilegium non concedere*; sic Azor p. 1. *Instit. mor.* l. 5. c. 13. q. 4. excipe, nisi prius fuisset statutum in favorem Ecclesiarum, vel Communitatem, in quibus degunt Ecclesiastici; quia tunc non valeret statutum illud revocans, postquam ab eo, cui concessus est favor, statutum acceptatum est; quia statutum sic acceptatum transit in jus; Azor *cit.* q. 5. irritum autem est statutum Laicorum, quo cavetur, ne quis apprehendat possessionem Ecclesie, vel beneficii *sine facultate ejus, qui præest populo Civitatis, provincie, vel loco*; sic enim derogat juri Ecclesie, & potestati Clericos mittendi in possessionem Ecclesiarum, vel beneficiorum. Azor *cit.* q. 6. Felinus in c. *Ecclesia S. Mariae*, de *Constitut.* n. 96. ex

U 2

commu-

communi sensu interpretum juris Pontificij. Quid verò dicendum de statutis laicorum Principum, ne literæ Apostolicæ sine suo consensu in regnis suis publicentur, vel affigantur; ne exteris beneficia in suis territoriis conferantur, vel pensiones assignentur, tractat Azor p. 1. *Instit. moral. l. 5. c. 14. q. 3. &c.* ubi rarissimos casus proponit in hac materia, quos consultò prætermittimus.

## §. VIII.

*An, & quo jure Ecclesiæ, ac personæ Ecclesiasticæ, earumque bona exempta sint à jurisdictione Laicorum.*

640. **I**mmunitatem Ecclesiasticam, & exemptionem talium personarum, & quarumcunque rerum ad eas pertinentium esse non tantum juris Ecclesiastici, sed etiam civilis, ex dictis hæcenus constat; quæstio est, an etiam sit *juris divini*? ante resolut. not. *jus divinum* aliud esse *scriptum, traditum, & explicatum*. *Scriptum* est, quod habetur ex sacris literis; *traditum*, quod per traditionem; *explicatum*, quod ex Conciliorum generalium, & Pontificum decretis, jus divinum explicantibus. Porro, immunitatem illam esse de jure divino, ex pluribus locis probari potest, de quibus fusè Delbene *cit. dub. 2. s. 1. d. n. 1.* Nam in c. *Continua*, i. q. 1. & c. *futurum*, i. 2. q. 1. Constantinus Imperator quærimoniis quorundam Clericorum respondens, ait: *Vos à nemine judicari potestis, sed judicio Dei reservamini, c. quanquam, de censib. in 6. ibi: Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; personæ, & res ipsarum* non solum jure humano, quinimò & divino à secularium personarum exactionibus sunt immunes. Ex Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 9. in bulla reformationis Curie*, ibi: *Cum à jure tam divino, quam humano Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit. Trid. sess. 25. c. 20. de reform. ibi: Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constituta est.* Es his juribus ritè concludi, immunitatem Ecclesiasticam esse de jure divino quoad *causas spirituales*, quæ respiciunt v. g. fidem, Sacramenta, cultum divinum, vel salutem animarum, communiter

conceditur, prout disertò habetur in *Si Imperator, & c. duo sunt, dist. 94.* Judicium enim spiritualiū illi tantum competit, cui Christus concessit, nimirum Petro, & Successoribus ejus, quibus dixit: *pasce oves meas.* Et quoniam ex juris utriusque textibus allatis habetur, *esse juris divini, nullam Laicis esse potestatem* non tantum in personas, sed etiam *res ipsarum*, adeoque causas, sive has, sive illas concernentes, idem de his dicendum est.

Quæstio nunc est, an hoc sit de jure divino *scripto, vel tradito, vel explicato tantum*, explicatione fundatâ in ordinatione divina? qua in re. exemptionem in purè spiritualibus esse de jure divino immediatè, saltem tradito, ut tenet communis; exemptionem autem Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, quoad ipsas personas, & res temporales earum, etiam esse de jure divino, ut constat ex n. 640. sed probabilius *mediatè* tantum, nimirum *tradito, & explicato*, vel saltem de jure Ecclesiastico introducto, *Deo sic dictante, & præcipiente.* de quo V. Delbene *cit. c. 5. dub. 8. Dixi. 1. de jure divino tradito*; hæc enim veritas in Ecclesiâ Dei continuò à temporibus Apostolorum pro tali habebatur. Nam *immunitas Ecclesiastica vetustissima res est jure pariter divino, & humano*, ut loquitur Concilium Colonienſe *part. 9. c. 20. apud Delbene cit. c. 5. dubit. 8. n. 5.* quod expressè nominat exemptionem *Clericorum, & eorum possessiones à vectigalibus, & tributis*, & ut non extrahantur ab Ecclesiis, si ad eas Rei confugiunt. Dixi 2. de jure divino *explicato* per Concilium, & summos Pontifices, ut patet ex n. 640. & quidem *ex Dei ordinatione*, seu Deo sic ordinante, & dictante, ut patet ex Trid. in *num. cit.* Cum enim potestas Petro, & Successoribus concessa à Christo rectè gubernandi Ecclesiam, hoc includat, sine quo ea gubernatio rectè fieri non posset, sicut illa, sic inclusum est ex Dei ordinatione; sed recta gubernatio Ecclesiæ includit exemptionem Ecclesiarum, & Clericorum, saltem quoad substantiam; cum sine hoc ea gubernatio haberi non posset, licèt modus inducendi hanc exemptionem tam quoad personas, & materias, quam quoad quantitatem Pontifici remiserit, prout bono Eccle-

Ecclesiæ conveniens judicaverit; ergo. V. Delbenc *cit. c. 1. dubit. 2. d. 1. à. n. 61.*

642. Dices, in allatis textibus *jus divinum* accipi pro *jure canonico*, qualiter etiam sumitur in c. *Cum de diversis; de privil. in 6. ibi: providimus, quod ibidem de cetero regatur, & vigeat studium juris divini, & humani, Canonici videlicet, & civilis*; ergo non rectè dicitur, immunitatem illam, de qua in præsens, esse juris divini, prout hoc contradistinguitur à canonico. R. N. ant. Tametsi enim verum sit, *jus divinum* supponere solum pro *jure canonico*, quando expressè accipitur ut contradistinctum solum inadæquatè à jure humano, restricto ad solum jus civile, prout videre licet in allato c. *Cum de diversis*; fallit tamen, quando jus divinum accipitur, ut contradistinctum adæquatè à jure humano non restricto, prout sumitur in allatis textibus, ut constat; alias enim; ubicunque simpliciter, & sine ulla restrictione dicitur aliquid esse *juris divini*, plus non foret, quam esse *juris Canonici*; quod apertè repugnat communi verborum significationi passim usurpatæ; & omnes leges juris canonici forent juris divini; adeoque dicere simpliciter, Pontificem posse dispensare in his, quæ sunt *de jure canonico*, & dicere, eundem posse dispensare in his, *quæ sunt de jure divino*, idem omnino foret; quod profecto dici non potest. Sed de his plura l. 5. Tit. 49.

643. Dices. 2. textus, à nobis allatos n. 640. rectè exponi dicendò: exemptionem Clericorum, & bonorum ad eos pertinentium esse *de jure divino, quando considerantur in illis, quæ verè, & propriè spiritualia sunt*, veluti, quæ per essentiam, & concomitantiam talia sunt, vel per causam, aut annexionem, sive antecedenter, sive consequenter. Talia sunt Sacramenta, donâ spiritualia supernaturalia, &c. non autem in illis, quæ sunt *spiritualibus annexa, & talia effecta lege humanâ*, ut patet in vestibus factis, Sacramentalibus, beneficis Ecclesiasticis, in exemptione fori, causâ possessionis; &c. ergo in his non sunt exempti jure divino, sed solum humano.

644. Resp. cum distinct. anteced. si prædicti textus exponantur de his, quæ verè spiritualia sunt, cum exclusionè reliquorum, quæ

etiam annexivè talia sunt; N. ant. cum expressè loquantur etiam de illis, quæ in se, ac intrinsicè spiritualia non sunt; sed tantum annexivè, cujusmodi est immunitas ab impositione novorum onerum, tributorum, evocatione ad forum laicum, &c. Unde si expositio in objectione allata recta foret, necessariò æquipollere deberet exponibili, seu propositioni per eam expositæ; hoc autem omnino fallit; nam textus, qui exponuntur, expressè loquantur etiam de personis Ecclesiasticis, ac earum bonis etiam temporalibus, ut patet ex n. 640. exponens autem ea excludit. Quare

645. Resp. 2. & insto, si, quando summi Pontifices, & Concilia dicunt, exemptionem Clericorum *in personis, & rebus*, intelligendi sunt de exemptione in his tantum, quæ verè spiritualia sunt; nulla illis exemptio per eos textus concederetur: non in causis merè temporalibus, ut volunt contrarij; non etiam in causis lege solum humanâ annexis ipsis verè spiritualibus, ut vult objectio; non denique in merè spiritualibus, ut rectè notat Barbosa l. 2. de Jure Ecclesiastico, c. 39. §. 2. n. 6. & aptud cum Covarruvias, Molina, & alij: & sic probatur: quia ab ejus potestate non potest quis dici exemptus quoad certam materiam, quando talis Superior nunquam accepit jurisdictionem; vel potestatem disponendi, vel præcipiendi, aut ligandi in tali materia; sed Principes laici nullam unquam potestatem, vel jurisdictionem acceperunt disponendi, vel præcipiendi, aut ligandi in verè spiritualibus; neque Clerici unquam illis in his subjecti fuerunt; ergo exemptio à jurisdictione laicorum Principum, quam summi Pontifices, & Concilia asserunt competere Clericis jure divino in personis, & rebus suis, non potest exponi *de rebus verè spiritualibus*; argum. c. quod autem, de Jure Patronatus ergo etiam in his, quæ non sunt verè spiritualia, sed tantum annexivè talia, quantumvis annexionem habeant, lege tantum humanâ, jure divino exempti sunt à jurisdictione Principum laicorum. Et ita docet Barbosa *cit. n. 5.* ac apud etiam Complures alij, quos inter Layman in Summa l. 4. tit. 9. c. 8. n. 1. Sanchez *Consil. moral. l. 3. c. 4. D. 55.* Marta de *Jurisdic. p. 2. c. 6. &c.* Major videtur ex se clara, non enim

enim dicitur, *proprie loquendo, exemptus à lege in certa materia per aliquam juris dispositionem*, nisi eâ seclusâ eo ipso esset ei subiectus in tali materia; atque aded, nisi is, à cuius lege exemptus dicitur, acceperit jurisdictionem in eum etiam in tali materia, saltem generaliter. Min. etiam prob. 1. ex c. *ad dissolvendum, de desponsat. impub.* ubi sub nullitate actorum inhi- betur Judici laico, ne quid in iudicio circa sponsalia, vel matrimonium puellæ, de qua ibi, attenterur; 2. in c. *Ecclesia s. Maria*, de quo supra; item c. *In novo, dist. 21.* ubi expressè dicitur, potestatem in his, *quæ ad potestatem clavium pertinent*, Christum dedisse Petro, & legitimis Successoribus ejus. Et ratio est, quia potestas disponendi in his, quæ supernaturalia sunt, & suapte naturâ in finem supernaturalem ordinantur, potestas supernaturalis est, non cadens in Laicos; sed quæ verè spiritualia sunt, hanc supernaturalitatem habent; ergo.

646. Ex hoc colliges, exemptionem, quam Sacri Canones, & Concilia dicunt, *esse juris divini*, necessariò intelligendam esse etiam de his, quæ, licèt in se temporalia sint, jure tamen humano, & Ecclesiastico evadunt spiritualia per annexionem; sed talia sunt Ecclesiæ, personæ Ecclesiasticæ, & eorum bona, consequenter omnes causæ, quæ illa concernunt, ut constat ex iuribus hæcenus allatis, quibus eximuntur penitus ob omni jurisdictione Laicorum; ergo. Ma. pat. nam illa exemptio, quam contrarii volunt cadere *in sola spiritualia*, necessariò cadere debet vel *in sola spiritualia verè*, ac intrinsecè; vel *in sola spiritualia annexivè*, ac extrinsecè talia, vel *in ambo*; postremum non concedunt, ut patet ex n. 643. primum etiam dici non potest; ergo necessariò cadit in secundum, id, quòd intendimus. Et huc respexisse videtur Trid. *Supracit.* quando *sess. 25. c. 2.* Principes laicos hortatur, & monet, ne Præsides, & Magistratus sibi subordinati, Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem, *Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam* aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliquâ violent. Ubi pensanda sunt verba: *Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam*; quo clare innuitur, ea *Dei ordinatione* extra Lai-

corum jurisdictionem esse posita, quæ *canonicis sanctionibus* ad Dei cultum, ac animarum salutem ordinata sunt. Et ideo, etsi beneficia Ecclesiastica sint de jure humano; cum solum extrinsecè, ac annexivè spiritualia sint; meritò tamen negatur hæc consequentia: *ergo illorum venditio* (si fumantur formaliter) *non est prohibita de jure divino.*

Dices. 3. licèt in c. *Sylvester*, 11. q. 1. dicatur, vacandò Clericos ad forum Laicorum, *agi contra leges divinas, & publicas*, tamen ibi *forum non stat pro loco iudicii*; sed *pro statu libertatis, & conditione personæ*; cum enim Clericis, de quibus ibi, vivente adhuc Manumissore, divinis ministris addictis, postmodum à filiis, & hæredibus Manumissoris) adjuvante quodam Archidiacono) moveretur quæstio *status*, ut *in servitutum reducerentur*, veniendò contra voluntatem defuncti, qui eos manumisit; requisitus Gelasius Papa respondit: id esse *contra leges divinas, & publicas*; cum illis auferretur, quod ipsorum est; ergo exemptio Clericorum à foro judiciali non est juris divini. *æ. ibi non tantum agi de statu, & conditione personæ*, sed etiam *hereditate*, quam dictis Clericis, vi legum, auferre volebant hæredes defuncti, qui eos manumisit; cum autem legitimè manumissum reducere in servitutum sit *contra leges publicas*; & suis bonis privare Clericos, *contra divinas*, meritò textus intelligendus venit non tantum de statu, seu conditione personæ, sed etiam judiciali foro; quia propter eam causam, adjuvante quodam Archidiacono, ad Actorum iudicium pulsabantur, seu vocabantur, Archidiacono propterea putante, *forum suum* auferri in eorum iudicio. Agebatur ergo de foro Archidiaconi, quod utique iudiciale est.

Confirmari hoc totum potest ex c. *Continua*, 11. q. 1. & c. *Futuram* 12. q. 1. ubi referuntur verba Constantini Imperatoris, in Synodo Niccena, ad querelam Clericorum, qui à iudicibus laicis indebitè, ac iniquè in iudicium vocabantur, palam profitentis: *Vos à nemine dijudicari potestis; quia solius Dei iudicio reservamini: Dij enim vocati estis; & idcirco non potestis ab hominibus iudicari*; ita pi-  
entissimus



entissimus Princeps; ubi nota tō à nemi-  
ne, & Dei solius iudiciō.

649. Advertendum tamen meritō, hanc, &  
similes leges Cæsareas pro immunitate  
Ecclesiastica, & in favorem ejus promul-  
gatas, non esse, nec fuisse institutorias  
(nam divinā lege illam Clerici habent, ut  
diximus n. 640.) sed tantum subsidiarias.  
Et ideo ipse quoque Fridericus Imperator,  
ut retulimus n. 617. decretum suum, quo  
statuit, ut ne in questione civili Ecclesia-  
stica persona ad iudicium sæculare traha-  
tur, expressè addit contra publicas, &  
canonicas sanctiones; cum illæ in his, &  
istæ in divino jure fundentur. Unde Jo-  
annes Papa in c. Si Imperator, dist. 96.  
ea, quæ in Ecclesiasticis constituta sunt,  
vocat dispositionem cælestis ordinis; &  
propterea hortatur laicos Principes, ne si-  
bi vendicent alienum jus, & ministerium,  
quod alteri deputatum est, ne contra eum  
tendant, abrumpi, à quo omnia constituta  
sunt &c. non legibus publicis, non à pote-  
statibus sæculi, sed à Pontificibus, & Sa-  
cerdotibus omnipotens Deus Christiana re-  
ligionis Clericos, & Sacerdotes voluit or-  
dinari, & discuti; quo satis clarè innui-  
tur, exemptionem Clericorum, à jurisdic-  
tione Principum, & Magistratum sæcu-  
larium esse divini juris non tantum in his,  
quæ verè, ac in se; sed etiam, quæ an-  
nexivè tantum spiritualia, & Ecclesiastica  
sunt. Plura super his videri possunt apud  
Barbof. l. 1. Juris Eccles. c. 39. §. 2. præ-  
sertim à n. 153.

650. Ex dictis colliges, quid dicendum ad  
quæstionem, an valeat statutum Laico-  
rum, prohibens subditis, alienari bona  
immobilia in Ecclesias, vel Ecclesiasticas  
personas? Not. autem, dupliciter fieri pos-  
se talem legem, vel statutum. 1. generali-  
ter, ne liceat bona immobilia vendere ex-  
traneo, seu non subdito. 2. specificè, ut  
non liceat ea vendere, vel alio modo alie-  
nare in Ecclesias, vel personas Ecclesiasti-  
cas; his præmissis: Potissima quæstio est  
de statuto specificè prohibente talem alie-  
nationem in personas Ecclesiasticas. Com-  
munis Canonistarum sententia est, ejus-  
modi statutum irritum esse. Nam statu-  
ta Laicorum, quæ sunt contra immunita-  
tem Ecclesiasticam, irrita sunt, defectu  
potestatis in statuente; at statutum, tem-  
porale dominium obrinentium, interdici-

ens subditis, ne Prælati, aut Clericis,  
seu personis Ecclesiasticis quicquam ven-  
dant, aut emant aliquid ab eisdem, vel  
communia obsequia exhibeant, est contra  
immunitatem Ecclesiasticam (ut apertè di-  
citur in c. fin. de Immunit Eccles. ibi: cum  
talia in derogationem libertatis Ecclesia-  
stica præsumantur) ergo. Ma. prob. quia  
nulla datur legitima potestas statuendi,  
quod jure divino, & humano est illicitum;  
sed quod est contra immunitatem  
Ecclesiasticam, jure divino, & humano  
est illicitum, ut hactenus ostensum est. 2.  
quia in cit. c. fin. contra taliter statuentes  
imponitur excommunicatio latæ senten-  
tiæ, quæ supponit essentialiter factum gra-  
viter illicitum; ergo.

Dices. 1. eo loco non fieri mentionem  
de prohibitionem vendendi Clericis immo-  
bilia. & nullam fieri mentionem expres-  
sam; fieri tamen implicitam; ibi: ne Cle-  
ricis quidquam vendant. Deinde esto  
non fieret ibi expressa mentio de alienatio-  
ne immobilium; satis est, quod contine-  
atur sub mente, & intentione Legislato-  
ris, quæ ex causis, quibus movetur, &  
aliis circumstantiis sufficienter intelligitur.  
Quia mens, & ratio Legislatoris est ani-  
ma legis, L. Scire, ff. de Legibus & L. non  
dubium 1. C. eod. junctà gloss. V. Ample-  
xus. Quod autem Pontifex sub illis ver-  
bis, quibus statuit excommunicationem  
latæ sententiæ in Laicos, qui statuunt, ne  
Clericis quicquam vendatur, intendat  
comprehendere illos etiam, qui prohi-  
bent iis vendi bona immobilia, patet ex  
ejus ratione, ibi: cum talia in derogatio-  
nem libertatis Ecclesiastica præsumantur.  
Ex hoc colliges: erroneum esse, constitu-  
tiones Pontificum in Jure Canonico velle  
restringere solum ad casus in illis specificè  
expressos, ubi constat de mente Legislato-  
ris universali in ea materia. Quia non om-  
nes casus specificè possunt exprimi. L.  
neque, L. Non possunt, ff. de legibus. sed  
sufficit, eos comprehendere sub mente Le-  
gislatoris, & intentione; cum hæc potius,  
quàm verba sint attendenda, L. Scire,  
& aliud, ff. de excusationibus Tutorum,  
ibi: sed etsi maximè verba legis hunc ha-  
beant intellectum, tamen mens Legislatoris  
aliud vult.

Dices. 2. cum in textu expressè dicatur,  
quod talia præsumantur in derogationem  
liber-

libertatis Ecclesiasticæ; satis innuitur *in re* non esse talia; sed tantum præsumi, quod sint talia. Verum *ly præsumantur* ibi non facit illum senium, quem intendit objectio; sed solum explicatur, quam firmiter Ecclesia judicet suæ libertati derogari, consequenter constituatur præsumptio juris de jure, contra quam non admittitur probatio; cum ex ejusmodi Laicorum statutis positus, liquido colligatur animus, Clericorum, & Ecclesiarum immunitatibus derogandi. Confirmari potest responsio data. 1. quia in rubrica cit. *c. finalis* habetur, quod *omnes Domini temporales, prohibentes subditis, ne cum personis Ecclesiasticis contrahant, vel communia obsequia exhibeant, ipso facto excommunicationem incurrant.* Certum autem est, prohibito genere, prohiberi etiam quamlibet speciem; sed *c. fin.* sub excommunicatione prohibetur *in genere* quodvis statutum Laicorum prohibens subditis, *aliquid vendere* Ecclesiasticis; ergo etiam prohibetur sub excommunicatione statutum Laicorum, *in specie* prohibens subditis, immobilia vendere Ecclesiasticis.

653. Confirmatur. 2. ex gloss. in *c. finale*, ubi dicitur: *nota, quod prohibitio directæ ad subditos, ex qua indirectè præjudicatur Clericis, quoad ipsorum libertatem, non teneat.* Quidquid autem est, quo in effectu violantur non tantum privilegia Clericis concessa Jure Canonico, vel civili, sed ea etiam, quæ ipsis competunt jure divino, seu naturali, & gentium, illisque communia sunt cum aliis membris Reipublicæ, etiam Laicis, dicitur contra illorum libertatem; sic Pirhing *de constitutionibus*, n. 92. *q. ex dictis*; & colligitur ex n. 637.

Confirmatur 3. quia *c. Novit.* & *c. gravem, de sent. excom.* generaliter excommunicantur, *ipso facto*, omnes, qui statuta fecerint contra Ecclesiæ libertatem, vel secundum illa præsumperint judicare, vel jura Ecclesiæ auferre conantur, vel gravamen aliquod, seu onus ei imponunt, ut notat, glossa *ibid. v. Ecclesiæ.*

Confirmatur 4. ex *c. ult. de rebus Eccles. non alienand.* desumpto ex Concilio Lateranensi, ubi generaliter decernitur, quod *Laicis de rebus Ecclesiæ disponendi nulla sit attributa potestas*; consequenter defectu potestatis irritum esse, quod

Laici statuunt in præjudicium Ecclesiæ.

Confirmatur 5. ex Sylvestro *in Summa v. Statutum*, qui q. 2. ait, quod statutum Laicorum prohibens, *ne quis vendat Clericis, vel emat ab eis*, quia est in præjudicium Clericorum, & eos indirectè tangit, *non excusat ab excommunicatione lata in c. fin. de immunit. Eccles. in 6. v. Dianam p. 6. tr. 3. resolut. 6.*

Ad eam porro quætionem, *an bonis temporalibus Ecclesiasticorum, potestate Laica imponi possint onera, tributa, & similia*; & ante resolutionem notandum, tributum vel onus aliud esse, quod rebus inest, ac incumbit, antequam transeant in Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas; aliud, quod rebus imponitur primò, cum jam sunt sub potestate Ecclesiæ; vel dominio Clericorum; deinde, onus illud posse esse vel certum, & invariable; vel incertum, & variabile; quibus positus: & bona Clericorum, quæ antequam ad illos pervenirent, habebant onus certum, & invariable, manere illi subiecta, etiam cum sunt in dominio Ecclesiæ, & Clericorum. Quia sic ex pacto Clericorum debetur illud onus, cum sic onerata, & non aliter transeant in Clericos. Nam utroque jure res cum suo onere transit, *c. cum non sit, de decimis, c. Ex literis, de pignor. l. alienatio, ff. de contrahendis empt. & vendit. & l. Si divina, c. de Exactoribus tributorum*: secus est, si priusquam transfirent ad Ecclesiam, non erant subiecta oneri, vel tributo certo, & invariabili; ita in terminis Azor *p. 1. l. 5. c. 13. q. 1.* quia sic exerceretur jurisdictio gravando rem, dum non est subiecta.

Verum his objici potest communis praxis in multis regnis, & provinciis, in quibus talia statuta facta sunt, & observantur. Verum, non quid factum sit, sed quid fieri debeat, spectandum est, neque exemplis est judicandum, *l. Sed neque, ff. de officio Præsidis, junct. gloss. marg.* Nec juvat, quod Pontifex talia statuta sciat, & toleret; quia per hoc non rectè præsumitur tacitus ejus consensus, cum jure contrarium sit expressum; & tum summi Pontifices, tum Concilia generalia dudum ea reprobaverint. Profectò, si quælibet dissimulatio dissimulata faceret licita, multa illicita forent licita. *Multa enim per patientiam tolerat Ecclesiæ, quæ non*

non approbat, ut ait Pontifex, c. *Cum jam dudum de præbendis*, quod maxime fit in his, quæ prohibita sunt sub pœna excommunicationis, ad vitanda schismata, & alia gravia mala, quæ meritò timeri possunt. Unde sequitur, si bona prius, quàm constitutum fuisset jus laudemij, vel simpliciter, vel in tali quantitate, venerunt ad Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas, illa deinceps immunita esse, & non posse gravari onere pendendi laudemium, statutò Laicorum; ratio sumitur ex dictis *in præced.* idem autem est de aliis novis oneribus, vel tributis, quibus, antequam ad Ecclesiam, Monasterium, vel personas Ecclesiasticas pervenirent, gravata non erant; quia postquam pertinent ad Ecclesiam, sunt extra jurisdictionem Laicorum; & solum ratione pacti, quo acceptando bona prius gravata, consenserunt in gravamina certa, & invariabilia illis annexa, ad ea tenentur.

## §. IX.

*Resolvuntur argumenta contraria.*

656. **P**Otissimæ rationes in contrarium nituntur convincere, *in rebus merè temporalibus*, etiam Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, potestatem esse penes Principes sæculares, in quorum ditione sunt; & exemptionem Ecclesiasticam non cadere in alia, nisi quæ verè *spiritualia* sunt, ut diximus n. 643. Verùm ex dictis hæcenus satis probatum est, Magistratum sæcularem (quicumque sit) nihil disponere posse, ut staturè, circa Ecclesias, aut personas Ecclesiasticas, earumque bona; nec de rebus, vel juri-bus sacris, seu *spiritualibus*, etiam *annexivè solum talibus*, ut rectè docet Layman, c. *Quæ in Ecclesiarum*, 17. h. t. n. 13. *ne quidem ex plenitudine potestatis*; cum super his illi nulla omnino facultas concessa sit à Deo immediatè, vel mediatè, ut dictum est à n. 634.

657. Sed dices. 1. Magistratus laicus ob *urgentem aliquam causam* statuere, vel discernere potest aliquid cum præjudicio, seu *diminutione juris* aliorum; ergo etiam ex eadem causa gravi, cum præjudicio Clericorum in *temporalibus*, v. g. ne bona immobilia Ecclesiasticis personis vendantur; pat. consequentia, quia in his, quæ ex li-

bertate Ecclesiastica vergunt in grave præjudicium totius Reipublicæ, & boni publici, libertati Ecclesiasticæ præferri debet bonum publicum; sed si ob libertatem Ecclesiasticam invalidum esset statutum Laicorum, ne bona immobilia alienari possint in personas Ecclesiasticas, grave fieret præjudicium Reipublicæ, & bono communi. Nam si bona immobilia transeant ad Ecclesias, de jure sunt exempta ab omnibus exactionibus, & collectis, quæ prius illis à Magistratu imponi poterant ob communes necessitates, c. *non minus*, & c. *adversus*, de *immunit. Eccles.* & c. 1. eod. in 6.

658. Ante responsonem not. nullum Magistratum posse statuendò, aut decernendò, *absque justa causa* jus suum aliis auferre; cum ideo constitutus sit, ut *jus subditis reddat*, & *justitiam colat*, ut colligitur ex L. *penult. C. de precibus Imperatori offerendis*, ubi dicitur: *rescripta Principis contra jus elicita*, & *quibus alius leditur, nullius roboris esse, nec à Judicibus recipienda*; intellige, si talia rescripta non contineant clausulam, quæ rescribens exprimat, esse intentionis suæ, ut id, de quo rescribit, procedat, non obstante jure tertij. Tunc enim meritò præsumitur id facere ex justa causa. Ratio hujus est, quòd omne rescriptum gratiæ, procedens à Principe, habeat hanc tacitam clausulam: *salvo jure alterius, vel sine alterius præjudicio*, ut dicitur L. *Ex facto*, 143. ff. de *Vulgar. substit. L. 2. §. Si quis à Principe*, ff. *ne quis in loco publ. c. Super eo*, 15. de *offic. delegat.* ibi: *volumus discretionem tuam tenere, quòd, licet quæstionem, quæ de præsentatione vertitur, committamus alicui terminandam; non tamen est nostræ intentionis, diæcesis Episcopo, Archipresbytero, vel Archidiacono præjudicium generare*; ideòque præsentandus est illi, qui instituendus fuerit. Ubi vides, facultatem concessam ad terminandam quæstionem, *cujus sit præsentare?* non extendi in præjudicium ejus, cui est *presentandus*. Nam delegatus Judex ut pronuntiet, aliquem esse instituendum, non propterea potest ipse illum instituere, ut notat Barbosa in cit. c. *Super eo*, n. 2. causam reddens ibid. V. *præjudicium generare*, quòd Papa nunquam intendat

tertio præjudicium etiam minimum inferre; intellige, *nisi exprimat, justâ causâ id exigente.*

659. Not. 2. Principem ex justa causa, publicam utilitatem concernente, posse juri sui subditi præjudicare, seu jus illi suum auferre, ac alteri dare; sic Doctores communiter ex Jafone in *L. Barbarius, de offic. Prætor. n. 24.* Baldo *L. 2. C. de servitut. & aqua &c.* Nam bono publico (cùm sit universalius, & natura dicitur, præstare, conservari totum, cum præjudicio partis) cedere debet bonum privatum; quod intellige, si certò constet de tali Principis voluntate. Nam in dubio id nunquam præsumendum est, propter dicta *n. priori*; & constat ex *cit. L. 2. §. Si quis*; item *c. Ex tuarum, 5. de authorit. & usu pall.* ubi Archiepiscopo Campostellano ex speciali gratia conceditur, *extra suam* in aliena Ecclesia uti pallio, *non tamen, nisi is, ad quem pertinet talis Ecclesia, id permittat.*

660. Not. 3. non posse admitti doctrinam eorum Legistarum apud Baldum in *cit. L. 2. n. 40.* docentium, quòd *plenitudo potestatis*, quâ pollet Princeps, *sit arbitrij plenitudo, nulli necessitati subjecta nullisq; juris publici legibus limitata*; & infra: quòd, cùm in Principe sedes libertatis sit, & non sit obligatus ad aliquid, *possit præferre minus æquum, magis æquo*; & *magis bono, minus bonum*; consequenter *eligere, sicut placet.* Hæc enim doctrina destruit omnem justitiam, & honestatem; ac Principem eximit à lege naturæ, dictamine rectæ rationis, vel legis æternæ, quod nulla auctoritas potest; his præmissis:

661. Ad object. in *n. 657. R. C. ant. si loquatur de supremo Magistratu; & jure subditorum, in quo illi subjecti sunt*, N. consequentia Clerici nec in persona, nec in bonis suis Principi laico subjecti sunt, ex *dict.* Unde, si dicas: *ergo nullatenus sunt subditi.* R. cum distinctione: *ergo nullatenus sunt subditi, nimirum sicut reliqui cives laici, C. Sicut cives, sed simul Clerici,* N. nam ipsi Legistæ fateri debent, *hos non ita, sicut illos*, subjectos esse Principi, in cujus territorio degunt. Sunt tamen ei in hoc subjecti. i. ut, si bona temporalia possident, quæ antequam ad Personas Ecclesiasticas transiverint, erant subjecta o-

neri certæ, ac determinatæ contributionis, aut servitutis &c. etiam postquam ad eas transiverint, ab his suo Principi præstari debeant, ut diximus *n. 655.* Deinde, quòd, si Princeps legem ferat, in bonum gubernationis politicæ, cujus executio ex objecto non est onerosa, nec dedecet statum Ecclesiasticæ personæ, ad eam observandam obligentur in vi juris naturalis, ac divini, ut exposuimus à *n. 620.*

Ad prob. negatæ consequ. in *n. 657. R. 661.* cum distinctione majoris juxta dicta in *n. super.* libertati Ecclesiasticæ præferri debet bonum publicum, *in quibus ratio boni publici, jurisdictionem habet fundatam, seu præexistentem*, C. ma. secus, N. maj. & sub eadem dist. min. Nec ex eo, quòd, ubi bona immobilia transiverunt in Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, fiant exempta, & novis oneribus potestate Magistratûs laici amplius gravari non possint, legitime inferitur, *quòd ratio boni publici habeat præexistentem jurisdictionem*, excludendi Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas ab acquisitione talium bonorum. Nam hoc, quod allegatur, nullum omnino præjudicium majus (imò nec tantum quidem, quin in rei veritate, nec ullum) generatur, quàm si ad eos non transeant. Ratio hujus manifesta est. Nam. 1. onera realia, quibus antè affecta fuerant, etiam ubi facta sunt Ecclesiastica, eadem omnino, Princeps, vel Respublica, & fidelius, & exactius, & citius communiter percipit, quàm si possideantur à Laicis; qui communiter & solvunt segnus, & dissimulantur diutius; & in multis quandoque millibus remissionem obtinent, Ecclesiasticis etiam ad nummum ultimum adstrictis. Si autem sermo sit de contributionibus extraordinariis, & novis impositionibus, eas exigentibus communibus periculis, & gravi necessitate Reipublicæ, manifestum quoque est, longè fidelius, citius, & exactius fieri à statu Ecclesiastico, quàm Laico, rarò dante nisi multiplicato scenere in se redundante, &c. Ecclesia enim in ejusmodi necessitatibus benignissima est, & non modò largissima Principibus subsidia de bonis suis temporalibus largitur; sed indulget etiam, ut ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis collectas liceat exigere, ut experientiâ certum est. Quòd autem pro novis his imponendis oneribus requiren-

requirendus sit *consensus summi Pontificis*, quid detrimenti hoc affert bono publico, in tanta promptitudine indulgentis Ecclesiae, ubi vera ratio subest; cum & ipsi Laici super postulatis suorum Principum non statim annuant, & multis etiam deliberationibus habitis, tergiversentur, &c.

663. Dices. 2. quod potest quilibet privatus, multo magis potest per statutum, vel legem Princeps, vel Magistratus publicus; sed quilibet privatus licite, ac valide prohibere potest, ne sua bona immobilia transferantur in Ecclesias, Monasteria, vel personas Ecclesiasticas, ut patet in bonis emphyteuticis, & feudalibus; ergo. R. nec Principem, nec Magistratum *jure jurisdictionis* id posse circa bona immobilia subditorum, quod possunt ipsi subditi *jure dominij proprietatis*; quia illorum non sunt domini; ergo ex hoc; quod subditus, seu privatus pacto, vel contractu possit sic prohibere, *jure proprietatis*, non sequitur, quod id possit Magistratus per *statutum*; hoc enim non est actus dominij proprietatis, sed jurisdictionis.

664. Dices. 3. communis jam usus, & praxis obtinuit, ut Clerici puniantur, transgredientes statuta, & leges, quae Clericorum statum non dedecent, communesque sunt Clericis, & Laicis, & rectae, politicaeque gubernationi conveniunt. Sic, ubi lex civilis prohibet arma deferri noctu; vel ne quis sylvas, & nemora ingrediatur ad venationem &c. Clerico transgressori Judex laicus arma tollit, nec restituit, esto id intendat Judex Ecclesiasticus, ut docet Julius Clarus *l. 5. receptorum sentent. §. fin. q. 35. n. 26.* Similiter, cum imponitur contributio pro reparatione viarum, pontium &c. vel si quae alia exigantur, v. g. reddant rationem talis facti, sistant se tali Tribunali, Clerici non parentes puniuntur à Judice saeculari, vel per apprehensionem bonorum; vel interdictio fructuum ex bonis beneficij &c. ergo Clerici non sunt exempti à jurisdictione etiam coercitiva Judicis laici quoad leges, de quibus in *object.* Et ita practicari in multis Provinciis, constat.

665. Sed R. à nobis hic non requiri, *quid fiat?* at, *quid fieri debeat*; nec enim omnis usus, praxis, & consuetudo vim habet

Tom. I.

*abolendi legem*, quae certi quidam actus prohibentur; & *inducendi jus* eos deinceps licite practicandi. Quid communius in mundo, quam mentiri, dolò agere, Judices corrumpi muneribus, violare passim legem etiam aeternam, amicitiam simulare in alterius detrimentum &c. neque tamen ex hoc unquam nata est, aut nasci potuit consuetudo *legitima*, quae inductum esset jus, eos actus circa culpam exercendi. Praxis porò, & consuetudo, Clericos, & personas Ecclesiasticas trahendi ad tribunal laicum, ac puniendi, omnino talis consuetudo est; ergo. Min. prob. quia consuetudo, quae legem pra-existentem abrogat; vel novum jus inducit, debet esse *rationabilis*; consequenter inducta per actus *non vitiosos ex objecto* (seu *non malos de se, nisi quia prohibiti sunt humana lege*) at illa consuetudo Laicorum Tribunalium non est talis; inducitur enim per actus *jure divino prohibitos*, ut constat à n. 640. & *vitiosos ex objecto*. Nam *jus dicere in non subditum* jure naturali vitiosum est, praesertim, si hoc fiat in invitum, ac justè reclamantem, & gravi metu coactum se subicere illorum potestati, ferè semper contra voluntatem, ac praeter omne mandatum supremi Principis, solà cupiditate lucri, & ampliandi dominatum, ut reverà fit in pluribus locis. Hinc not. *aliud esse*, quod in dato casu, quo personae Ecclesiasticae non observant illas Laicorum leges, de quibus in *object.* & similes, arma illis accipiuntur, ut servetur Civitatis indemnitas, vel damnum illatum reparatur; *aliud*, ut hoc fiat *in penam*: quo posito directè R. ad argum. in n. 664. Communis jam usus, & praxis, *ex ipso objecto vitiosa*, jam obtinuit, ut Clerici à Judice laico puniantur &c. C. communis usus, & *praxis legitima*, N. ant. & conseq. Usus autem vitiosus ex objecto, non parit consuetudinem, sed meram corruptelam, quae omnino inepta est, ut ejusmodi actus judiciales Laicorum contra Clericos justificet, ut ex se patet, & pluribus dicemus in *Tit. de Consuetud.* ergo. Neque per hoc fit, impunè licere, personis Ecclesiasticis agere contra leges communes, de quibus hic disputatio est; cum non careant Ecclesiastico, qui ad se delatos coercere possit; &

jure

Jure naturali teneantur observare, quæ postulat necessitas boni communis, juxta dicta à n. 620.

## ARTICULUS XII.

*De causis excusantibus ab impletione legis.*

666. **C**um ex variis, & sanè multiplicibus circumstantiis evenire possit, quòd lex non impleatur, puta ex ignorantia, oblivione, inadvertentia, eaque cum, vel citra culpam in nobis existente; item ex probabili opinione de non existentia legis, vel extensione ad casum præsentem in datis circumstantiis; ex periculo imminentis damni, si hìc & nunc lex observetur; ex gravi difficultate, quam affert, &c. in sequentibus breviter de his causis dicendum venit.

### §. I.

*An inculpabilis ignorantia legis, ejus observantiam excuset à culpa?*

667. **I**gnorantia inculpabilis est, quæ illam patienti nec directè, nec indirectè per ullum culpabilem actum antecedentem est voluntaria. Hinc Doctores, si vinci non possit à patiente illam, vocant eam justam, invincibilem, probabilem. Dicitur, *invincibilis*, quia etiam adhibitâ debita diligentia, ut obtineatur notitia rei ignoratæ, vinci non potest; dicitur *justa*, & *inculpabilis*; quia datur in nobis independentè à nostra voluntate, culpabiliter illam inducente v. g. per neglectum diligentia debita pro casu, quo lex, quæ ignorari dicitur, potuisset, ac debuisset à nobis sciri. De ista quæstione in c. *Cognoscentes, de constitutionibus*, & c. *Ut animarum, eod. in 6.* dicitur, quòd *sententiis, per quorumcunque Ordinariorum statuta prolatis, ignorantes non obligentur, dummodo eorum ignorantia crassa non sit, aut supina.* Ubi, licèt Pontifex loquatur ex professo de censuris per statuta promulgatis, quas vult non incurri ab ignorantibus statuta talia, nisi ignorantia sit crassa, & supina; indefinitè tamen communiter accipitur de ignorantia cuiusvis legis etiam non pœnalis, ut consta-

bit ex seqq. Contingit autem fieri aliquid cum ignorantia crassa, & supina, si alicui venit in mentem rationabiliter dubitare, num opus aliquod sub Ecclesiastica censura prohibitum sit? & nullâ, vel vix ullâ inquisitione factâ, illud tamen facere aggreditur. Sic Layman in *cit. c. ut animarum*, n. 1. qui extendit etiam ad casum ignoratæ censuræ annexæ actui, per statutum prohibitum; cum dictus Canon contineat beneficium juris, quod habet amplam interpretationem; quibus positis:

668. Universalis doctrina est, quòd ignorantia inculpabilis, & invincibilis operantem aliquid, materialiter malum contra legem ignoratam, *in foro conscientie excuset à culpa*, seu transgressione *formaliter imputabili ad culpam*; nam hoc requirit; quòd sit *libera transgressio legis*; quod non stat sine cognitione, atque aded cum ignorantia legis. Certum enim est, nihil, quod non est voluntarium operanti, esse peccatum illi imputabile; hæc enim propositio (quam docuit Bajus, & ex illo Jansenius) *ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium*, damnata est à Pio V. Greg. XIII. & Urbano VIII.; voluntarium autem stare non potest cum ignorantia; ergo nec ratio culpæ, vel peccati ad culpam imputabilis operanti. Non sufficere autem ad culpam formaliter imputabilem *quodcumque voluntarium*, sed requiri voluntarium *liberum à necessitate*, non minus certum est, ut aliàs tradidi in *tract. Theolog. de gratia*. Et ideo hæc propositio Bajana, ordine 67. (*homo damnabiliter peccat in eo, quòd necessario facit*) quem secutus est Jansenius, pariter damnata est ab Innocentio X. Hinc D. Augustinus *tract. 89.* quærens: *utrum ij, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo?* respondet, *habere excusationem, non de omni peccato suo; sed de hoc peccato, quòd in Christum non crediderunt, quia sic ejus cognitionem non habuerant.*

669. Not. autem, ad rationem *culpæ, formaliter imputabilis*, non sufficere, quòd opus, seu actus, quem quis facit, *in se operis*, seu actus præcisè, sit illi voluntarius; sed requiri, ei voluntariam esse *malitiam operis*, seu esse voluntarium *in esse*

esse peccati; aliàs, quoties aliquis facit opus in re malum, invincibiliter ignorans illud esse in re malum; imò, per errorem existimans, esse bonum, non excusaretur à culpa formaliter imputabili, modò illi opus tale in esse operis sit voluntarium, esto nullam omnino cogitationem, vel notitiam habeat, esse prohibitum, aut aliquà ratione malum; quod tamen est certò falsum. Hinc collig. quamlibet ignorantiam legis in foro conscientiae excusare à culpa *formali* contra legem ignoratam *secundum rationem ignorati mali*, quam aliàs contraheret *scienter contraveniens* illi legi. Nam *formalis culpa* non stat sine libera transgressione legis; at libera transgressio legis petit eam fieri cum cognitione legis, quæ non habetur, ubi adest ejus ignorantia, qualiscunque ea sit; cum importet vel privationem cognitionis de oppositione actus cum lege, vel iudicium falsum; id, quod magis explicabitur *infra, & in seqq.*

670. Dices: ignorantia crassa, & supina non excusat, à censuris per Ordinarium statuta latis; ergo nec à culpa; cum censura supponat culpam; ant. constat ex n. 667. ubi id habetur apertè. Deinde communis doctrina est, quòd ignorantia vincibilis, & culpabilis non excuset à culpa; ergo sustineri non potest ad eò *indefinitè*, quòd quælibet ignorantia excuset à culpa contra legem ignoratam. Sed si attendantur verba illius corollarii, hæc obiectio non urget. Nam id, quod affertur in object. ex c. *cognoscentes*, & c. *Ut animarum in n. cit.* procedit solum *in foro externo*; quia talis præsumitur non ignorasse, saltem periculum culpæ. Qui enim agit contra legem cum ignorantia crassa, & supina, temerè se committit periculo agendi contra Ecclesiasticæ censuræ prohibitionem; ita Suarez *D. 4. de Censuris, S. 9. n. 19.* Hinc talis ignorantia est virtualis contemptus legis, ut ait Layman *loc. cit.* quamvis opponatur fraudi, ac malitiæ, quæ requirit scientiam, & propositum circumveniendi, saltem virtuale, ac implicitum, ut notat cit. Layman in c. 20. *de rescriptis, n. 2.* Et ideo, si *supinè* ignorans statutum, cujus transgressio annexam habet censuram, agit contra tale statutum, esto peccaverit contra legem, vi cujus tenebatur impendere diligentiam,

ut, antequam operaretur, inquireret, num sit, vel non sit aliqua lex, vel statutum prohibens illam operationem; non tamen peccavit contra statutum prohibens actum, v. g. *alienationem* sub censura; quia ponitur, quòd in eo nulla sit ejus notitia; sine quo talis operatio, v. g. *alienatio*, nequit esse libera transgressio statuti prohibentis *alienationem* sub censura. Non ergo tollit culpam, & peccatum *negligentia*; sed tantum culpam *malitia ignorate*.

Quod adducitur de ignorantia culpabili, à multis non bene usurpatur. Non enim semper actus materialiter malus habet *imputabiliter* malitiam oppositam virtuti, cujus finem intendit lex prohibens *realem actum*, v. g. *alienationem*; esto habeat malitiam oppositam virtuti, cujus finem intendit lex prohibens *negligentiam in inquirendo* super existentia legis prohibentis alienationem. Nam ignorantia dicitur *culpabilis* solum ex eo, quòd quis scienter negligat habere notitiam aliqujus rei, quando potest, & tenetur eam nosse. Ignorantiæ enim vincibilis culpa, seu malitia formalis consistit in negligentia comparandi scientiam ex præcepto debitam, cum hæc haberi potuisset; ita Vasquez *1. 2. D. 118. c. 3. ad. fin.* Certum autem videtur, quòd possit quis culpabiliter esse negligens in inquirendo, *num alienatio* v. g. quam exercere parat, *prohibita sit*; quin adsit ulla notitia legis prohibentis alienationem; ergo pariter certum videtur, posse peccari contra obligationem *inquirendi existentiam legis prohibentis*, quin peccetur contra obligationem *legis prohibentis alienationem*. Plura super hoc videri possunt *in seqq.*

671.

§. II.

*An ignorantia præcepti desinat esse invincibilis per habitualem, vel virtua-*  
*lem notitiam præcepti?*

Sanchez *l. 1. in Decalog. c. 16. n. 9. in* *S* fine docet; ex hoc, quòd quis habeat habitualem scientiam, seu notitiam præcepti, etiam perfectissimam, non tolli invincibilem ignorantiam præcepti; quia præceptum, *solum habitualiter cognitum*, impotens est ad influendum, seu dirigendam voluntatem; nam *habuisse perfectissimam*

672.

Etissimam scientiam præcepti *si modo non adsit*, perinde se habet ad voluntatis directionem, dum operatur, ac si nunquam fuisset. Similiter ad tollendam invincibilem ignorantiam legis, aut præcepti, nec sufficit *scientia virtualis præcepti*; quæ tunc adesse, secundum Doctores, dicitur, quando, licet ratio, cum actu non impletur præceptum, non consideraverit obligationem, aut malitiam objecti, potuit tamen morali potentiâ, vel debuit posse considerare; ita Sanchez *n. 21.* Joseph. Rosell. *de praxi deponendi conscientiam c. 6.* Cum enim virtualis scientia præcepti explicetur *per debitum sciendi*; hoc autem, licet in re foret, influere non possit, ubi est defectus actualis cognitionis illud experimentis, rectè sit, per illam invincibilem ignorantiam præcepti, non tolli, seu auferri; Sic P. Thomas Sanchez *cit. n. 28. circa medium n. 24. circa finem: & n. 21. per totum.*

673. Ex hoc sequitur, ad tollendam invincibilem ignorantiam legis, aut præcepti, necessarium esse, ut actualis aliqua cogitatio, moralem obligationem, vel malitiam, certò, probabiliter, aut dubitanter exprimens, eo tempore, quo debet præceptum implere, in mentem venerit. Si enim eâ non veniente tunc in mentem immemor juris, vel facti, præceptum quis transgrediatur, transgressio invincibilis erit, & naturalis, absque omni peccato, defectu libertatis; quia in tantum aliquid est liberum, in quantum actualiter præcognitum; sic P. Henricus Herdineck in *M. S. de Legibus*, Vir timoratus, & in moralibus eximie doctus; & sequitur ex doctrina P. Thomæ Sanchez supra *cit.* Hinc ignorantia præcepti, vel malitiæ in actu, tamdiu manet *invincibilis*, quamdiu nulla talis cogitatio in mentem venit; non autem secus, si is, cui talis cogitatio in mentem venit, voluntariè tunc negligat investigare veritatem, an actus, quem exercere vult, laboret morali vitiò, aut suppositus sit legi; eum hinc & nunc prohibenti. Ratio primæ partis est; quia nullâ tali cogitatione, operanti veniente in mentem, non est, unde ignorantia illa antecedens, & invincibilis, evadat culpabilis ex negligentia voluntaria inquirendi scientiam debitam; cum ponatur non adesse ulla cogitatio exprimens obligationem

inquirendi, vel existentiam præcepti, aut malitiæ in actu; ex quo in oppositum colligitur ratio secundæ partis. Et ita quoque sentire videtur Terillus *q. 63. Reg. mor. assert. 4.* dicens: hominem non peccare peccato *ratione sui formaliter imputabili*, si nulla actualis advertentia, nec specialis, nec confusa talis malitiæ præcesserit, aut saltem dubitatio, vel scrupulus; & quamvis *num. 60.* dicat, eum, qui de præfenti non cogitat, sed ex culpa præterita non retractata in hanc incogitantiam devenerit, peccare; negat tamen, *peccare novâ malitiâ, & imputabilitate*; sic ille prout citatur à P. Thoma Muniessâ in *Stimulo Conscientiæ, stimulat. 3. de Conscient. errante*, §. 15. *n. 135.*

Hanc Terilli sententiam laxitatis arguit Muniessâ *cit. q. 15. d. n. 148.* pro quorité intelligendo, sit casus, quem ponit ipse Muniessâ *cit. n. 135.* Titius negligit ex culpa mortali addiscere præcepta Decalogi, sciens obligationem addiscendi; & deinde ignoret, *mendacium*, aut *perjurium* pro bono proximi; vel duellum, & vindictam, à Deo prohiberi, imò errans existimet esse licita, & honesta; sicque ignorans mentiatur, pejeret, & ulciscatur sine actuali scrupulo. In isto casu Muniessâ videtur, sequi, ex Terilli sententia, ejusmodi mendacia, perjuria, duella, & vindictam, esse quidem peccata ex ignorantia culpabili; & talia denominari à causa sua peccaminosa (nempe culpabili negligentia præcedente) non retractatâ per pœnitentiam, quamvis sine actuali advertentia, & scrupulo prohibitionis fiant; non tamen habere *specialem imputabilitatem ad novam culpam (contradistinctam à culpa cause, in qua solum sit voluntaria) ratione cujus homini correspondeat nova pœna, distincta à pœna correspondente precedenti peccato negligentie addiscendi præcepta Decalogi*; id, quod Muniessâ reprobat, volens, *mendacium*, v. g. vel *perjurium* in tali casu non tantum habere malitiam *cause*, ex qua sequitur; sed etiam *malitiam mendacij propriam*, & oppositam veracitati, ut patet ex *cit. q. 15. n. 138.*

675. Rationes Muniessâ præcipuæ sunt sequentes. 1. in *n. 139.* quæ sic habet: cuncti Theologi supponunt cum S. Thom. 1. 2. *q. 76. & seq.* dari tria genera peccatorum,



rum, nempe ex ignorantia, infirmitate, seu passione, & malitia; sed ex dicta sententia sequitur, nullum dari peccatum ex ignorantia; probatur: si enim peccatum, sine ullo scrupulo secutum ex ignorantia, non habeat aliam malitiam, nisi malitiam causam (nimirum culpabilis negligentiam) ex qua sequitur, tota peccaminositas imputabilis sita est in peccato negligentiam precedentis ad ignorantiam; ergo non datur peccatum, seu malitia moralis, imputabilis, proveniens ex ignorantia; nam illa negligentia non est peccatum ex ignorantia; cum scienter, & antecedenter ad ignorantiam committatur.

676. Secunda ratio est in eod. §. 15. n. 140. Homo peccat imputabiliter contra legem toto tempore, quo exercet opus prohibitum, quin toto tempore advertat ad malitiam, & prohibitionem operis, quod facit, ut fatetur Terillus n. 33. *ibid. citatus*; ergo verè dici potest, & debet, hominem peccare toto tempore, quo liberè exercet opus oppositum legi, quam ignorat, quamvis in nullo instanti operis actu advertat ad malitiam, & prohibitionem; dummodo inadvertentia, error, sive ignorantia, quæ est causa operis, oriatur ex negligentia culpabili moraliter influente in opus, dum non retractatur per penitentiam.

677. Tertia est ejus ratio in n. 141. si verum est, neminem peccare, dum facit id, quod sine scrupulo, remorsuque conscientiam firmiter judicat esse honestum, excusarentur gravissima peccata obstinatissimorum hominum, imò & hæreticorum, qui eò suam culpam deveniunt, ut firmissimè judicent, sua opera esse honestissima, & suos errores esse veritates à Deo revelatas, & in eis pugnacissimè defendendis existimant, obsequium se præstare Deo.

678. Quarta demum in n. 142. si, ut homo peccet, debet actu advertere, se peccare, debet advertere, se advertere; sed certum est, hanc reflexionem ad peccandum non requiri; imò & quin actu pungatur dubio, aut scrupulo peccati: ergo non requiritur ad peccatum actualis cogitatio præcepti, sed sufficit præcedens negligentia, quæ culpabiliter prætermisit aliquid eorum, quæ debuit, ut sciret veritatem; ergo id, quod à nobis in superioribus di-

ctum n. 673. non subsistit. Sed ad hæc dicemus à n. 703. Hinc:

Antequam respondeamus ad prædicta, 679. not. 1. secundum aliquos duplicem esse ignorantiam vincibilem; unam crassam, quæ alio vocabulo etiam supina dicitur; aliam affectatam; hæc est ignorantia ex industria, & directè volita, ut, si quis studiosè vellet præcepta legis ignorare, quo quasi exlex liberius appetitui indulgeat, & vitiis vacet: illa est solum indirectè volita, quatenus homo ex negligentia, & desidia omittit, quod scire potest, ex qua negligentia, & desidia fit, quod ea ignoret. Rectius tamen datur media, quæ nec affectata sit, nec supina, & comparatur levissimæ juridicæ culpæ.

Not. autem. 2. hanc ignorantiam indirectè voluntariam dici culpabilem, quando ex tali negligentia ignorantur ea, quæ scire possumus, & tenemur; hinc si ex negligentia ignoremus ea, quorum sciendorum potentiam, at non obligationem habemus, illa ignorantia erit quidem vincibilis (quia vinci potuit, adhibitamque diligentiam obtineri scientia, per quam sublata fuisset) non tamen erit culpabilis; quia, ut supponitur, negligentia habendi scientiam eorum, quæ ignoramus, non est contra ullam obligationem ea sciendi, aut scientiam procurandi.

Not. 3. ut ignorantia sit, & rectè dicitur vincibilis, & simul culpabilis, tria requiri. 1. quod sit aliquo modo voluntaria, saltem indirectè, & in confuso. Nam sine hoc non stat ratio peccati. 2. quod homini fuerit possibilis diligentia sciendi, seu scientiam acquirendi, quæ ignorantia tolleretur; aliàs enim vinci nec posset, consequenter vincibilis non foret; nec culpabilis; quia in eo, quod mihi possibile non est, nulla culpa reperitur: 3. quod diligentia possibilis non fuerit adhibita sufficienter, pro exigentia rei, pensatâ qualitate tum ipsius, tum personarum; cum potuisset, & debuisset.

Ex defectu primæ conditionis fit; si, 682. nec circa rem ignoratam, nec circa obligationem sciendi est, aut fuit unquam cogitatio, dubium, vel scrupulus, ignorantiam non fore vincibilem, nec culpabilem, ut dictum est; idem dicendum venit ex defectu secundæ conditionis; nam licet

licet homini occurrat cogitatio de obligatione sciendi; si autem in ejus potestate non sit deligentia, per quam acquirat ignorantiam rei scientiam, & vincat ignorantiam, ei invincibilis est citra culpam. Ex defectu tertie conditionis similiter ignorantia carebit culpa, si vinci non potuit, seu scientiam obtinere per diligentiam adhibitam secundum posse, & debere. Hæc distinctio proportionaliter accommodari potest ad *actuale inadvertentiam, incogitantiam, & inconsiderationem*. Nam & hæc, ut vincibilis, & culpabilis sit, ob easdem rationes, requirit prædictas tres conditiones.

683. Not. 4. ab ipsomet Muniessa cit. 2. 16. n. 151. (ut malefacta ex ignorantia, vel errore prius culpabili, sint deinceps *nova peccata formaliter imputabilia ad novam pœnam, ultra pœnam correspondentem peccato omissionis, seu negligentie sciendi legem, vel præceptum*) requiri, quod *voluntate illius culpa* faciat homini *voluntaria saltem implicitè, aut virtualiter* mala opera in errore illo subsecuta; & hoc sub istis terminis videtur certum; ita ille.

684. Quærenti autem, unde dignosci possit, quod malitia peccati, ex errore, vel ignorantia subsecuti, *in ipsa culpabili omissione diligentie requisita* ad habendam scientiam eorum, quæ ignorantur, fiat *implicitè voluntaria*? respondet n. 152. quando per negligentiam voluntariè affectatur ignorantia eorum, quæ scire quis poterat, ac debebat; aut si non affectatur, saltem omittitur debita deligentia cum prævisione malorum exinde secutorum, prævidendò scilicet ea vel in specie, vel in genere. Primum ait haberi per ignorantiam *affectatam*; alterum per *crassam, & supinam*, de qua diximus à n. 679. *Virtualiter* autem malitiam peccati ex errore, vel ignorantia subsecuti, fieri voluntarium in ipsa culpabili omissione diligentie debitæ, quando culpa negligentie moraliter virtualiter influit in ea opera subsecuta.

685. Ut autem culpa negligentie dicatur moraliter influere in opera subsecuta, docet, non sufficere permanentiam habitualement illius præcedentis culpæ (sitam præcisè in non retractatione per pœnitentiam) sed requiri saltem *virtualem*, nimi-

rum *moraliter continuatam* in effectibus à præcedentis negligentie culpa descendentibus, ad eum modum, quo explicari solet in administratione Sacramentorum moralis permanentia intentionis virtualis physice præteritæ, à differentia permanentie purè habitualis. Antequam respondeam ad hæc Muniessæ fundamenta, præmitto resolutionem sequentis quæstionis.

## §. III.

*Quo tempore actus, solum voluntarij in causa, imputentur ad culpam?*

Supponendum, in quæstione apud Theologos versari, quo tempore ad culpam imputetur omissio, vel positio alicujus actus, in se, ac directè non intenti, sed voluntarij solum indirectè, seu in causa? an tunc, quando voluntariè ponitur causa, ex qua prævidetur secutura talis ommissio, vel positio actus de se mala; an verò tunc, quando actu sequitur ea ommissio, vel positio actus, etsi tunc non sit in potestate omittentis illam impedire; vel saltem nulla tunc cogitatio exprimat malitiam ejus.

Mihi semper probabilius visum est (prout etiam tradidi in *tract. Theol. de peccatis*) tunc solum imputari ad culpam ejusmodi omissionem, vel positionem de se malam, quando actu, voluntariè, ac liberè ponitur causa, ex qua prævidetur secutura; non autem, quando ipsa ommissio, vel positio actu fit extra statum libertatis presentis. Ratio hujus est, quia nulla ommissio, vel positio actus (ultra culpam malitiam in causa, in qua unicè est libera) imputari potest ad culpam, secundum quod in se non habet libertatem) nec enim habere potest aliter malitiam, nisi secundum quod habet libertatem) at tunc, quando extra statum libertatis presentis ponitur ommissio, vel positio actus, nullam in se habet libertatem, ut ponit casus; ergo tunc, quando extra statum libertatis presentis ponitur, in se imputari non potest ad culpam; quia tamen habuit libertatem in alio, nimirum in causa liberè volita cum præscientia secuturi talis effectus, tunc, quando causa liberè posita est, imputata fuit ad culpam; quia tunc, & non post, fuit libera. Et ita etiam docuit meus quondam in Theologia Viennæ Austriæ Professor, R. P. Jacobus Valentini in *tract.*

in tract. Theol. de vitiis, & peccatis, D.  
2. c. 4.

688. Eadem doctrina confirmatur. 1. quia omisso actus præcepti, per operantem ignorantem tunc, quando actu facit illum actum, non potest contrahere malitiam, nisi quando est posita liberè; sed non est posita liberè, nisi quando liberè posita est causa; ergo tunc solum, quando liberè posita est causa, contracta est malitia. 2. omisso rei præceptæ, pro tempore sequenti, non habet aliam libertatem, nisi in causa, quatenus poterat causa poni, vel non poni, ut ponit casus; quo posito sic arguitur: quando talis omissio culpabilis, per penitentiam retractatur, actus subsequenti ex illa non imputantur ad culpam tunc, quando fiunt; ergo etiam si per penitentiam nondum est retractata. Nam, etsi verum sit, quod in casu antecedenti, dum illi actus subsequentes ponuntur, nec in se, nec in causa habeant libertatem de presenti, sed tantum habuerint de præterito in causa: quia tamen penitentia non facit, quod non habuerint libertatem in causa, si, quando abest, nihilominus facit imputabiles, quia habuerunt libertatem in causa; etiam præsens non impedit imputari ad culpam; quia etiam præsens non facit, quod non habuerint libertatem in causa; id, quod non admittunt Contrarij.

689. Dies: per penitentiam fieri, quod libertas in causa nec habitualiter sit præsens, quando reliqui actus materialiter mali subsequuntur; id, quod non contingit, ubi non præcessit penitentia. Sed contra est; nam si actus materialiter mali, ex causa liberè volita subsequentes, sunt imputabiles ad culpam, dum actu fiunt sine omni scrupulo, imò cum opinione, quod sint honesti, ideo præcisè, quia eorum libertas in causa tunc est præsens habitualiter; à fortiori erunt imputabiles, dum eorum libertas in causa est præsens actualiter; hoc autem dici non potest; ergo in casu penitentiae non ideo non sunt imputabiles, quia illorum libertas in causa, nec actualiter, nec habitualiter est præsens; sed quia fuit aliquando; at hoc etiam contingit; quando sequuntur postea, etiam seclusâ penitentia. Min. prob. Nam sic idem actus, non retractatâ causâ culpabili, bis imputaretur; primò, dum ejus

Tom. I.

libertas in causa est actu, & 2. quando ejus libertas non est actu, sed tantum in habitu.

Instabis: quando libertas operis in causa est actu, imputari quoad malitiam causæ; quando autem opus subsequens actu fit, & libertas in causa est solum in habitu, seu non retractata, imputari quoad malitiam propriam, ultra malitiam causæ. Verum nec hoc dici potest. Quia, cum non sit alia libertas causæ in habitu, seu morali perseverantia, quam quæ erat, cum esset in actuali existentia; si hæc actualis libertas in causa, dum esset præsens actualiter, non potuit tunc facere, ut malitia operis ultra malitiam causæ primo tunc imputaretur, quando ponitur extra statum libertatis, licet tunc esset actualiter cum cognitione operis secuturi ex causa; minus id poterit, dum est præsens solum habitualiter & nullatenus est, sed tantum fuit cum cognitione operis secuturi ex causa. Ut autem vis hujus instantiæ intelligatur, observandum, quosdam velle, effectus malos in causa liberè volita prævisos, etiam tunc (quando sequuntur extra statum libertatis) imputari, quando culpa causæ per penitentiam non est retractata; rationem reddentes: quia sic libertas causæ perseverat adhuc habitualiter, etiam pro instanti, quando extra statum libertatis actualis ponuntur; quia tamen non sint tunc liberi libertate actuali; sunt tamen liberi libertate habituali, quam volunt sufficere, ut illi effectus etiam tunc inficiantur malitiâ imputabili ad culpam. Contra istos igitur in præsens hoc n. 690. dico, quod libertas causæ, sive existat actualiter, sive habitualiter, non possit facere, ut malitia propria effectus (homicidij v. g. prævisi ex ebrietate secuturi) imputetur primò tunc, quando sequitur homicidium extra statum actualis libertatis; & non fuerit imputata tunc, quando actu liberè volita est ejus causa.

In hoc ergo n. 690. non est quæstio, an malitia ebrietatis directè volitæ, & malitia homicidij v. g. solum in directè voluntarij, imputetur tunc, quando liberè ponitur causa; quia hoc jam affirmavimus n. 687. sed an utraque vel alterutra imputetur etiam tunc, quando homicidium sequitur extra statum libertatis; & quia est aliquorum sententia, qui hoc affirmant, si libertas causæ tunc existat saltem habitualiter,

Y

690.

601.

*tualiter*, hoc est, si nondum sit retractata per penitentiam, ut constat ex his, quæ dico n. 688. & 689. ideo contra hos dico n. 690. quod libertas causæ, sive existat *habitualiter*, sive *actualiter*, non possit facere, ut *vel utraque* malitia, vel *alterutra* tunc imputetur ad culpam operanti, quando homicidium sequitur extra statum libertatis *actualis*; sed tantum, quando liberè posita est causa, quod modò quidem iudiciò multò probabilius est oppositò.

Nec valet, si dicas: effectus de se mali, solùm indirectè voluntarij in causa, ex qua prævidentur secuturi, imputantur ad culpam tunc, quando causa est *actualiter* libera; ergo tunc, quando est *habitualiter* libera; sed quando ponuntur extra statum libertatis *actualis*, si culpa causæ nondum est retractata per penitentiam, sunt *habitualiter* liberi; ergo etiam imputantur ad culpam, dum sequuntur extra statum libertatis *actualis*; R. not. quando dicitur effectus est *habitualiter* liber, verbum est per adjunctum syncategorema, seu vocem *habitualiter* distrahi à proprio significato, quod est verbi *presentis* temporis; & ampliori, ad tempus *physicè præteritum*, in quo fuit de præsentis, sed jam non est; quo posito: dato anteced. N. conseq. quia argumentum fit à verbo *est*, sumpro statu præsentis, & simpliciter ad verbum est, cum termino distrahente; quo fit, ut affirmet verbum *imputatur* (quod est de præsentis) æquè affirmet de illo, quod *fuit* liberum, ac de eo, quod *est* liberum; qualiter argueret dicens: novus annus est *præteritus*; ergo novus annus est; vel e contra.

691. Pro solvendis aliis objectionibus contra doctrinam à n. 687. traditam not. 1. negandum esse, quod effectus *extra statum libertatis*, ad causam liberè datam secutus, aliquando sit peccatum *ultra rationem peccati, ex malitia causæ* imputabile. Nam tunc, quando in tempore distante ab eo, quo liberè voluta est causa, talis effectus sequitur, nec malitia causæ, nec malitia propria ipsi imputatur; sed utraque illi imputata fuit, quando liberè posita est illius causa. Hinc quando dicitur *ebrietas* contingit extra statum libertatis, & tamen tunc est peccatum; cum distinctione respondetur: est peccatum *tantum*, N. est peccatum *cum addito*,

nempe *præteritum*, & *simul privatio usûs rationis actu posita ex peccato præterito*. C. Unde, sicut *homicidium* includit duo, nimirum actionem injustam, vel præteritam, vel præsentem, & privationem vitæ, quæ sequitur ex tali actione injusta; sic *ebrietas* includit duo, nimirum voluntariam illam potationem, ex qua subsequitur privatio usûs rationis, & hanc ipsam privationem: & sicut ante privationem vitæ, illa injusta actio non dicitur *homicidium*; sic ante privationem usûs rationis illa excessiva potatio non dicitur *ebrietas*; utrumque enim delictum, præter actionem pravam, quæ infert effectum, quo externè consummatur, importat illum effectum, nec prius dicitur *ebrietas*, vel *homicidium*; nam hæ denominationes requirunt actum externè consummatum, ultra internum actum, ratione cujus habent formalem imputabilitatem ad culpam. Unde, sicut ponens actionem occisivam, *non tunc peccat* peccatò imputabili, quando ex intervallo sequitur privatio vitæ; sed *jam peccavit imputabiliter*, quando posuit actionem occisivam; esto non peccatò externè consummatò; sic dicendum venit de ebrietate.

Hinc instanti: *homicidium, & ebrietas* 692. est essentialiter peccatum actuale; ergo non prius est peccatum, quam sit privatio vitæ, vel usûs rationis; sed hæc contingit extra statum libertatis; ergo est peccatum actu extra statum libertatis: respondetur cum priore distinctione: est peccatum *tantum*, N. ma. peccatum, & *simul dicta privatio*, C. ma. cum minori, dist. conseq. ergo est peccatum actu extra statum libertatis, secundum quod *homicidium*, vel *ebrietas* important *dictam privationem*; C. secundum quod important *actionem pravam, & imputabilem*, N. conseq. Tunc ergo, quando ponitur dicta privatio, *homicidium* v. g. est actu solùm *consummatione*; sed non *commisso*; hæc enim formaliter sita est in voluntaria positione causæ, necessariò illativæ illius privationis; certum autem est, quod illa voluntaria positio causæ non ponatur extra statum libertatis; ergo nec commissio peccati; ergo nec formalis imputabilitas.

Not. 2. ad hoc argumentum: *tunc* 693. transgressio rei præceptæ est peccatum, quando urget præceptum, & non ante; sed

sed tunc, quando urget præceptum, fit omissio rei præceptæ extra statum libertatis (ut si quis voluntariè combussit breviarium, fore prævidens, ut die postero non possit dicere horas canonicas, quas teneatur) ergo tunc est peccatum, quando omissio est extra statum libertatis: ad hoc, inquam, argumentum responderi cum distinctione ma: & eam concedi de *transgressione formali*, & libera; negari de *necessaria*; in casu autem posito *tunc*; ubi urget præceptum, omissio fit *necessario*, & non liberè; sicut, si tunc sine omni sua culpa obligatus ad horas careret omni breviario.

694 Nec obstat, quòd homines ejusmodi omisiones, & materiales, ac non liberas transgressiones soleant confiteri. Hoc enim faciunt etiam post penitentiam de causa voluntariè data priùs, quàm sequeretur effectus in ea prævisus. Et ideo P. Vasquez *D. 94. c. 3.* negat, *per se loquendò*, esse obligationem confitendi effectum extra statum libertatis secutum ex causa priùs voluntaria; sed satisfacere dicendò, se dedisse causam proximam tali eventui. Dicit, *per se loquendò*. Nam per accidens obligabitur, si exinde nascatur damnum alteri, exigens restitutionem; vel delicto annexa sit censura, quæ non infligitur delicto utrunquè, sed *consummato*, seu *effectu secuto*. Tunc enim censura, ex mente ferentis, aut eam statuentis, non incurritur etiam propter delictum præteritum *precisè*; sed propter illud *consummatum*, seu effectu secuto.

695 Not. 3. negandum esse, quòd sequatur ex nostra sententia, nec fore peccatum, voluntariè dare causam, ex qua sequitur actio materialiter mala, si non sit tunc *formaliter mala*, quando ponitur extra statum libertatis; negandum pariter ideo *precisè* causam esse malam, quia effectus est malus *imputabiliter*. Nam idem instatur contra Adversarios in casu, quo mala voluntas causæ retractatur ante eventum. Deinde, qui voluntariè canem concitat in gregem ovium, esto retractet voluntatem, antequam canis oves laceret, adhuc tamen laceratione ovium per canem facta contrahit obligationem restituendi, esto dimisso cane doleat, nec sit in libertate, lacerationem ovium impediendi, & hæc laceratio non sit peccatum;

Tom. I.

quia voluntariè posuit causam actionis alteri nocivæ, ac jure naturali vetitæ, licet ea actio lacerativa ovium non sit peccatum.

Not. 4. *audire sacrum* v. g. (vel præstare aliud opus præceptum) posse considerari dupliciter. 1. *in genere entis*, quod fit ipsa facti auditione *physica*, seu *reali*; 2. *in genere moris*, quod contingit, quando quis, quantum est ex se, ponit media necessaria ad illum effectum physicum, *audiendi sacrum*, à se dependentia. Hinc quando dicitur: qui habuit voluntatem audiendi sacrum, non potest dici *implevisse præceptum*, si tamen opere ipso non audiat; ergo vicissim, qui habuit voluntatem non audiendi sacrum, non potest dici non audivisse sacrum, seu violasse præceptum, nisi opere ipso non audiat; ergo *tunc* solum peccat contra præceptum, quando ponitur omissio; at hæc ponitur extra statum libertatis. Nam adhibitâ distinctione, de qua dictum est, patet solutio. Qui enim, quantum est ex se, efficaciter vult audire sacrum, esto per accidens contingat impediri aliunde media, quæ adhibuit, non potest quidem dici audivisse sacrum *in genere entis*; bene tamen *in genere moris*; quod in tali casu sufficit, ut dicatur præceptum implevisse. Ex quo patet ad reliqua.

Not. 5. verum esse, quòd actus externus, *furti* v. g. sit verè peccatum *denominativè* ab actu interno libero, etsi de se non sit capax ullius libertatis formalis; non autem inferri bene: ergo etiam, licet *omissio rei præceptæ*, dum ponitur extra statum libertatis, non sit capax amplius ullius libertatis, poterit tamen esse libera *denominativè*, quando ponitur. Ratio est; quia hæc omissio, dum ponitur, non ponitur liberè; secus furtum externum.

Not. 6. quando S. Thomas 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3. ait: omissionem, seu effectum secutum ex causa ipsum inferente, *tunc incipere imputari ad culpam*, quando est *tempus operandi*, intelligendum esse, quòd tunc imputetur ad culpam *tanquam consummatam in genere entis*, non autem *tanquam consummatam in genere moris*, quando urgente operandi tempore omissio ponitur; cujus ratio est, quia ibidem ipse dicit, *omissionem* (vel alium effectum ex causa directè voluntaria) *subsequentem*,

Y 2

reddi

696.

197.

698.

reddi voluntariam per causam precedentem; ergo non, dum ponitur omissio, vel effectus subsequens; sed, dum liberè posita fuit causa talem effectum inferens.

699. Dices: licet non rarò aliquæ actiones fiant cum omnimoda distractione, & consequenter sine actuali libertate (cùm nemo possit liberè ferri in aliquod objectum, ad quod nullo modo intellectus attendit) quia tamen cum advertentia, & libertate sunt *inchoatæ*, censentur humanæ, & capaces bonitatis, & malitiæ eo modo, quo actus externus; ut, cùm Sacerdos, planè distractus, consecrat; ergo idem dici poterit de omissione, aliisque actionibus factis extra statum libertatis, in somno, ebrietate, &c. Sed. R. N. ant. Nam si nulla adsit attentio, etiam actualis tenuis, actio interruptetur, aut fiet solùm materialiter tunc, quando ponitur; cuius ratio est; quia os Sacerdotis celebrantis est indifferens, ut proferat *hec*, vel *illa verba*; 2. ut ea proferat *suo*, vel *Christi*, aut *alieno nomine*; ergo ut *sic*, & *tali modo*, ac *nomine fiant*, determinari debet per aliquid; hoc autem non est aliud, quàm actus voluntatis determinans potentias externas; qui tamen adesse non potest, nisi cum aliqua saltem cognitione circa tale objectum; nam aliàs *humana* non est. Et ideo etiam in tract. de Sacram. in genere, D. 3. a. 7. conclus. 5. meus olim in Theologia Viennæ Austriæ Professor R. P. Hieronymus Milser, Vir magnæ Virtutis, ac exquisitæ doctrinæ, per complures deinde annos in Universitate Græcensi Cancellarius, probabilius censuit, tam actiones Sacramentales, quibus conficitur Sacramentum, quàm alias etiam prævias, quæ ordinantur ad illas, semper provenire ab aliquo actu intellectûs, & voluntatis *præsente*; id, quod & ego secutus sum in eodem tractatu, 1686. Viennæ in Theologia scholastica tradito; aliàs enim vix salvari poterit, eas actiones fieri *humano modò*.

700. Ex dictis inferes. 1. negandam esse opinionem Marsilij asserentis *omissionem*, non verò ejus *causam positivam* esse peccatum; ex illa enim sequeretur. 1. quòd Petrus concedens cubitum in gratia surgeret in peccato mortali absque eo, quòd ullum exercitium libertatis interea eliciisset, si nimirum ex illius somno interim sequeretur omissio mortaliter peccaminosa. 2.

quòd alteri *consulere malum*, non foret malum, sicut non est mala voluntas dormiendi, etsi ex illa videat Petrus secururam transgressionem præcepti per omissionem. Deinde, nec illorum sententiam subsistere, qui docent, peccasse quidem priùs, dum posita fuit causa, sed ab eadem illa malitia jam posita denominari *de novo* peccatorem propter *novum* peccatum, quod postea ponitur, quatenus denominatur de novo *homicida*, à voluntate libera præterita, & effectu hanc secuto. Contra enim est; quia sic, si Sacerdos confessus fuisset, se breviarium projecisse in Danubium, & simul prævidisse, ex illa projectione secururam omissionem culpabilem unius mensis, quòd talis toto illo mense, singulis diebus, antequam celebraret missam, deberet se de novo accusare in confessione, se pridie omisse breviarium. Idem est, si quis dedisset venenum alteri ad occidendum alterum, factique pœnitens, fuisset peccatum confessus, talis iterum teneretur confiteri subsecutò homicidiò; quæ quis non videat esse absurda?

Inferes. 2. ea, quæ hætenus dicta sunt, eodem modo procedere de effectibus positivis extra statum libertatis secutis, ac de ipsa omissione. Unde ulterius habetur, *ex qualitate culpæ in danda causa*, ferendum quoque esse iudicium *de culpa omissionis*; quare si venialiter tantum peccasti in ponenda causa e. g. in projiciendo breviario, vel in te inebriando, omissio breviarii, vel ex ebrietate homicidium secutum, erunt tantum peccata venialia; cùm enim sint tantum peccata *in causa*, uti probatum est, non poterunt habere majorem malitiam, quàm illa positio causæ habuerit. Et ideo, cùm omissio rei præceptæ imputetur in causa, non est necessariò in confessione exprimenda in particulari, quænam fuerit causa data omissioni, nisi data causa secundum se haberet specialem malitiam; ut si quis omitteret horas, *quia se inebriavit*; tunc enim utrumque esset explicandum; cùm etiam ebrietas *in se* sit peccatum; quare dicit: *se per ebrietatem, voluntariè positam, omisisse horas canonicas*; & ratio est; quia si causa data non habet de se specialem malitiam, solùm est mala, quia est causa omissionis rei præceptæ; ergo quòd sit data hæc vel illa causa, habebit se merè materialiter,

rialiter, sicut, quòd jejunium transgrediatur hoc, vel illo cibo, habet se merè materialiter respectu transgressionis jejunij, &c.

702. Inferes. 3. allatam doctrinam procedere, quando omissio post datam causam secuta est extra statum libertatis nostræ; ita, ut non sit amplius in potestate nostra, tollere causam semel positam; si enim possum illam tollere, & poni res præcepta, si sequatur omissio, illa omissio erit verum peccatum; quia in tali casu ponitur liberè omissio, atque adè erit multiplex peccatum numerò, prout censetur interruptum ab instanti, quo data fuit causa; qualisnam autem interruptio requiratur ad multiplicanda numerò peccata, dicitur alibi.

## §. IV.

*An opus extra statum libertatis secutum ex causa voluntariè data, imputetur ad novam malitiam, ultra malitiam causæ?*

703. **N**egativam à nobis teneri constat ex hæcenus dictis, præsertim n. 687. (hoc nimirum sensu, quòd quando actus malus voluntarius est solum in causa, tunc, quando sequitur extra statum libertatis actualis, non contrahat novam malitiam, non contractam antè, dum actu liberè posita est ejus causa) affirmativam autem, quòd contrahat etiam novam malitiam tunc, teneri à Muniessæ cit. supra n. 674. aliisque. Rationes porrò, quibus nititur citatus Author, retulimus à n. 675. Nunc ad singulas, & quidem ad primam in n. 675. R. nego min. ad hujus prob. C. ant. dist. consequens: ergo non datur peccatum, seu malitia moralis, proveniens ex ignorantia, sumpta secundum se, C. ex ignorantia culpabiliter per precedentem negligentiam inducta, N. conseq. Quando D. Thomas, & Theologi dicunt, præter peccatum ex infirmitate, & malitia, dari etiam peccatum ex ignorantia, non volunt aliud, quàm dari quandoque peccatum, cujus causa nec sit hominis fragilitas, nec malitia; sed mera ignorantia, non secundum se, sed prout voluntaria in ommissione diligentia debita, si talis ommissio non obstante prævisione securæ ignorantia, & inde sequentium malorum,

saltem indirectè fuit volita: si enim hæc nullatenus prævisa fuerunt, cum voluntariè admittitur ea negligentia, inde secuta nullam habent culpam imputabilem. Ratio hujus est; quia tunc nullam habuerunt libertatem; non in se, ut ponit casus; quia sequuntur extra statum libertatis præsentis, quæ non stat sine cognitione de malitia talis operis, quando ponitur; non etiam in causa; quia ponitur, nullatenus esse prævisa in causa; at sine hoc nihil dici potest liberum in alio, seu in causa: ergo.

Ad. 2. rationem R. cum distinctione antecedentis: homo tunc peccat imputabiliter contra legem toto tempore, quo exercet opus prohibitum, licet tunc toto tempore non advertat ad malitiam operis, quòd exercet, N. ant. solum externè consummat peccatum imputabile in causa, jam priùs liberè volita, C. ant. & sub data distinctione conseq. Pro quo not. quòd libertas præsens, quam explicat potentia proxima peccandi, importet aliquam cognitionem præsentem de malitia operis, vel saltem dubitationem, aut scrupulum; quare si tunc, quando ponitur tale opus, nulla talis cogitatio adsit, opus tunc ponitur extra statum præsentis libertatis, consequenter tunc ponitur, sed non liberè. Quando autem opus malum ponitur, sed non liberè, tunc, quando ponitur, non est imputabile ad malum, quia tunc non est malum ullà præsentem malitià formali: ergo.

705. Quia verò hæc ratio Muniessæ specialiter intendit evincere, quòd actus, etiam extra statum libertatis præsentis, seu citra ullam cogitationem præsentem de propria ipsius malitia, sit nihilominus imputabilis secundum propriam malitiam, ultra malitiam causæ, ex qua sequitur: ideo ad eandem secundam rationem R. 2. cum distinctione anteced. Etiam si homo non habeat ullam cogitationem de malitia operis per totum tempus, quo illud exercet, tamen toto tempore peccat imputabiliter, quo illud opus facit, secundum quòd ei tunc illud opus est liberum, C. ant. secus, N. ant. Vel ergo tunc, quando ponitur opus, v. g. mendacium, quoad propriam malitiam mendacij est illi liberum in se, vel non? si non? ipsum in se non est imputabile tunc; cum in se non sit formaliter

liter malum tunc; si ita? necesse est, quòd addit tunc aliqua cogitatio, quòd opus in se malum sit, cujus contrarium supponit objectio.

706. Si autem dicas: *tunc*, quando ponitur opus (v. g. mendacium) esse liberum in causa, R. sicut tunc causa de presenti non ponitur liberè, sed solùm posita est de præterito; sic mendacium tunc, quando ponitur, non esse de presenti liberum in causa; sed tantum fuit liberum de præterito; ergo non est imputabile nunc, sed jam imputatù fuit tunc, quando liberè volita fuit causa prævisio simul secuturo mendacio. Ex hoc autem, quòd aliquod opus in se malum, malitià distinctà à malitià causæ, ex qua liberè volita secuturum prævidetur, sit non in se, ac directè, sed tantum indirectè, & in alio voluntarium, non sequitur propriam operis malitiam, ultra malitiam causæ, opus illud exercenti, esse directè imputabilem, sed solùm indirectè, nec alias, nisi dum liberè ponitur causa. Quia plus illi nequit justè imputari, quàm sit ei voluntarium; sed malitià propria mendacij, quà talis, in se non est ei directè voluntaria; ergo illa in se nequit ei justè, ac directè imputari; ergo solùm malitià causæ; sed hæc est distincta à propria malitià mendacij; ergo sola malitià distincta à malitià mendacij (nimirum malitià causæ) est ei imputabilis justè, ac directè; secus indirectè.

707. Instabis: ipsa malitià mendacij est ei voluntaria in causa; ergo ipsa malitià mendacij est ei imputabilis ultra malitiam causæ. R. cum distinct. ant. ipsa malitià mendacij est ei voluntaria in causa, per voluntarium directum solius malitiæ causæ, C. ant. secus, N. ant. quia sic mendacium eo ipso non esset voluntarium tantum in causa mala; sed etiam ultra illam, adeoque directè, ac in se, contra suppositum; dist. conseq. ergo ipsa malitià mendacij est ei imputabilis indirectè ultra malitiam causæ, C. directè, N. conseq. Et hoc videtur satis certum, quando tale opus sequitur ex ignorantia, nec crassa, seu supina, nec affectata; id, quod ex propriis principiis admittere debet Muniessa, ut notavimus n. 683. cum ipse doceat, tunc solùm propriam operis malitiam esse formaliter imputabilem ultra malitiam culpæ admisse in negligentia inductiva ignoran-

tia, ex qua circa advertentiam malitiæ sequitur illud opus malum, quando voluntaritas illius culpæ, saltem implicitè, aut virtualiter facit homini voluntaria mala opera inde secuta; quod censet evenire non solùm, ubi ignorantia est affectata, vel crassa, ut ex illo retulimus n. 684. V. dicenda à n. seq.

An autem, ubi ignorantia præsens nata est ex ignorantia crassa, vel affectata, culpa negligentia liberè admittitur tunc, aliquo modo influat in actus postea secutos ex ignorantia crasse, vel affectatè inducta? non ita facile dicitur, ut existimat Muniessa. Ponamus enim casum, quòd Titus ante annum, vel etiam dimidium, potuerit, & debuerit scire officium hominis Christiani, sed supinè neglexerit: nunc occurrit occasio faciendi opus aliquod re ipsa contrarium officio hominis Christiani; sed neque de hujus malitià, neque de culpa supinæ negligentia jam præterita occurrit illi ulla cogitatio, scrupulus, vel dubium; imò potius existimat, esse honestum, consequenter illud facit. In hoc casu non videtur, quomodo culpa præterita nunc influat in opus (v. g. mendacium) de presenti commissum; ex n. 691. Ratio hujus est; quia, si culpa præterita nunc influat in mendacium, seu liberam positionem mendacij, necesse est, quòd influat ut objectum cognitum, consequenter influxu solùm objectivo per sui cognitionem (nec enim se tenet ex parte subjecti, qualiter dignitas operantis, dignificativè, etiam sine sui cognitione, influat in opus moraliter bonum; nec etiam influat ut causa physica, quod certum videtur) at in casu posito exercens liberè illud mendacium, nullam habet cognitionem de malitià hujus operis, nullam etiam culpæ præteritæ, ut supponitur in casu; ergo nunc, dum actu fit mendacium, nullo modo actu influat in liberam positionem mendacij; ergo voluntaritas illius culpæ, nec implicitè, nec virtualiter nunc facit voluntariam homini malitiam mendacij; hæc postrema consequentia apertè sequitur ex doctrina Muniessæ, de qua n. 683.

Dices: non rectè argui contra Muniessam factò à nobis argumentò; Muniessa enim statuit, quòd malitià operis, ex errore, vel ignorantia subsecuti, fiat voluntaria in ipso culpabili omissione diligentia debita,



debitæ, quando culpa negligentia *moraliter virtualiter* influit in ea opera subsecuta; ad hunc autem influxum *moralem virtuales*, ait Munieffa, non sufficere permanentiam *habitualem* illius præteritæ culpæ, sitam in carentia retractationis per pœnitentiam, sed requiri permanentiam *saltem virtuales*, nempe *moraliter continuatam*; & argumentum contra ipsum sit solum adducto casu, qui non est *moraliter continuatus*; ponit enim casum in homine ante annum medium supinè negligentem scire officium hominis Christiani (v. g. præceptum non mentiendi) in hoc, inquit, casu non apparet modus, quo culpa negligentia præteritæ *moraliter* influat in mendacium; non enim influit ut objectum nunc cognitum; quia supponitur, malitiam mendacij non apprehendere, nec meminit culpæ præteritæ admittæ in negligentia sciendi; sed hæc impugnatione nihil facit contra Munieffam; quia ipse requirit *virtuales permanentiam* culpæ præteritæ sitam in virtuali continuatione in effectibus descendentes ex præcedentis negligentia culpa, quæ *moralis continuatio* in casu facti argumenti deficit, estque purè habitualis.

Resp. me loco cit. impugnare quidem sententiam Munieffæ, sed *non ex solo casu culpæ habitualiter permanentis*. Vis argumenti à me in n. 208. contra Munieffam propositi, in hoc stat, quòd culpa physicè præterita nullum omnino influxum possit exercere in mendacium v. g. exinde subsequens tunc, quando id ponitur, *si tunc mentiens nullam omnino cognitionem habeat de malitia mendacij* v. g. *nullam culpæ præteritæ, vel existentis in se, vel in effectu ex ipsa descendente*; hoc autem taliter probo argumentò ibi per discursum propositò, hic in formam reductò; quando culpa physicè est præterita, sed permanet solum *habitualmente*, nequit influere in actum subsequentem (mendacium v. g. in ea prævisum) liberè ponendum, quando tunc, dum ponitur, in operante nulla est cognitio de malitia mendacij, aut causæ, vel in se, vel in effectu aliquo ex ipsa descendente; ergo nec quando permanet *virtualiter*, ut vult Munieffa, si pariter in operante nulla sit cognitio, de malitia mendacij, aut culpæ præteritæ, vel in se, vel in effectu ab ipsa

descendente; antecedens concedit Munieffa, uti notavi ex ipso; consequentiam probo: ut culpa physicè præterita, *virtualiter* (seu per effectum ab ipsa descendente) causet voluntarium liberum circa aliquod objectum (*mendacium* v. g.) in fluxu reddente *liberum* actum subsequentem, necesse est, quòd ponens tale voluntarium liberum circa mendacium, in virtute effectus ab ipsa culpa præterita descendens habeat aliquam saltem cognitionem de ipsa malitia mendacij, aut culpæ præteritæ, vel in se, vel in effectu ab eo relicto, si non influit ut causa physica dignificativè ex parte subiecti, sed *objectivè tantum*, vel *moraliter*, aut *finaliter*; quia non datur de præsentis ullum voluntarium liberum circa objectum aliquod, ex alicujus influxu, non merè physico, vel dignificativo, sed *moralis*, nisi de præsentis sit præcognitum; ergo etiam ut culpa præterita *in effectu à se relicto* influat *moraliter*, seu influxu, mendacium subsequens reddente *tunc liberè positum*, necesse est, quòd tunc in operante sit aliqua cognitio de malitia mendacij, aut culpæ præteritæ, vel in se, vel in effectu à se relicto: quo enim genere causæ influet illa culpa negligentia, vel per se, vel per effectum à se relicto sine ulla sui cognitione, si non causet mendacium, ut causa physica, vel circumstantia dignificativa? Sed casus ponit, quòd tunc nulla prorsus adsit cognitio de malitia mendacij, aut negligentia, vel in se, vel in effectu à se relicto; ergo.

Deinde demus, culpam præteritam perseverare in aliquo effectu ab ipsa dependente, & tunc existente, quando ponitur mendacium; ex hoc tamen non ostenditur, quomodo *moraliter virtualiter* influat in mendacium subsequens, influxu *formaliter vitiantem* mendacium, nimirum ut non tantum dicatur *liberè volitum* tunc, quando *actu* liberè posita est culpa negligentia; sed etiam *postquam præterit*, & reliquit post se aliquid ab ipsa dependens. Nam vel extat tunc (nimirum dum extat solus ille effectus à culpa præterita dependens) vel inquam extat tunc aliqua cognitio de malitia mendacij, aut legis illud prohibentis? vel nulla prorsus? si nulla prorsus, impossibile est, quòd ille effectus tunc *moraliter* influat

fluat in mendacium influxu illud vitante, seu reddente illud operanti liberum; cum hoc non stet sine præsentia cognitione mali, si aliqua? jam non influit in mendacium juxta casum propositum.

709. Ex dictis sequitur. 1. quando aliquis actus habet malitiam, distinctam à malitia causæ, ex qua sequitur, fieri posse, quòd talis actus liberè exerceatur sine omni culpa formali; nimirum, si nec in se, ac directè, nec in causa, seu indirectè sit voluntarius. Nam formalis culpa, seu culpa liberè admissa, non stat sine omni voluntario tam directo, quàm indirecto; item, quando talis actus est tantum voluntarius indirectè, seu in causa liberè voluta, illum non habere malitiam formalem, directè imputabilem, nisi malitiam causæ, quando aliquo saltem modo præcognitus est ex illa secuturus; nam ultra malitiam causæ nulla illi alia in se est directè voluta; & malitia propria actus, in quantum eon-distincta à malitia causæ, nullam habet libertatem, nisi causæ liberè voluta; ergo etiam nullam malitiam directè imputabilem, nisi causæ liberè voluta, ex n. 701. Dixi, actum *tunc solum* dici voluntarium *in causa*, quando liberè amplectens talem causam, aliquo saltem modo prævidit, eum actum inde secuturum. Nam si actus nec in se, nec in sui causa aliquo saltem modo est præcognitus, impossibile est, quòd vel in se, vel in sui causa sit voluntarius; hoc enim non stat circa objectum nullo modo præcognitum.

710. Sequitur. 2. si prævidens in genere (se in multis erraturum, ex suppositione, quòd nunc omittat diligentiam debitam, ut sciat, quæ scire potest, & tenetur) liberè omittat dictam diligentiam; & consequenter illi in tali culpa fiant voluntaria opera mala inde secutura cum ignorantia de ipsorum culpa, ea tamen, quando fiunt cum ignorantia de ipsorum culpa, tunc non imputari ad culpam; sed jam imputata esse prius in causa; ratio est ex n. 706. Quare negandum est, quòd voluntareitas culpæ admissæ in omissione debitæ diligentia, *tunc*, quando cum ignorantia mali fit actus, etiam *implicitè* influat in talem actum; quia *tunc* non est ulla ejus cognitio, ut suppono; si enim tunc adesset aliqua cognitio movens scrupulum, & eà neglectâ poneretur opus,

jam præsens ignorantia in se prius non voluntaria, evaderet voluntaria in negligentia præsentia.

711. Sequitur. 3. quòd voluntareitas culpæ prius admissæ in negligentia sciendi, atque adeò in culpabili inductione ignorantia, cum qua postea fit, & continuatur opus malum inde secutum, nec *virtualiter* tunc influat in positionem, & continuationem operis cum ignorantia, seu inadvertentia, defectuque omnis scrupuli circa malitiam dicti operis, quando illud actu ponitur, & continuatur. Nec enim physicè, nec objective tunc, quando fit opus, ullam causalitatem exercere potest in illud, ut ostensum est in n. 705. Nec juvat ea remissio ad Sacramentorum administrationem, quo se refert Muniessa, de quo n. 685. *virtualis enim intentio, quæ causatur continuatio operum sacramentalium*, non est aliquid, quod de præsentia non sit; sed est verè actus voluntatis præsens, adeò tamen tenuis, ut licet tunc reflexè non cognoscatur ab operante; ratione tamen sufficienti adesse convincatur, quòd externæ actiones sacramentales non nisi voluntariæ, sint materia divinæ assumptionis; & actu causentur à voluntate illas imperante; ergo pariter si culpa præteritæ negligentia est causa operis, & continuationis ejus, debet tunc esse præsens in sui cognitione; cujus tamen contrarium ponit casus.

712. Sequitur. 4. etsi continuans opus malum cum ignorantia præsentia de malitia operis, quòd continuat, tunc non peccet imputabiliter, quia tunc malitia operis non est illi libera, utpote tunc nullatenus cognita; peccasse tamen jam ante in admissa voluntariè negligentia cum prævisione mali operis secuturi, esto in se directè non intenti; ratio est ex n. 687. esto autem opus malum cum ignorantia *præsentia* de ipsius malitia commissum, *tunc*, quando committitur, non imputetur ad culpam, sed imputatum fuerit, quando liberè voluta est causa cum præscientia talis operis exinde secuturi; ipsum tamen opus est in confessione aperiendum, licet, antequam committeretur, per poenitentiam retractatum sit malum culpæ, commissæ in admissa liberè negligentia, ex qua deinde citra novam culpam secutum est illud opus malum. Nam omne opus malum,

malum, secundum quod est formaliter malum (si grave sit) confessioni debet subijci, si nondum sit confessum; sed licet quis confessus sit negligentiam commissam in scientia debita, nondum tamen confessus est *opus malum* (v. g. perjurium) secundum malitiam, quam habet à causa, in qua fuit voluntarium; ergo.

713. Sequitur. §. quando lex imponit pœnam delicto consummato, v. g. homicidio excommunicationem; hanc in foro conscientiae non incurri ab eo, cui homicidium est tantum indirectè, & in causa voluntarium v. g. in negligentia liberè volita, vel percussione lethali, ex qua prævidit securum homicidium, si prius, quam sequeretur mors, culpam priorem per pœnitentiam retractavit. Nam pœna, quæ petit delictum consummatum, intelligitur de delicto; quod manet voluntarium; nam in pœnalibus interpretatio benignior fieri debet, id quod amplius constabit ex dicendis.

714. Ad 3. rationem Muniessæ in n. 677. R. aliud esse, quod tales neque nunc peccent imputabiliter, quando ponunt opus malum, non modò ignorantes illius malitiam, vel prohibitionem, sed firmiter sibi persuadentes, se facere bonum; neque tunc, quando liberè posuerunt causam hujus ignorantiae, & pertinacis firmitatis, ex qua præviderunt secutura ea opera mala; aliud, quod non peccent nunc imputabiliter, peccaverint tamen jam tunc, quando liberè illis volita est ea causa. Primum non sequitur ex sententia negante, ab his contrahi malitiam novam, ultra malitiam causæ, quando eis opus malum indirectè solum est voluntarium, & tantum in causa prava; secundum autem nihil non rectum continet; cum solum dicat, malitiam operis nulli esse imputabilem, nisi quatenus est libera operanti.

715. Ad quartam ejusdem rationem in n. 678. R. me concedere cum plurimis Theologorum, quod, ut homo actu peccet, debeat advertere se peccare, hoc est, se ponere opus prohibitum; sed nego, ad hoc requiri, ut adversione quadam reflexâ advertat, se advertere; nam cognitio exprimens malitiam, vel prohibitionem operis, posita in intellectu, reddit eum formaliter cognoscentem malitiam, vel prohibitionem

Tom. I.

operis; unde si voluntati liberæ talis cognitio præluceat, & nihilominus opus faciat, sufficienter advertit, se peccare, se facit: ad hoc autem non requiritur illa advertentia reflexa; ergo. Ex dictis demum colliges, ignorantiam, quam quis habet, dum operatur aliquid de se malum, vel prohibitum, posse hic & nunc esse invincibilem, & inculpabilem culpâ præfenti, licet antecedenter inducta sit culpabiliter per voluntariam omissionem diligentiae jure debitæ. Sit enim homo, qui ante tempus aliquod culpabiliter negligit scientiam præceptorum; nunc autem pœnitens illius culpæ, toto animo vellet, sed nullatenus potest scire; & aliunde persuasus errore prius culpabiliter inducto, hoc opus (quod exercere vult) honestum esse saltem negativè, illud exerceat: in isto casu error præfens, & ignorantia, invincibilis est, & caret præfenti culpâ; & quia etiam culpa negligentiae supponitur deleta per pœnitentiam, carebit etiam culpâ præteritâ.

Dices: ergo talis homo, tunc faciens illud opus malum, ex ejusmodi ignorantia, nullatenus peccat. R. dist. illatum: ergo talis homo tunc nullatenus peccat peccatò tunc imputabili, C. illatum; peccato nec imputabili, aut jam imputato, quando liberè posuit causam erroris, ex qua istud opus malum prævidit secutura, N. illatum. Ratio est ex dictis. Ceterum ignorantiam præcepti non definire esse invincibilem per habitualement, aut virtualement notitiam præcepti, si in nobis sit citra causam culpabiliter admittam, ac ejus inductivam cum præscientia securitatis ignorantiae, unde plura fient opera de se mala cum defectu notitiæ de malitia, vel prohibitionem talium operum, consequenter excusare à culpa imputabili; constat à n. 672.

§. V.

An ignorantia vincibilis evadere possit invincibilis?

717. Non est dubium, ignorantiam vincibilem antecedenter, & ex eo culpabilem (quod tunc victa non sit, cum potuisset, ac ex obligatione debuisset) successu temporis, evadere posse invincibilem,

Z

lem,

lem, & inculpabilem quoad specialem malitiam actuum materialiter malorum, ex inducta culpabiliter ignorantia subsequen-  
 tium, etiam nondum peractâ pœnitentiâ super priori negligentia contra debitum sciendi admittit; sic Castropal. P. 2. tr. 1. D. 1. p. 2. n. 4. Ratio est, quia fieri potest, quod à tempore commissæ negligentia tam longum temporis intervallum, talesque circumstantia interveniant, ut illud peccatum negligentia, respectu aliorum, quæ sequuntur ex ignorantia præsentis, sit, acti non fuisset, in ordine ad influendam in opus, quod fit nunc ab ignorante illius malitiam specialem, & condistinctam à malitia præcedentis negligentia, ut constat ex n. 708.

718. Nec obstat, quod culpa negligentia præcedentis necdum abolita sit per pœnitentiam. Ex hoc enim non fit, quod in peccatorum post tantum tempus subsequen-  
 tium malitiam specialem, quando fiunt, actu influat, reddendò ea, etiam secundum illam rationem mali specialem voluntaria; cum enim non influat physicè, sed solum *objective* in peccata subsequen-  
 tia, dum actu fiunt; id autem tunc præstare non possit, utpote tunc nullatenus cognita; & consequenter tunc nullatenus voluntaria, non est, unde ex illa specialis malitia operum materialiter malorum, & post longum tempus subsequen-  
 tium, evadat voluntaria secundum rationem illius mali specialem.

719. Dices, ex data doctrina sequi, quod etiam excuset à peccato conscientia *vincibiliter errans*; nam hæc in modo, proponendi objectum, non differt ab invincibili; sed in eo tantum, quod illa, non ista, inducta sit per negligentiam inquirendi, cum sciri potuisset, ac debuisset obligatio; contra quam deinde fit opus ex ignorantia; sed quod hæc sit, vel non sit culpabiliter inducta, per ordinem ad præsentem libertatem, ac ejus exercitium formaliter imputabile de præsentis, materialiter se habet; nec enim actus aliter fieret stante ignorantia, licet abfuisset, aut abesset culpa præterita; ergo.

720. Ante responsionem not. non eodem modo considerandas esse omnes operationes subsecutas ex ignorantia, vel errore prius vincibili. Nam 1. aliæ sunt, quæ fiunt illo ipso instanti, quo quis per cul-

pam admittit ignorantiam, vel errorem, non investigans veritatem, quam posset, & deberet; aliæ sunt, quæ fiunt in subsequen-  
 tibus instantibus, in quibus tamen potest, & deberet deponere ignorantiam, eò quod tunc occurrat aliquis scrupulus, vel cogitatio de obligatione inquirendi, aut abstinendi à tali opere: aliæ rursum sunt, quæ fiunt post pœnitentiam de culpa præterita; & cum ponuntur ex ignorantia per culpam inductâ, sed jam retractatâ, talis ignorantia, vel error vinci non potest, consequenter jam sequuntur ex ignorantia, vel errore nunc invincibili; cum esto vellet, non est, à quo jam interroget; vel quia de obligatione interrogandi, aut inquirendi, nullo modo cogitat; aliæ demum, quæ fiunt postea durante adhuc habitualiter culpâ præteritâ, non retractatâ, esto tunc homo nihil cogitet vel de illa præcedenti negligentia culpabili; vel obligatione inquirendi &c.

Not. 2. in primo, & secundo casu operantem non excusari à peccato, sed *actu peccare imputabiliter*, positione operis prohibiti, vel omissione præcepti, licet sequatur ex ignorantia, vel errore culpabili. Ratio est, quia tunc quis actu peccat imputabiliter, quando ipsi actu voluntarium est opus materialiter malum, quod facit; sed sic contingit in dato casu; probatur; nam tale opus ponitur voluntarium in causa ignorantia, vel erroris culpabiliter data; ergo quando tale opus, materialiter malum, actu ponitur, dum actu ponitur voluntaria culpa talis causæ culpabiliter data; actu ipsi voluntarium est opus materialiter malum; sed in utroque casu tunc, quando ponitur opus materialiter malum, actu ponitur voluntariè causa illius ignorantia, vel erroris, ut constat ex n. 720. ergo.

Not. 3. in tertio casu non peccari imputabiliter *tunc*, quando ponitur opus materialiter malum. Rationem dat Muniesfa cit. *stimulat. 3. q. 8. n. 69.* quia in hoc casu ignorantia, vel error *antea vincibilis, fit jam invincibilis, & excusans*; adeoque operatio deinceps subsecuta non est jam, à quo denominetur formaliter peccaminosa; cum præcedens peccatum ignorantia, vel erroris, prius culpabiliter contracti, jam per pœnitentiam sit deletum, nec habitualiter permaneat. Cæ-  
 terum

terum ratio hujus nostrae responsionis secundum dicta est, quia tunc nec in se, nec in alio tale opus subsequutum est voluntarium, ut diximus supra; & mox dicemus.

723. De quarto casu in n. 720. sic loquitur Munieſſa cit. n. 69. *Operationes istae, sic subsequuta, quamvis non in perpetuum sint peccata formalia per novam ipsorum imputabilitatem, denominari adhuc possunt extrinsecè peccata, à peccato erroris culpabiliter commisi, nondum deleta, sed habitualiter perseverante.* Sed hæc resolutio admitti non potest. 1. ex dictis à n. 687. quia tunc, quando fit opus materialiter malum ex ignorantia, vel errore, culpabiliter inducto, nulla est in operante libertas vel operis, vel causæ; ergo nulla imputabilitas tunc, quæ non stat sine libertate tunc. Secundò, quia culpa præterita, etiam retractata, non impedit voluntarium operis præteritum in causa; ergo si hoc voluntarium causa, quod non est, dum opus ponitur, sed fuit, positâ retractatione non facit, quòd tunc non influat; quia tunc non est, sed fuit; nec enim non positâ retractatione facit, quòd tunc non influat; quia tunc non est, sed fuit, ut dixi n. 708. Nec obstat, quòd in primo casu nec fit habitualiter; secus, in secundo. Nam etsi hoc verum sit; hoc tamen discrimen in præsentis casu planè materialiter se habet. 1. quia aliàs, quamdiu est habitualiter, inficeret opera subsequenta, eaque in perpetuum denominaret peccata formalia per novam ipsorum imputabilitatem; quod tamen non admittit Munieſſa, ut liquet ex ejus doctrina relata num. præcedenti.

724. Secundò, quia non ostenditur, quomodo culpa præterita, nondum retractata tunc, quando ex illa ponuntur opera subsequenta (citra ullam illius cognitionem) in ea influere possit ad novam imputabilitatem, distinctam ab ea, quam habuerunt, dum voluntariè posita est causa, ex qua sequuntur? Certum enim est, quòd illa culpa præterita, sequenti tempore in opera subsequenta non influat physicè; certum pariter est, quòd non objectivè, utpote nullatenus tunc operanti cognita, nec tunc impedibilis, ut ponit casus; ergo. V. dicta à n. 708. his præmissis:

725. Ad object. in n. 719. 3. cum distinctione: ex data doctrina sequitur, quòd  
Tom. I.

conscientia vincibiliter errans excuset à peccato formali, & noviter imputabili, quando opus ex illa secutum ponitur extra statum libertatis tam circa causam mali operis inductivam, quam circa ipsum opus, C. quando opus ex illa secutum ponitur intra statum libertatis, vel circa causam mali operis inductivam, vel circa ipsum opus, N. sequelam. Ratio prioris est, quia in primo casu est opus voluntarium actu, saltem in causa, dum opus actu fit; ut diximus n. 721. Ratio posterioris est; quia tunc, quando ponitur opus, hoc nec in se, nec in causa est voluntarium.

Instabis 1. tunc, quando ponitur opus, hoc manet habitualiter voluntarium in causa. R. 1. solum sequi, quòd peccaverit, quando voluntariè potuit causam; non autem, quòd peccet nunc. R. 2. cum distinctione: tunc, quando ponitur opus, hoc manet habitualiter voluntarium in causa, voluntarietate habituali solum materialiter se habente ad actus inde secutos extra omnem libertatem de præsentis ad novam imputabilitatem, C. formaliter se habente, N. ratio constat ex dictis n. 718.

Instabis 2. esto mors Petri primò sequatur extra statum libertatis, postquam præterit causa voluntariè data à Paulo, ex qua mors Petri extra statum libertatis sequitur, tamen Paulus tunc primò denominatur homicida, consequenter peccans peccatò homicidij formaliter imputabili, quando ponitur mors Petri, & non ante; ergo similiter, esto perjurium primò sequatur extra statum libertatis, postquam præterit causa voluntariè data à pejerante, ex qua perjurium extra statum libertatis sequitur; tamen tunc primò denominatur perjurus, consequenter peccans peccatò perjurij formaliter imputabili, quando ponitur perjurium; seu vocatio Dei in testem falsi.

Resp. cum distinctione antecedentis: tamen tunc primò denominatur homicida, consequenter peccans peccatò homicidij formaliter imputabili, quoad solam summationem delicti antè commisi, C. quoad formalem malitiam, & formalem imputabilitatem homicidij, N. anteced. Ratio patet ex dict. à n. 687. distinguo pariter conseq. ergo tunc primò denominatur perjurus, & peccans peccatò perjurij formaliter

maliter imputabili, quoad solam consummationem delicti antè commissi, quando voluntariè posita est causa illius inductiva, C. quoad malitiam, & formalem imputabilitatem in conscientia, & quoad Deum, N. conseq.

729. Verum est, quòd, quando extra statum libertatis sequitur opus materialiter malum, ex errore priùs vincibiliter, & culpabiliter inducto, conscientia per culpabilem errorem proponens, illud non esse malum, sed potiùs honestum; in modo proponendi eodem modo se habeat, ac se haberet, si tunc sequeretur ex errore invincibiliter errante, seu, ac si illud proponeret conscientia inculpabiliter errans; & ideo sicut in isto, sic in illo casu opus illud materialiter malum, tunc, quando ponitur extra statum libertatis, nullatenus est imputabile ad novam malitiam, quia tunc in neutro casu ullatenus est voluntarium, & liberum: in hoc tamen est discrimen, quòd illud opus secutum ex errore invincibili, nec tunc sit, quando ponitur; nec antè fuerit imputabile ad culpam; quia nec tunc, nec antè ullatenus fuit voluntarium; at quando secutum est ex errore priùs culpabiliter inducto, esto tunc, quando ponitur, non sit imputabile; fuit tamen jam priùs imputatum, quando voluntariè, ac culpabiliter posita fuit causa ejus inductiva.

730. Dices. 2. ergo si in dato casu opus (mendacium v. g.) extra statum libertatis secutum ex errore priùs culpabiliter inducto, excusatur à nova imputabilitate ultra imputabilitatem causæ, poterit quoque imputari ad bonitatem, & meritum, si talis error de præsentis quidem inculpabilis, antè tamen in causa culpabiliter data voluntarius, dicitur esse obligationem mentiendi.

731. Muniessa cit. *stimulat.* 3. §. 9. n. 75. negat, mendacium, seu voluntatis imperium, imperans mendacium, commissum ab invincibiliter putante, se hic, & nunc teneri ad mentiendum causâ boni communis v. g. esse formaliter bonum, honestum, meritorium, aut supernaturale esse, vel esse posse, licèt ea invincibilitas faciat, quòd mentiri tunc non sit formale peccatum, & malum imputabile.

732. Fundamentum sumit ex D. Thoma, 1. 2. q. 19. a. 6. ubi quærens: *utrum voluntas, concordans rationi erranti, sit bona?*

opponit sibi primò: voluntas discordans à ratione errante, est mala: ergo concordans est bona: & factâ in Corpore distinctione erroris, sicut, & ignorantia culpabilis, & inculpabilis, respondet mox: Ad primum ergo dicendum, quòd, sicut Dionysius dicit in 4. de div. Nom. bonum causatur ex integra causa; malum autem ex singularibus defectibus: & ideo, ad hoc, ut dicatur malum id, in quod fertur voluntas; sufficit, sive quòd secundum suam naturam sit malum, sive: quòd apprehendatur ut malum; sed ad hoc, quòd sit bonum, requiritur, quòd utroque modo sit bonum. Sibi consonat q. 17. de Ver. art. 4. ubi locutus de conscientia errante, ait: *ligare conscientia dicitur, quòd aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurret; non autem hoc modo, quòd aliquis implens rectè faciat.*

Deinde probat ratione, ut ait, solidissimâ: illa conscientia errans, quæ dicitur, *licere tunc homini mentiri*, non tollit, quo minus mendacium sit mendacium; & volitio mendacij, per ipsam regulata sit volitio mendacij, cogniti, ut mendacij; ergo non tollit, quo minus ejusmodi volitio sit intrinsecè mala, & prohibita, utpote volens mendacium, quòd est objectum intrinsecè malum, & prohibitum: sicut conscientia aliter errans, existimandò: *loqui contra mentem*, non esse mentiri, non tolleret, quo minus reipsâ loqui contra mentem esset objectivè mentiri, quo posito, concludit: nihil horum negari potest, nisi negandò nec materialiter, aut ajunt, esse malam ejusmodi volitionem, quòd evertit quæstionem; aut abeundò in præcipitium dicentium, nihil esse intrinsecè malum.

Verum hæ rationes non evincunt intentum. Igitur, omisso interim textu D. Thomæ, (de quo V. n. 765.) ad argumentum ex ratione petiti in n. præced. re. datò, quod supponit, *velle mentiri esse intrinsecè malum*, quando talis voluntas concipitur prælucente aliquâ cognitione de malitia mendacij; non autem, si fecus. Hinc ad primam propositionem antecedentis: illa conscientia errans, quæ dicitur: *homini licere mentiri*, non tollit, quo minus mendacium sit mendacium, re. cum distinctione: non tollit, quo minus mendacium sit mendacium in se, aut etiam

etiam in cognitione dictante, *licere mentiri*, C. non tollit, quò minus mendacium fit mendacium *cognitum ut malum*, & *prohibitum*, N. Ad secundam propositionem antecedentis: illa conscientia errans non tollit, quò minus in dato casu volitio mendacij, per ipsam regulata, fit volitio mendacij, *cogniti ut mendacij præcisè*, C. *cogniti ut mendacij ex se mali*, & *prohibiti*, N. ant. & consequentiam.

735. Tota igitur quæstio huc reducitur, an, *velle objectum de se malum, malitiâ solum fundamentali*, quando nulla præluet tunc voluntati cogitatio exprimens talis objecti malitiam, sed potius per errorem tunc inculpabilem dictans, esse bonum, & honestum; atque adeò an volitio operis, quòd est intrinsecè malum, *eo ipso sit intrinsecè mala*, etiam si concipiatur à voluntate non modò penitus ignorantante ullo modo, in datis circumstantiis *esse malum*; sed potius invincibiliter persuasâ *esse bonum, & honestum*?

736. Affirmativam, ut constat, tenet Munieffa, & probat. 1. talis volitio, reipsâ lege Dei est prohibita, non secus, ac ipsum mendacium; certum enim est, legem prohibentem opus, prohibere volitionem operis, licet falsò putetur, *non prohiberi*; probat: quia si reipsâ faceret, quin esset intrinsecè mala volitio mendacij, dictamen jam non esset falsum, sed verum, utpote dictans *nullatenus esse malum*, quod voluntas exercitè facit.

737. Sed 2. volitionem objecti intrinsecè mali, conceptam sine ulla advertentia de malitia talis objecti non æquè prohibitam esse Dei lege, ac ipsum mendacium, seu objectum intrinsecè malum. Hinc nego, legem prohibentem opus intrinsecè malum, prohibere etiam volitionem operis conceptam sine ulla notitia de malitia talis operis, sed potius persuasâ firmiter per invincibilem tunc errorem, quòd sit bonum, & honestum. Nego etiam, quòd tale dictamen applicans alterum, quòd non liceat, *velle transgredi legem Dei*, & dicens: *si nunc non mentiaris, peccabis, & transgredieris legem Dei*, etsi exercitè quis juxta illud mentiretur, non esset falsum, sed verum; cum dicat: illud objectum, in quod tunc tendit volitio, *nullatenus esse malum* (cum tamen solum non sit malum *in suppositione* conscientiæ

invincibiliter errantis, ut pluribus dicemus *in seqq.*

Deinde, si est intrinsecè malum, velle 738. *facere opus, quod est, sed invincibiliter ignoratur, esse intrinsecè malum*, ea volitio hanc intrinsecam difformitatem cum recta ratione vel habet ex se, vel ex intrinsecam connexionem cum tali objecto: *non secundum*; quia plurima etiam supernaturalia (ut actus divinæ fidei, quo quis credit, *formaliter se mentitum*) sunt intrinsecè connexa cum objecto intrinsecè malo non tantum materialiter, sed etiam formaliter, quin eo titulo sint intrinsecè mala: *non primum*, quia talis volitio ex se non potest esse difformis rectæ rationi, nisi si titulò intrinsecæ connexionis cum tali objecto; sed hoc titulo non evadit intrinsecè mala; ergo.

Dices: habere malitiam intrinsecam 739. objectivam, seu fundamentalem ratione actualis amplexûs objecti intrinsecè mali. 2. id dici, sed non probari. Nam unde talis amplexus, *purè materialis*, habet, ex se difformari rectæ rationi? certe non alio titulo, nisi ratione connexionis intrinsecæ cum tali objecto; at hoc ex dictis non sufficit; ergo.

Instabis cum eodem. 1. in n. 79. ergo 740. homini, conscio de intrinseca malitia objecti, alteri, invincibiliter putanti, *honestum esse, in illis circumstantiis mentiri*, licebit suadere, aut consulere, *ut velit mentiri*; nam talis volitio intrinsecè mala non est, nec prohibita, nisi scienti malitiam objecti. Verum 2. N. illatum, quia, licet ille, cui consulitur mendacium, eo casu mentiendo non peccaret formaliter, cum ponatur invincibiliter ignorare, *in illis circumstantiis mentiri, esse malum, vel prohibitum*; consulens tamen licitè non ageret, sed illicitè; cum scienter vellet, fieri per alium, quod malum est vel ex se, vel ex circumstantia legis, quam quidem alter ignorat, at non ipse.

Instabis. 2. si talis volitio mendacij non 741. foret intrinsecè mala, malitiâ materiali, & objectivâ, non esset, unde sumerent formalem malitiam aliorum non errantium, sed rectè judicantium, deliberatæ volitiones profecutivæ, sive per modum gaudij, simplicis complacentiæ, sive desiderij illarum operationum hominis errantis, amentis, aut ebrij.

742. Resp. 1. sint duo, quorum ambo die Veneris velint, *comedere carnes eo die prohibitas*, sed unus sciens prohibitionem juris positivi Ecclesiastici; alter cum invincibili ignorantia ejusdem. In dato casu volitio ignorantis, & volitio scientis tendunt in idem objectum; illa tamen caret, & ista habet formalem malitiam contra legem jejunij. Quæro, *unde volitio recte judicantis, & scientis prohibitionem, præ volitione ignorantis habet formalem malitiam?*

743. Respondebis, ex objecto, non secundum se, sed ut subest circumstantiæ legis prohibentis à rectè judicante, non autem ab errante cognitæ; at sic ea volitio, in quantum est volitio *edendi carnes die Veneris*, non est ex se mala etiam materialiter; sed solum, *ut conjuncta cum circumstantia legis*, quæ tali volitioni non est intrinseca, æquè, ac volitioni mendacij non sit intrinseca materialis malitia mendacij; ergo nec ista est ex se mala etiam materialiter, sed solum extrinsecè, ratione circumstantiæ, quæ inest objecto, in quod tendit, ac in eam refunditur, ubi cognitum voluntas nihilominus prosequitur. Hinc

744. Resp. 2. ad instantiam in n. 740. negandò id, quod assumitur; jam enim dictum est, quòd prosecutio earum actionum, quas sine formali malitia faciunt invincibiliter errantes, factæ à non errantibus, sed scientibus legem prohibentem, formalem malitiam sumant ab objecto cognito *ut malo*, vel ex se, vel ex circumstantia legis eas prohibentis.

745. Instabis 3. ergo talis volitio, saltem tunc non erit formaliter honesta, & meritoria, si verè sit intrinsecè mala materialiter, non secus ac mendacium, esto contingat dependenter à conscientia invincibili errore, dictante, ex obligatione mentiendum esse. Ad hoc respondet Muniessa *cit. stimulatione* 3. §. 9. n. 73. hominis voluntatem in dato casu, *materialiter quidem malam*, excusati à peccato formali, non tamen, *bene, ac honestè formaliter operari*. Præter allatas jam rationes, quæ procedunt ex suppositione, quòd volitio objecti intrinsecè mali sit intrinsecè mala, malitiâ objectivâ, & materiali, quod jam negavimus, intentum suum probare nititur sequentibus argumentis, §. 10. n. 81.

746. Primò. Nulla volitio potest evadere formaliter bona, quæ non regulatur à prudentia, ut constat ex Aristotele *Ethic.* 6. c. 1. volitio procedens ex conscientia invincibiliter errante, non regulatur à prudentia; hæc enim nequit falsitati subjacere; illa verò actu falsa est; ergo. 2. dictamen ex invincibili errore approbans mendacium, *ut honestum*, difformatur primæ regulæ omnis honesti, nimirum legi æternæ, & voluntati Dei; ergo etiam volitio humana, quæ sequitur tale dictamen; prob. confeq. quia conformitas cum prima regula omnis honesti, est ratio indefectibilis honestatis, & bonitatis moralis; quod autem ab intrinseco est difforme primæ regulæ omnis honesti, nequit ei esse conforme; ergo quod est ab intrinseco difforme primæ regulæ omnis honesti, nequit esse moraliter bonum, & honestum; at volitio objecti per se, & intrinsecè mali ab intrinseco est difformis dictæ primæ regulæ non minùs, quàm dictamen illud erroneum, ex quo sequitur; est enim intrinsecè, & naturâ suâ *volitio rei (mendacij v. g.) non honestè volibilis*; ergo.

747. Verùm nec ista evincunt intentum; & ideo Terillus *p. 1. de Reg. mor. q. 3. P. Mathæus de Moya tom. 2. q. 9. §. 6. P. Ferdinandus de Castropalio, P. 1. tr. 1. de Conscient. D. 1. p. 2. n. 6. Esparza de actibus humanis q. 24. a. 3. & alij apud eos relati*, probabilius docent, operationem, *materialiter malam*, quæ ponitur ex dictamine conscientiæ invincibiliter dictante, illam non esse malam, sed hic & nunc sub obligatione, factam liberè, esse formaliter bonam, & honestam; ut constabit etiam *ex sequentibus*. Igitur ad primam rationem & cum distinctione majoris: nulla operatio potest evadere formaliter honesta quæ, non regulatur à prudentia *per dictamen practicum rationis, applicatâ voluntati quoad casum operationis tunc exercendæ*, C. ma. non applicatâ, N. ma. distinguo etiam min. volitio procedens ex conscientia invincibiliter errante, non regulatur à prudentia per dictamen practicum rationis *non applicatâ* voluntati quoad casum operationis tunc exercendæ, N. min. applicatâ, C. min. N. confeq. Hanc distinctionem ipse Muniessa & admittere tenetur; & admittit.

748. Cum enim de paucis habeamus certitudinem,



rudinem, ubi quæstio est, *an sit, an non sit lex, prohibens talem actum in particulari?* v. g. talem contractum, aliis affirmantibus, aliis negantibus, esto stet infallibile dictamen prudentiæ, *contractum prohibitum*, illicitè; *non prohibitum*, licitè celebrari; operans tamen, nisi prius, post debitum examen, vel inquisitionem, pro suo sibi captu persuadeat, saltem in prudenti apparentia motivorum, verum esse, non dari talem legem prohibentem, non operabitur licitè, nisi dictamen prudentiæ voluntati quoad casum hunc applicetur per dictamen rationis practicum, quo sibi persuadeat, verum esse, non dari talem legem prohibentem, esto dictamen illud, applicans prudentialem eam regulam, sit simpliciter incertum, & in re falsum.

749. Ad id, quod pro minoris probat. additur in objectione cit. n. 746. *dictamen prudentiæ nequit falsitati subjacere, &c.* cum dist. nequit falsitati subjacere, quoad se, & seclusâ applicatione per dictamen rationis ad casum particularem, C. quoad ipsam applicationem, N. Dici etiam potest, dictamen prudentiæ elicited, non autem duntaxat imperatum ab illa, non subjacere falsitati. Sed hoc non obstat, quo minus verum sit, operationem in dato casu sequi, & regulari à dictamine prudentiæ, applicato per dictamen practicum rationis in casu particulari, quo post debitam diligentiam, pro captu operantis, ipse sibi persuadeat, ut dictum est, verum esse, nullam dari legem, quæ prohibeat talem operationem; nam *tale iudicium concipere, est formare suam conscientiam, quâ quis licitè operetur*, ut ait ipse Muntessa, *stimulat. 8. n. 120.*

750. Ad 2. rationem in n. 746. N. ant. cum P. Castropalao cit. n. 5. ubi expressè, ac meritò docet, conscientiam errantem, non esse *formaliter* contrariam legi divinæ; quia lex divina, cui videtur contrariari, tunc non obligat; cum non sit in iudicio intellectus, quod necessarium erat ad obligationem inducendam. Dixi, conscientiam errantem divinæ legi non contrariari *formaliter*, nimirum *ut cognita*, tanquam prohibenti volitionem mentendi in talibus circumstantiis; cum hoc tamen stat, quòd ei contrarietur materialiter, quatenus falsò, & erroneè mendacio tribuit *absolutè* veram honestatem, quam

ei lex æterna Dei negat *absolutè*, & solum concedit ex suppositione conscientiæ invincibiliter, ac citra culpam errantis, ut dicemus à n. 772. Nam in hoc situs est error ille conscientiæ, de quo loquimur.

Ex hoc sequitur, *nec volitionem mendacij*, quando hujus objectiva malitia invincibiliter ignoratur, & potius iudicatur bonum, & honestum; *æternâ lege Dei prohiberi*, nisi pro circumstantia cognitionis eam malitiam exprimentis, adcoque nullatenus ex se malam esse moraliter. Neque dicas: ergo in tali casu mendacium commissum *nec erit materiale peccatum*; quia tunc nec æternâ Dei lege prohibetur, ut dictum est cum [Castropal. cit. num. priori.] Respondetur enim N. illatum. Nam ut aliquod opus sit *materiale peccatum*, sufficit, quòd cognitum cum sua malitia (si quam habet ex se, vel ex lege,) ac liberè volitum, evaderet peccatum formaliter, nimirum imputabile ad veram culpam, esto careat hac imputabilitate formali, quando fit ex invincibili errore.

Quando dicitur, quòd *conformitas cum prima regula sit ratio indefectibilis honestatis*, distinguendum est, & concedendum, si loquatur de conformitate cum prima regula, *operanti intimata per conscientiam*; secus, negandum est. Nam regula *operandi honestè*, non debet relatè ad hominem ab ea dirigendum considerari *merè secundum se* (prout est in aliis, quæ petunt medium rei, seu ut res rei congruat) sed secundum quod est in conscientia, regulanda per eam; adeoque sufficit, operationem, quæ fit secundum conscientiam invincibiliter errantem, conformari primæ regulæ, secundum quod est in conscientia; at hoc contingit in dato casu; ergo.

Demum ad id, quod in eodem n. 746. ad finem additur: *volitio mendacij adhuc esset volitio rei non honestè volibilis*, etiam in causa, quo quis per invincibilem errorem sibi persuaderet, se hinc & nunc jure naturali teneri ad mentendum ad salvandam v. g. salutem Reipublicæ. &c. omnino negari eam propositionem. Aliud est, quòd volitio mendacij, *sit volitio rei non honestè volibilis, cognita ejus malitiâ, & prohibitione*; aliud, quòd *non modo invincibiliter ignoratâ, sed etiam tanquam rei sub obligatione per conscientiam proponitur*

751.

752.

753.

*sita.* Primum verum est; sed secundum omnino falsum. Certum enim est, quod talis homo, sic persuasus, deberet *tunc velle mentiri*; alias enim peccaret, ut fateatur Munieffa *stimulat.* 3. §. 13. n. 107. ubi rationem reddit dicens: *verum est, quod ille homo sic constitutus peccaret, si non mentiretur: nam volens tunc non mentiri, vellet transgredi veram Dei legem, sibi representatam; quod velle, peccatum abs dubio est, siue reipsa detur, siue non detur lex mentiendi: quia, siue ista detur, siue non detur, datur abs dubio vera lex Dei, & natura, prohibens nobis, velle transgredi Dei legem, & peccare.* quo posito:

754.

Quæro jam, an si talis homo sincerè intenderet se conformare veræ legi Dei sibi representatæ, & hoc fine poneret mendacium, verè laudabiliter, bene, ac honestè ageret, vel non, saltem in affectu, & quoad imputabilitatem virtutis, cujus finem operans directè intendit? si conceditur, habetur intentum; si negatur, ut reverà negare debet Munieffa secundùm sua principia, non video, quid ampliùs ad operandum honestè imputabiliter desiderari possit. Nam etsi plus requiratur, *ad operandum honestè formaliter*, quàm *ad operandum inhonestè formaliter* (nam ad hoc sufficit, quod quis liberè velit malum morale per conscientiam *ut tale* propositum, esto id non intendat, *quia malum*; ad illud autem non sufficit liberè velle bonum morale per conscientiam *ut tale* propositum; sed requiritur etiam, ut quis illud velit, *quia bonum*, seu honestum moraliter secundùm dictamen conscientiæ) ubi tamen hoc utrumque concurrat, ut reverà fit in dato casu, nihil omnino deficit, ut talis operatio evadat honesta formaliter, & imputabilis ad virtutem, ut præter citatos Authores in n. 747. tenet etiam Thom. Sanchez l. 1. in Decal. c. 11. n. 17. Azor l. 2. c. 8. q. ult. Salas. 1. 2. tr. 8. D. unic. sect. 3. n. 20. & Izquierdo de Deo Uno, tr. 10. D. 35. n. 37. & 43. ubi expressè docet, *ut bonitas materialis alicujus actûs, per conscientiam probabilem, licet in re falsam, proposita, evadat operanti formaliter imputabilis, & bona, sufficere in ratione propositi-onis judicium practicum probabile de tali bonitate actûs.*

755.

Ad casum *n. priori* propositum, quem

sibi objicit Munieffa *cit.* §. 13. n. 106. respondet n. 107. *falsum esse, quod talis tunc impleret Dei præceptum, reipsa illum obligans ad tunc mentiendum*; quia nec datur reipsa, nec dabile est in Deo pro ullo casu tale præceptum, utpote involvens voluntatem Dei de re intrinsecè mala, quod non minùs, ac ipsum peccatum, repugnat Divinæ Sanctitati. Circa istam reipsonem recolenda sunt ejus verba relata superius n. 753. ubi expressè docet. 1. quod peccaret contra veram Dei legem sibi representatam, qui mentiri nollet, quando ipsi proponitur per invincibilem errorem, quod detur vera lex Dei obligans, ut mentiatur. 2. quod siue detur, siue non detur reipsa *lex mentiendi*, tamen *abs dubio detur vera lex Dei, & natura, prohibens nobis, velle transgredi Dei legem, & peccare*; quo posito:

Contra datam reipsonem instari potest: si abs dubio datur vera lex Dei, & naturæ, prohibens nobis, *velle transgredi Dei legem, & peccare*; necesse quoque est, quod abs dubio detur vera lex Dei, & naturæ, prohibens nobis, *velle omittere mendacium*, quando quis per invincibilem errorem conscientiæ judicat, dari veram obligationem mentiendi; quia tunc, *velle omittere mendacium, est velle transgredi veram Dei legem sibi representatam*, quod *velle, abs dubio est peccatum*, ut disertè ait Munieffa *cit.* n. 107. ergo non est falsum, sed verum, quod Vir ille, si mentiretur, tunc adimpleret Dei præceptum reipsa existens, & ipsum obligans *ad tunc mentiendum*; patet conseq. quia datur in re vera lex Dei, & naturæ, prohibens, *velle transgredi legem; sed tunc velle omittere mendacium, est tunc velle transgredi legem*; ergo datur vera lex Dei, & naturæ, prohibens, *tunc velle omittere mendacium*; at lex prohibens omissionem actûs, petit positionem actûs; ergo vera lex Dei, & naturæ prohibens *tunc velle omissionem mendacij*, petit tunc *positionem mendacij*; qui autem facit, quod lex petit, ac eo modo, quo petit, legem adimplet; ergo.

Ex dictis collig. 1. ignorantiam vincibilem, in casu, quo desinit esse vincibilis, & reddita est invincibilis, excusare operantem à culpa tunc imputabili, quando actu ponitur opus materialiter malum ex tali errore, vel ignorantia. Ratio est à

n. 722.

n. 722. quod procedit non tantum, quando sequitur post culpam præcedentem jam abolitam per penitentiam, ex *num. cit.* sed etiam licet nondum abolita sit, & habitualiter tunc perseveret, ex n. 723. & *seq.* Collig. 2. operantem ex errore, vel ignorantia vincibili, & culpabili tunc, cum actu ponitur opus cæteroque prohibutum, non excusari à culpa, quam inducit *negligentia*, quæ tunc committitur, dum non vincitur error, vel ignorantia, cum posset, & deberet; ratio est à n. 721. Collig. 3. eum, qui ex invincibili errore sibi persuadet, se hic, & nunc teneri v. g. *mentiri ad salvandam vitam alterius*, in tali casu *mentiendo*, non tantum non peccare formaliter; sed etiam operati bene, ac honestè formaliter, si id faciat animò se conformandi tunc legi per conscientiam invincibiliter errantem propositæ. Ratio primi est ex dictis à n. 247. secundi, à n. 718.

718. Colliges. 4. concedi, quod dentur quædam objecta ex se, & intrinseca sua ratione fundamentaliter, seu materialiter mala malitia morali. Nam *odium Dei* antecedenter ad omnem legem Dei, vel naturalem, vel positivam habet, quod ejus *libera eligibilitas*, *citra errorem in eligente*, disconveniat rectæ rationi. Nam in hoc sita est malitia moralis, fundamentaliter, seu materialiter solum talis. Ex hoc collig. 5. quod, si mendacium de se, & ex intrinseca sua ratione est malum moraliter malitia fundamentalis, ejus volitio, antecedenter ad omnem legem Dei tam naturalem, quam positivam, patitur de se, & ex intrinseca sua ratione sit mala moraliter malitiâ fundamentalis *relatè ad operantem* circa tale objectum secluso errore, quod voluntas prosequitur; non autem *relatè ad operantem*, seu mentientem *cum errore invincibili*, quo conscientia sic errans dicitur, tunc esse sub obligatione mendacium.

719. Ratio postremi est; quia, cum taliter errans in dato casu ex vera lege Dei, & naturæ tunc prohibeatur, velle transgredi legem Dei sibi propositam à conscientia; & nolle tunc mentiri, in te tunc sit *velle transgredi legem Dei* sibi propositam à conscientia; necesse est, quod *velle tunc mentiri* sit sub vera lege Dei, & naturæ; quod tamen non esset, si etiam *pro casu*

Tom. I.

*erroris* ejus eligibilitas libera, foret disconveniens naturæ rationali, quæ tali; cum implicet in iisdem omnino circumstantiis contradictionem, eundem actum esse, & non esse sub vera lege Dei, & naturæ; quod tamen sequeretur. Sequela ex dictis constat. Nam in casu, quo per conscientiam invincibiliter errantem proponitur, *esse obligationem mentendi*, est sub vera lege Dei, & naturæ prohibente, *velle transgredi legem Dei*, consequenter, *nolle tunc mentiri*, atque adeo re ipsa est sub vera lege Dei, & naturæ petente, *tunc velle mentiri ex dict.*

Si autem etiam pro eodem casu dicti erroris *velle mentiri* esset intrinsecè malum, seu disconveniens naturæ rationali, quæ tali, idem *velle mentiri* sub iisdem circumstantiis, esset, & non esset sub vera lege Dei, & naturæ. Ex hoc facilis est responsio ad argumentum desumptum ex S. Thoma, de quo supra n. 732. Nam esto detur totum, quod ibidem dicit D. Thomas ex S. Dionysio, dum ait: ad hoc, ut dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quidd secundum suam naturam sit malum; sive quod apprehendatur ut malum: *sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum*; nihil tamen exinde concluditur. Nam volitio mendacij in casu, de quo controvertitur, *utroque modo est bona*; ergo in dato casu, etiam ex doctrina S. Thomæ est bona, & honesta. Ant. prob. & primo, *est bona in cognitione*; cum apprehendatur ut bona moraliter, & ut præcepta, prout ponit ipse casus. Secundo *est bona etiam in se sub illis circumstantiis*; tum quia, ut rectè notavit Castropalaus, *cit.* & à nobis relat. n. 750. non prohibetur à Deo; tum quia in illis circumstantiis est sub vera lege Dei, & naturæ, prohibente omissionem volitionis, consequenter petente volitionem operis, quod proponitur per conscientiam errantem ex obligatione volendum. Quis autem negat, opus esse bonum, & honestum tunc, quando est sub obligatione veræ legis Dei, & naturæ?

Responderi etiam posset, quod, quando S. Thomas dicit, ad hoc, ut sit bonum opus, quod facimus, requiri, *quod sit bonum ex integrâ causa*, aliud non intendat, quam requiri, quod sit bonum non tantum

A a

tum in cognitione, sed etiam *in medio*, & *sine*; sicut enim medium de se bonum vitatur ex fine pravo v. g. *dare eleemosynam, ut seducas accipientem pauperem*; sic & finis de se bonus vitatur ex medio pravo v. g. *furari, ut des eleemosynam*: at in nostro casu finis est bonus, nempe *salus Reipublica*; & medium est, *nolle transgredi legem Dei, & naturæ*, mendacium omittendò, quod in dato casu abs dubio esset transgressio illius legis, & peccatum formaliter; ergo. Et ex his resolvi possunt alij textus tum D. Thomæ, tum D. Bernardi à Muniessa *stimulat. 3. Q. 9. à n. 76.* in contrarium adducti.

762. Collig. 6. opus aliquod *sub certa circumstantia* intrinsecè malum, non eo ipso etiam esse tale *sub alia*; sic homicidium, seclusa lege Dei (in quantum ei ut supremo Domino subest vita hominis) indulgentis occisionè hominis, aut seclusà justitià vindicativà justè ad mortè condemnante malefactorem, aut simili causa, est intrinsecè malum; secus ea præsentè: at mendacium, quod præsens casus ponit intrinsecè malum, sic se habet. Non enim est intrinsecè malum sub qualibet circumstantia, ut dictum est *suprà*, nimirum in circumstantia conscientie invincibiliter dictantis *velle mentiri*, esse sub obligatione. Ex quo habetur, aliud esse, quod conscientia, invincibiliter errans, objecto intrinsecè malo tollat suam pravitatem *in ratione propositionis*, nimirum erroneè proponendò illud sine malitia, sed potiùs cum bonitate; aliud, quod *in ratione circumstantie* faciat, ne tunc, & pro casu hujus circumstantie, ubi sic proponitur, sit dissonum rectæ rationi, consequenter intrinsecè, seu ex se malum; primum omnino conceditur; at secundum negatur ex *dictis*.

763. Collig. 7. sicut homicidium, licet in certis circumstantiis sit intrinsecè malum, consequenter tunc non honestè volibile; in aliis tamen est honestè volibile, quando scilicet id exigat justitia vindicativa; sic mendacium v. g. licet in certis circumstantiis (nimirum, cum operamur citra errorem) sit intrinsecè malum, & consequenter tunc non sit honestè volibile; in aliis tamen esse honestè volibile, nimirum ubi proponitur supposito errore conscientie invincibiliter dictantis, *tunc velle men-*

*tiri, esse sub obligatione*; quia tunc id exigat vera lex Dei, & naturæ, prohibens, *velle transgredi legem à conscientia propositam*.

Collig. 8. ex hoc, quod detur vera lex Dei, & naturæ prohibens, *velle transgredi legem Dei*, consequenter petens, *ut quis velit mentiri tunc, quando nolle mentiri*, vel *velle omittere mendacium*, foret transgredi legem Dei, nullatenus bene inferri, quod divina voluntas tunc esset de re intrinsecè mala, ut constat ex *dictis*.

Collig. 9. *voluntatem* in dato casu *mentiendi*, fore non tantum formaliter honestam, ut dictum est, sed etiam meritoriam. Nam actus formaliter honestus est dignus præmiò; consequenter meritorius formaliter; sed ea voluntas in dato casu esset formaliter honesta, ut dictum est; ergo digna præmiò, consequenter formaliter meritoria. Collig. 10. non esse vultum inconvenièns, imò rectè concedi, voluntatem mentiendi, quando quis invincibiliter, licet ex errore, modò inculpabilis sit, iudicat, *se hic, & nunc teneri, velle mentiri*, posse supernaturalem esse, quia non laborat ullo vitio vel in ratione entis, vel in genere moris, repugnante supernaturalitati.

Si dicas: Deus author esse non potest alicujus mali moralis, aut alicujus falsi; sed hoc fiet in dato casu; sic enim deberet esse Author illius *judicij errantis*, & dictantis, *esse mentiendum* v. g. ob salvandam vitam alterius. Si enim illius Author non est, non est obligatio sequendi illud. Nam in tantum sequi tenemur conscientiam, in quantum est quædam regula à lege æterna derivata: respondet Castropal *cit. P. 1. tr. 1. D. 1. p. 2. n. 5. ad 3.* Deum, nulla facta suppositione, non posse physicè, vel moraliter ad malum morale, vel falsum inclinare; & ita neque consulere, nec præcipere, *esse mentiendum*; nec determinare intellectum, ut errorem illum habeat; concurrere tamen tanquam causam universalem: at, *errore supposito, bene posse præcipere, esse mentiendum*, non quidem *absolutè*, sed *ex suppositione*, quod conscientia errans id dicit. Ex quo ad argumentum *æ. data majori*, si loquatnr de Deo specialiter concurrente ad malum morale, vel errorem, & falsum in intellectu; & sic N. min. cum

cum sua probatione, quod deberet esse specialis auctor, seu causa illius iudicij falsi; nego etiam, quod si non esset specialis causa, non esset obligatio etiam in suppositione erroris, sequendi illud. Nam hæc vis non tantum tribuitur conscientia, ut quod, sed etiam ut quo, nimirum tanquam applicationi veræ legis, Dei, & naturæ, prohibentis, velle transgredi legem Dei, à conscientia propositam.

766. Ad prob. ultimam distingo: in tantum tenemur sequi conscientiam, in quantum ipsa est regula solum ut quo, à lege aeterna derivata, N. in quantum est quædam applicatio regulæ ut quod, C. pro cuius intelligentia not. 1. certum esse, dari legem Dei, & naturæ prohibentem, velle transgredi veram Dei legem, non tantum verè, sed etiam falsò, invincibiliter tamen, & sine culpa voluntati propositam ab intellectu, consequenter, esse obligationem eidem obtemperandi; & cognitionem, quæ illam legem proponit, non esse falsam, sed veram; quo casu lex sic proposita est regula, ut quod, hoc est, quæ dirigit, & regulat operantem media sui cognitione, quæ, seu per quam applicatur voluntati operantis, quæ cognitio propterea dicitur regula, & lex ut quo.

767. Not. 2. voluntatem illo vero lumine instructam, necdum habere obligationem volendi, vel omittendi hoc determinatum opus, mendacium v. g. nisi accedat alia cognitio, quæ dicit, nisi v. g. nunc mentiaris, ut salves vitam huius hominis, peccabis; quæ cognitio, quantumvis citra culpam erronea, consequenter de isto particulari enuntians obligationem mentiendi falsa, in vi dictæ legis ut quod, obligat, ut velit mentiri; quo posito: apparet, quod Deus nullo modo sit causa specialis huius iudicij secundi, & re ipsa falsi, esto causet illud ut causa universalis. Nam ejus causa specialis, cum concursu Dei solum generali, est intellectus ex motivis, quæ citra culpam apparent illi ut vera, & persuadent, ad salvandam vitam hominis ei esse ex obligatione mentiendum propter eum finem.

768. Apparet 2. cognitionem, quæ falsò proponit in tali casu particulari esse mentiendum, non esse legem à lege Dei aeterna derivatam; nec in vi eius tantum etiam in dato casu, esse veram obligationem men-

tiendi, sed in vi primæ verè proponentis, à lege Dei, & naturæ prohiberi, velle transgredi legem Dei, etiam ex suppositione conscientia invincibiliter errantis, & distantis: nisi tunc mentiaris, transgredieris legem Dei, ut rectè notavit Castropal. supr. cit. n. 765. Apparet 3. quod voluntas mentiendi, per prædictam cognitionem duplicem, veram unam, de qua n. 766. & inculpabiliter errantem; ac falsam alteram, regulata, nec formaliter, nec materialiter fit mala moraliter; non formaliter, ut constat ex n. 754. non materialiter, ut diximus n. 758. consequenter, quod Deus (esto vera lex Dei, & naturæ, illam hinc, & nunc præcipiat ex suppositione conscientia invincibiliter errantis, nullatenus præcipiat malum morale.

Collig. 11. ex eo, quod Aristoteles dicit 6. Ethic. c. 1. & rationem veram, & appetitum rectum esse oportere, ut operatio sit studiosa, nihil sequi contra datam doctrinam. Nam appetitus, qui conformatur conscientia rectæ, non potest non esse rectus; sed hoc in dato casu contingit. Nam, qui habet hanc cognitionem veram: datur vera lex Dei, & naturæ, prohibens voluntatem peccandi; & istam inculpabiliter errantem: nisi nunc mentiar, peccabo, bene concludit, & format hanc consequentiam: ergo hic & nunc non possum velle omittere mendacium; quia velle hic & nunc omittere mendacium, est velle peccare; ergo hic & nunc debeo velle mentiri, si non volo peccare: hæc autem conscientia est vera; ergo.

Collig. 12. voluntatem mentiendi nunc, quia honestum esse dicitur irreprehensibiliter conscientia, non regulari immediate à solo iudicio erroneo directo, nec à solo iudicio universali, & vero, quod nunquam liceat peccare; sed ab hoc universali vero, & illo particulari erroneo, prius iudicium universale applicante ad casum particularem, dicente: nisi nunc mentiaris, peccabis, in quantum simul causant hoc iudicium concludens: ergo nisi velim peccare, debeo nunc mentiri; quod iudicium verum est, & immediate regulans operantem; id, quod etiam docet Muniſſa cit. stimulat. 3. §. 12. n. 100. in casu simili de elemosyna data pauperi, non vero, sed existimato.

Collig. 13. hunc syllogismum: bene, ac, hone-

ac honestè operor, quoties facio, quod conscientia irreprehensibiliter dicitur, *istud opus esse præceptum verâ lege Dei, & naturæ, si propterea facio, ut obediam dictæ legi*: sed in præsentî casu mihi conscientia irreprehensibiliter dicitur, esse præceptum verâ lege Dei, & naturæ, ut velim hîc nunc mentiri; ergo si hîc & nunc velim mentiri, ut obediam dictæ legi, bene ac honestè operor: hunc, inquam, syllogismum immeriò vocari à Muniessa cit. *stimulat. 3. q. 10. n. 85. falsissimum, & evidenter inevidentem*. Nam immeriò dicitur, dictam majorem universalem esse falsam; hanc enim falsitatem ibi non probat; & utique probatam supponit ex rationibus, quas ex eodem adduximus à n. 736. præsertim eâ ex D. Thoma: quòd *bonum fit ex integra causa*; at ex omnibus illis rationibus non tantùm non convincitur *evidenter inevidens*, sed nec ullâ ratione *falsitati obnoxia* ea major, ut constabit legenti responiones illis rationibus oppositas, præsentim n. 760. ad argumentum ex D. Thoma; ergo; sic in simili Terillus cit. q. 16. n. 40. Moya cit. q. n. 41.

772. Collig. 14. omnino negandum esse suppositum, quo nititur Muniessa cit. tum a libi, tum n. 89. quòd, *se Deus, ex suppositione conscientia irreprehensibiliter dicitantis, hîc & nunc esse mentiendum, homini sic erranti præciperet, ut mentiri velit, eo ipso malus esset*. Nam in dato casu *velle mentiri*, non modò non est malum, ut constat ex n. 758. sed reverâ præceptum, non absolute, sed solum ex suppositione erroris, ut diximus n. 765. Unde igitur esset malum, præcipiendò, quod in talibus circumstantiis non est moraliter malum. Hinc ad eam propositionem, quam toties repetit: *mentiri, & pejerare, idque velle taliter, est intrinsecè, ac per se malum*: respondetur: vel loquitur de voluntate mentiendi *concepta citra errorem*, vel *ex errore irreprehensibili*? hoc secundum dicere non potest, cum ipse n. 90. statim subjungat, *taliter esse per se malum, ut homo veri conscius id velle nequeat*: ergo solum procedit de casu, ubi quis *vellet mentiri conscius de malitia mendacij*, ergo ubi non est conscius, sed irreprehensibiliter judicat, *bonum esse mentiri*, velle mentiri in tali suppositione erroris, non est intrinsecè, ac per se malum.

Unde not. hæc duo esse valde diversa, 773. velle materialiter malum *in suppositione*, quâ est materialiter malum; & velle materialiter malum *in suppositione*, quâ non est materialiter malum malitiâ morali. 2. velle materialiter malum *in suppositione*, quâ est materialiter malum, importare omnino volitionem intrinsecè, ac per se malam malitiâ morali fundamentaliter tali; non autem *in suppositione*, quâ non est materialiter malum. 3. illud opus rectè dici *materialiter malum* malitiâ morali, fundamentaliter tali; quod *in nulla circumstantia, nisi conscientia irreprehensibiliter errantis, licitè eligi potest*. 4. esto ponas *mendacium* absolute esse ex se, ac intrinsecè malum morali, fundamentaliter tali; non tamen esse tale in suppositione conscientia irreprehensibiliter errantis, pro tali suppositione.

Ex his autem sequitur, esto *volitio mendacij extra suppositionem* conscientia 774. invincibiliter errantis, sit intrinsecè, ac per se mala *materialiter*, malitiâ morali, fundamentaliter tali; non tamen esse talem *intra suppositionem* conscientia irreprehensibiliter errantis, cujus ratio est ex dict. n. 762. nam ratione hujus circumstantia non dissonat rectæ rationi, quâ tali: secus eâ seclusâ: certum autem est, ex fine honesto velle opus in suppositione circumstantia, quâ non est materialiter malum, honestè concipi; ergo velle mentiri ad salvandam vitam proximi, in suppositione circumstantia, conscientia nimirum irreprehensibiliter errantis, potest tunc honestè concipi. Sed de hoc satis.

## §. VI.

*An, & qualiter verum sit, quòd objectum suam malitiam non transfundat in actum, nisi ut præcognitum?*

P Muniessa cit. *stimulat. 3. q. 12. n. 775. 102.* ait: à multis ex axiomatico illo, sic indiscussè dicto, subinferri enormia absurda. 1. quia sic idem foret æquè in casu vincibilis, ac invincibilis erroris. 2. quia sic affectus *ex cognitione remissa* de malitia objecti non possent esse *intense* mali. 3. quia sic affectus amplectens malum *ut sic* (sine discrimine *levis*, vel *gravis*) esset peccatum, nec leve, nec grave; quia non præcogno-

73. præcognoscitur objectum, nisi ut malum, præscindendò à gravitate, & levitate malitiæ. 4. quia existimans suum affectum esse peccatum, sed non offensam Dei, reipsâ peccaret, sed non offenderet Deum. 5. affectus peccaminosi opinantium omnia peccata esse strictas injustitias contra Deum, coipso forent, non solum opinativè, sed reipsâ formaliter injustitiæ; quibus positis: in n. 102. ad finem concludit, non igitur ita crudè, pinguiq. Minervâ usurpandum est proloquium illud; quod tamen generaliter, & ut certum, & evidens, jactant idem Terillus, & Moya, & cum illis turba Modernorum. Hinc in num. statim sequenti, ait, illud sic esse distinguendum: objectum in actum non refundit suam malitiam, sicut nec bonitatem, nisi ut præcognitum, sumptâ particulâ ut comparativè, seu commensurativè, N. sumptâ particulâ ut requisitivè, C.

74. 776. Verum citatus Author impugnat illos Doctores, & Modernos generaliter usurpantes illud proloquium, seu axioma in sensu, quo nullatenus ab eis accipitur; nam in sensu illorum verissimè procedit, quin vel unicam etiam absurdi umbram admittere cogantur. Illius proloquij sensus est, quòd actus, ab objecto, nullam recipiat malitiam, vel bonitatem, nisi præcognitam; non autem, quòd suppositâ semel malitiâ, vel bonitate ab objecto, per sui cognitionem, quâ mediante influit, acceptâ, non possit ex aliis quoque capitibus, non influentibus objectivè, auferre in ea bonitate, vel malitia. Aliud enim est: actus nullam habet malitiam, vel bonitatem ab objecto, nisi præcognitam; & tantam solum, quanta est præcognita: aliud, actus ab objecto nullam habet malitiam, vel bonitatem, nisi ut præcognitam, seu nisi ea sit præcognita. Primum non dicit turba Modernorum; & conceditur falsum esse; secundum autem verissimum est, ut constabit ex responsis ad ea, quæ frustra ponuntur in contrarium.

777. Ad sequelas, quas vocat absurda enormia, in n. 775. & ad primam, quæ sic habet: si objectum non refundit in actum malitiam, vel bonitatem, nisi ut præcognitum, eadem ratio erit in actu elicito ex ignorantia vincibili, & invincibili; in utroque enim casu objectum est præcognitum, ut bonum, saltem negativè, nimi-

rum cum præcisione ab ejus malitia. Nam facilem habet distinctionem, concedendò actum in neutro casu habiturum malitiam ab objecto, in quod fertur; negandò, actum in casu ignorantia culpabilis non habiturum malitiam in causa voluntariè, ac culpabiliter admissa, ut jam alias dictum est. Quare distinguo eam sequelam: quoad malitiam ignoratam eadem erit ratio in actu elicito ex ignorantia vincibili, & invincibili, C. quoad malitiam, quam actus habet in causa culpabilis ignorantia, N. sequelam. Ad prob. & dist. antecedens: in utroque objectum est præcognitum cum præcisione malitiæ in objecto, sed non sine culpa ignorantia vincibilis, C. & præcisione malitiæ in objecto, & sine culpa ignorantia, N. ant. & conseq.

778. Ad. 2. ibid. & cum distinctione: sic affectus mali, provenientes ex cognitione remissa malitiæ in objecto, non possent esse intensivè mali ex ipso objecto ultra id, quod est præcognitum, C. non possent esse intensivè mali ex alio capite, N. sequelam. Actus elicitus ab humanitate Christi sunt infinitè boni, non ex objecto ut præcognito; cum & ipsum finitæ bonitatis sit, & cognitio eam finitè repræsentet; sed à dignitate subjecti operantis, quæ non requirit sui cognitionem, ut bonitatem actus in eum derivatam ab objecto intendat, cum non influat per modum objecti, ut pluribus ostendi in tract. de Incarnat.

779. Hinc notandum, bonitatem, vel malitiam actus, in eum transfusam ab objecto, ut præcognito, posse intendi ex aliis etiam capitibus, quæ non habeant rationem objecti, v.g. ex majori libertate, ex majori concupiscentia, vel voluntatis promptitudine, ex majori indifferentia voluntatis &c. quibus positis, quid quæso enormis absurditatis continet dictum, quòd affectus proveniens ex remissa cognitione de malitia objecti, non possit intensivè malus esse ex objecto; licet ex aliis capitibus intendi possit, si semel malitia in eum transfusa est ex objecto. Et ratio est; quia in causis physicis certum videtur, quòd in effectu non possit aliqua perfectio esse intensior ex vi causæ, in eum influentis, nisi secundum quòd influit in eum; cur id non idem rectè dicatur de causis intentionalibus, seu non influentibus, nisi media sui cognitione, secundum modum, quo

in ea sunt; certè amor infiniti boni, finitè propositi voluntati ab intellectu, non nisi finitè bonus est ab objecto, licèt ex aliis capitibus intendi possit illa bonitas amoris.

780. Ad tertiam sequelam in eodem *n. cit.* de affectu amplectente objectum, *propositum ut malum præcisè*, quin repræsentetur gravitas, vel levitas mali, responsiones variæ sunt, ut videri potest apud Castropalaum *P. 1. tr. 1. D. 1. p. 3. à n. 3.* aliis volentibus, tunc peccari solum venialiter; aliis, mortaliter. Judico tamen in hac quæstione distinguendum, *an* in eo casu advertens objectum, quod agit, esse malum præcisè, *nullatenus attendens, seu cognoscens speciem mali gravis, aut levis*, aliqua ratione saltem tunc advertat, quòd hic, & nunc opus illud exercendò, *committat se periculo faciendi actum graviter malum, an non*; In primo casu censeo, committi tunc peccatum grave; quia tunc repræsentatur ei gravitas periculi. Nam periculum labendi *graviter*, est malum grave; & ita tenet Castropalus *cit. n. 6.* In secundo, probabilius judico, committi peccatum solum veniale; ita Navarrus, Lopez, Valentia, Salas, & alij apud Castropalaum *n. 5. id.* quod in *M. S. de Legibus* expressè docuit P. Henricus Herdinck, *q. 3. de causis excusantibus ab impletione legis*, de quo jam aliàs in præcedentibus. Ratio autem hujus est. 1. quia sic non est, unde talis actus defumat, vel accipiat rationem *gravis* mali; *non à malitia objecti*, quod liberè amplectitur, cum nullatenus ei repræsentetur objectum *graviter* malum, ut ponit casus; *non à periculo*; quia similiter nihil illi *de gravi* periculo proponitur. 2. si tunc peccaret graviter, deberet adesse *cognitio sufficiens* ad plenè consultandum, vel considerandum, atque deliberandum, consultatione, & deliberatione *requisitâ ad peccandum graviter*; atqui in dato casu non adest talis cognitio; probatur: in dato casu adest sola *cognitio de malitia objecti præsciendò, an sit leve, vel grave*; sed talis cognitio non est sufficiens ad dictam consultationem, ac deliberationem requisitam pro committendo peccato *gravi*; nam non omnis actualis cognitio de malitia objecti, tollit invincibilem ignorantiam, excusantem à *gravi* transgressione præceptorum; probatur: quia, cum lethali peccato dislo-

lutio amicitia divinæ, ac æterna pœna debeatur, non est par credere, tanto supplicio hominem absque perfecta, & plena consideratione fieri obnoxium tantæ pœnæ; ergo cognitio invincibilem ignorantiam, excusantem à transgressione mortali, tollens, debet esse talis, ex qua vel actû fiat, vel fieri possit, vel culpabiliter ommittatur, dum fieri poterat, & debebat, plena, atque perfecta obligationis, aut malitiæ objecti consideratio; talis autem non est cognitio proponens objectum *præcisè malum*. Ex dictis colliges, fieri posse, quòd quis, agnoscens opus esse malum, invincibiliter ignoret, quòd sit *grave* malum, si scilicet nihil illi proponatur, nisi ratio *mali in genere*, quin adsit ulla cognitio proponens *gravem obligationem inquirendi, vel à tali opere abstinendi*. Tum enim cognitio de malitia operis in genere, non sufficit ad consultationem, ac deliberationem, præviè requisitam, ut opus exercitum sit *graviter* imputabile ad culpam.

Dices: qui considerat malitiam non plena deliberatione, habet in se principium plenius considerandi; ergo si non consideravit, & cum illa imperfecta cognitione est operatus, reus erit mortalis transgressions præcepti; ergo notitia imperfecta malitiæ, vel obligationis potest tollere invincibilem ignorantiam à mortali transgressione excusantem. *R. 1. N. ant.* imperfecta enim illa notitia non est principium sufficiens plenè considerandi; quia plena notitia libera ex plena naturali debet oriri; dixi: *naturali*; quia deliberatio, aut consideratio non procedit in infinitum, versùs principia, aliàs nunquam inciperemus operari. Necessè igitur est, ad unam cognitionem naturalem pervenire, quæ non procedat ex consultatione, aut consideratione; sed sit illius initium. Ut ergo quispiam circa operis malitiam, aut bonitatem possit deliberare, opus est, ut occurrat aliqua cogitatio naturalis, cogitatio scilicet *non libera*, in nostra potestate non existens, quæ ipsius considerationis sit initium. Hæc autem, si non sit plena, non potest plenæ deliberationis esse fundamentum.

Resp. 2. in casu objectionis potentiam plenius considerandi neglectam, quia habuit leve principium, non posse dici nisi levem



levem culpam; ita Vasquez in 1. 2. d. 107. c. 4. *in fine*; hinc R. in forma: habet principium leve, C. grave, N. ant. & conseq. utramque. Ex quo inferes, quod ignorantia invincibilis antecedens, sive juris sit, sive facti, excuset omnino à culpa eum actum, cujus est causa; est S. Augustini l. 1. *retract.* c. 18. & l. 2. *de lib. arbit.* c. 18. Rationem sumit Sanctus ex natura voluntatis impotentis fugere, vel amplecti aliquid, quod prius actualiter non est cognitum; quia ut patet ex dictis, nec habitualis scientia, nec debitum sciendi potest influere in actum voluntatis, nisi præcognitum, in quantum præcognitum; ergo.

783. Ad quartam sequelam in eod. n. cit. R. *malitiam, & offensam* esse denominationes separabiles, & primam posse reperiri sine secunda, ut tradidi in materia de *In-carnatione*, ubi actum est de infinitudine offensæ, quam importat peccatum grave contra Deum; non autem leve; cum, ut ibi ex D. Thoma ostensum est, *offensa* dicat contemptum, & oppositionem cum amicitia Dei; *malitia* autem oppositionem solum cum lege; quo posito: dico, si quis invincibiliter ignoraret, opere malo, quod facit, graviter contemni, ac offendi Deum, & operantem reddi dignum rejici à Dei amicitia, opus illud malum fore *offensam* duntaxat *materialem*; sicut enim non ponit *formalem offensam Regis*, qui irreprehensibiliter ignorat personam, quam offentit, vel contemnit, *esse Regem*; sic nec ponit *formalem offensam*, qui irreprehensibiliter ignorat, opus, quod facit, esse contemptum, seu offensam.

784. Ad quintam sequel. in eodem n. cit. R. si quis putaret, peccatum, quod facit, *esse strictam injuriam contra Deum*, licet in re non esset (ut, si à Deo non prohibeatur, prout potest, *jure stricti domini*, sed tantum supremi Legislatoris) tale peccatum fore quidem *formalem injuriam* contra Deum *in affectu*, sed *non in effectu*; sicut Titius, qui copulatur uxori suæ, putans esse meretricem, quam ad scelus constituit, committeret quidem *formale adulterium in affectu*, sed *non in effectu*, ratione personæ, cui commiscetur.

785. Ad extremum hic nota, quod Muniesfa, ut defendat, *voluntatem mentiendi*, etiam conceptam ex irreprehensibili con-

scientia dictante, quod, si non vellet hic & nunc mentiri, verè peccaret contra veram legem Dei, & naturæ, non posse evadere bonam, & honestam, licet hoc faceret animò se subjiciendi divinæ legi sibi representatæ, in n. 101. postquam sibi sic objicit (*objectum non specificat actum voluntatis, nec suam in illum malitiam refundit, sicut nec bonitatem, nisi ut præcognitum, & prout per dictamen intellectus representatur, & objicitur voluntati, quæ de se ceca est: sed in dicto casu irreprehensibilis erroris non cognoscitur ab homine malitia mendacij; quin imò præsentatur, & objicitur voluntati bonitas, & honestas tunc mentiendi; ergo non malitia, sed bonitas sic representata refunditur formaliter in actum voluntatis, volentem tunc mentiri; ergo tunc est formaliter honesta*) quæ objectione proposita: in n. 103. respondere: dist. majorem: *objectum non refundit malitiam, vel bonitatem in actum voluntatis, nisi ut præcognitum, sumptâ particulâ ut comparative, seu commensurativè, nego, propter absurdam ingentia, quæ sequi vidimus ex isto sensu, superius relata: sumptâ particulâ ut requisitivè, id est, quod, ut actus voluntatis feratur in objectum, requiratur objecti præcognitio, concedo.* Deinde ad minorem similiter distinguit: in dicto casu erroris non cognoscitur ab homine malitia mendacij, *cognitione affirmante de mendacio eam malitiam, C. cognitione mendacij reipsa involentis intrinsecè malitiam suam objectivam, N. min. & conseq.*

786. Verùm hæc responsio totum argumentum, (solidè probans, *voluntatem mentiendi* in dato casu nullatenus esse malam, sed potius bonam formaliter) relinquit in suo vigore, ac insolutum. 1. quod termini distinctionis datæ majori, planè diversi sint à terminis, quibus distinguitur minor, ut constat responsionem recolenti. 2. quia sensus propositionis majoris, prout à Doctoribus, quos impugnat, usurpatur, est, quod, *ut objectum refundat in actum voluntatis malitiam, vel bonitatem, necesse sit ipsum non utcunque cognosci, sed cognosci, quod sit bonum, vel malum moraliter*; hunc porò sensum non attingit distinctio adhibita majori. Nam illi non dicunt, requiri, quod particula *ut* sumatur *commensurativè*, ut sensus sit, in actu non

non posse esse ullam, vel etiam majorem malitiam, aut bonitatem transfusam, quam sit ea, quæ proponitur à cognitione, ut constat ex dictis. Deinde non sufficere, si particula *ut* sumatur *requisitivè* tantum, prout explicat Muniessa, volens sufficere, cognosci objectum, *quod in se intrinsecè est malum*, videtur manifestum ex plurimis instantiis.

787. Sic copula *soluti cum muliere conjugata, vel moniali*, quam ille invincibiliter putat esse solutam ab omni vinculo conjugij, vel Religionis, *in se reverà continet malitiam adulterij, vel Sacrilegij materialis*; quia tamen, dum illi præsentatur mala moraliter, nempe solum fornicaria talis copula, quin ullo modo præsentetur *adulterina, vel sacrilega*, ea copula (etiam *requisitivè*, ut vult cit. Author) cognita, non propterea evadit formaliter adulterina, vel Sacrilega. Deinde aliud est, cognitio mendaciò *cognitione mendacij*, etiam cognitam esse *malitiam objectivam* mendacio intrinsecam; aliud mendacium esse cognitum *cognitione malitiæ*: sicut aliud est objectum aliquod ex motu progressivo esse *cognitum animal*, seu cognitione referente illud ad sensationem, & eadem cognitione etiam rationale esse materialiter cognitum, quâ verum sit, *rationale esse cognitum cognitione animalis*, seu *rationale esse animal cognitum*; aliud, rationale esse *cognitum cognitione rationalis*, seu cognitione illud referente ad discursum. Unde sicut non est verum, quod *cognitione animalis*, quod est rationale, cognoscatur *rationale formaliter*; sed tantum *identicè, ac materialiter*; sic non est verum, quod cognitione mendacij, quod est malum, cognoscatur malum formaliter, sed tantum *identicè, ac materialiter*. Ex his tandem concludo, posse quem habere invincibilem ignorantiam, quæ operantem excuset à peccato *gravi*, quin excuset ab *omni* peccato, etiam levi; ratio constat ex dictis à n. 780.

#### §. VII.

*An ignorantia prius inculpabilis, talis permaneat superveniente scrupulo, vel dubitatione de bonitate operis?*

788. **S**upponendum. 1. *ignorantiam*, quam quis patitur, posse *nunc* esse invincibilem, licet olim aliqua præcesserit in ho-

mine personalis culpa negligentia addiscendi ea etiam, quæ sunt juris natura; ratio sumitur ex dictis à n. 717. aliàs enim homo, qui contra conscientiam sic errantem semel peccavit (v. g. *omittendò mendacium tunc*, quando ex conscientia invincibili credebatur, esse *obligationem mentiendi*) non posset amplius concipere propositum non peccandi de cætero, omissione mandacij in talibus circumstantiis, si ob præteritam negligentiam voluntas mentiendi in dictis circumstantiis esset formaliter peccaminosa.

Suppon. 2. conscientiam invincibiliter errantem, licet inductam ex negligentia de præterito, nunc posse esse inculpabilem, & excusantem à peccato ad novam culpam imputabili, dum ex ea fit opus aliquod materialiter malum, non tantum ubi culpa præterita jam retractata est per penitentiam; sed etiam, si nondum retractata sit; sic Muniessa *cit. stimulat. 3. §. 15. n. 150.* Ratio est ex dictis in *precedentibus*.

Suppon. 3. *dubium*, seu *dubitationem* formaliter, & proprie sumptam involvere *suspensionem judicij circa objectum directè propositum*, quin intellectus illud neget, vel affirmet. Hoc ex duplici capite fieri potest. 1. quando pro neutra parte quæstionis propositæ (v. g. *an stella sint paris, vel imparis numeri?*) offerunt se rationes, quibus inclinatur intellectus in unam determinatè partem per assensum, vel dissensum. 2. quando quidem pro utraque parte contradictionis offerunt se rationes, sed ita, ut pro qualibet sint ferè paris momenti, & stantes pro una parte, per contrarias alterius quodammodo, & vicissim, infirmentur, ut intellectum determinent pro parte determinata.

Suppon. 4. fieri posse, quod intellectus reflectens judicet, se esse *dubium* circa objectum directum. Ex hoc autem fit, quod intellectus supposita tali reflexione, per varia judicicia consultans, quid in tali casu agendum, aut qualiter dubitans se gerat? dicatur habere *conscientiam dubiam*, in illis judiciis sitam; non autem, quod *conscientia* sit talis suspensio, seu carentia judicij. Nam conscientia est dictamen practicum, & quidem *judicativum*; dubitatio autem non est judicium, sed potius ejus *omissio*.

Supposit.

792. Suppon. 5. *dubium*, & *incertum* non esse idem. Nam intellectus, qui assentitur objecto ex motivo probabili, non tamen infallibili, *incertus* est, sed *non dubius*; hoc enim explicat suspensionem iudicij. Unde licet omnis dubitans sit incertus; non tamen omnis incertus est dubius. Qui enim iudicat, incertus esse potest; sed non dubius, seu suspendens omne iudicium circa objectum directè propositum. *Dubium* autem aliud est juris, aliud facti. *Dubium juris* est, cum intellectus suspensus hæret circa quæstionem directè propositam, an detur, vel non detur lex præcipiens, vel prohibens certum aliquod factum v. g. restrictionem purè mentalem? quando autem suspensus hæret circa quæstionem alicujus facti, num sit, vel non sit sub lege, dicitur *dubium facti*.

793. Suppon. 6. *dubium morale* (quo scilicet intellectus suspensus hæret circa quæstionem aliquam directè propositam v. g. num hic & nunc tale opus licitè, vel illicitè fieret) rectè dividi in *dubium negativum*, & *positivum*, per illud intelligendo suspensionem omnis iudicij circa objectum directè propositum, proveniente[m] ex defectu rationum pro alterutra parte sese offerentium; per istud, suspensionem nascentem ex eo, quod rationes etiam graves, si seorsim considerentur, pro qualibet parte contradictionis se offerentes, sed ad invicem collatae, mutuò se collidunt, neutrà vi suâ multum prævalente, ut diximus superius.

794. Ex hoc colliges, eum, qui habet *opinionem* aliquam circa objectum directè propositum, licet etiam actu, & formaliter formidet de opposito, non esse propriè, ac formaliter *dubium*, sed solùm *incertum*. Nam, ut rectè ait P. Suarez D. 40. de Censur. S. 5. n. 2. aliud est, *dubitare*; aliud, *assentiri cum formidine*. *Dubium* enim proprium est, quando post diligentem inquisitionem intellectus anceps, & quasi suspensus manet: assensus autem, licet sit cum formidine, est tamen determinatus ad alteram partem; atque ita tollit *dubium*, & præbet saltem *opinionem*; sic ille.

795. Contra expositionem dubij negativi dices: quando nulla occurrit ratio pro alterutra parte contradictionis, non subori-

Tom. I.

tur *dubium*, sed *mera nescientia*. Nemo enim prudens ad quæstionem, *an Turca nunc saltet, vel non saltet*, responderet: *dubito*, sed *nescio*: si enim responderet, *dubito*, & interrogaretur de ratione dubitandi, non posset dare ullam rationem, cum nulla, ut supponimus, occurrat; ergo malè explicatur *dubium negativum per meram nescitiam*. Sed N. anteced. cum sua probatione; nam interrogatus, *cur dubites*, seu omne iudicium circa objectum propositum suspendat? aptè omnino responderet, ideò, *quia nulla mihi occurrit ratio alterutri judicativè accedendi*. Pura nescientia, seu nescitia nullam necessariò importat notitiam terminorum illorum, circa quos omne iudicium suspendit intellectus dubitans; secùs, dubitatio. Sic Cardenas p. I. Crisis, D. 6. n. 187.

Suppon. 7. *dubium* aliud esse *speculativum*, aliud, *practicum*; illud est, cum intellectus suspendit omne iudicium circa objectum, seu quæstionem directè propositam, secundum se consideratam, v. g. an aqua rosacea sit idonea materia baptismi validi; si autem ex illa dubitatione nascatur quæstio, an nunc, & in datis circumstantiis uti liceat tali aqua? & intellectus suspendat omne iudicium circa quæstionem in his circumstantiis? *erit dubium practicum*. Similiter, si quis suspendit omne iudicium circa hanc quæstionem; *an incurreret censuram*; & exinde nascitur alia dubitatio, seu omnis iudicij suspensio circa istam quæstionem: *an sibi hic, & nunc liceat celebrare? perinde, ac si nihil incurrisset?* prima suspensio parit *dubium speculativum*; altera *practicum*.

Suppon. 8. in quæstione, utra pars contradictionis (v. g. *an talis contractus sit, vel non sit licitus?*) sit *tutior*, seu *tuta*; quæ *minus tuta*, seu *non tuta?* ex communi jam usu eorum terminorum illam opinionem dici, & vocari *tutior*, vel *tutam*, quæ apud omnes hinc inde probabiliter opinantes eximit sic eligentem à peccato etiam *materiali: minus*, aut *non tutam*, quæ apud aliquos probabiliter opinantes eximit à peccato sic eligentem; apud alios non. Res ponitur in exemplo. Sunt enim, qui probabiliter opinantur, *circumstantias peccatorum, solum aggravantes*,

B b

vantes, esse sub obligatione, illas constendi; alij, qui probabiliter opinantur, non esse constendas ex obligatione; & sic de alijs. Primam partem sequi, juxta datam explicationem, tutius est, quam oppositam. Nam sequens opinionem priorem, & confitens circumstantias, etiam aggravantes, nec materialiter peccat, esto illa opinio, quam sequitur, falsa esset; non autem sequens secundam partem. Nam si falsa esset, omissio illa foret materialiter mala.

798. Suppon. 9. aliquam opinionem esse tutiorem, non esse indiscriminatim idem, ac esse probabilior, nec e contra. Nam inter has duas: peccat mortaliter, non peccat mortaliter, qui distribuit alijs Eucharistiam, conscius peccati mortalis; prima tutior est, secunda probabilior, sed minus tuta, secundum expositionem opinionis magis, & minus tutæ in n. preced. Sed hoc intelligendum venit cum aliqua distinctione. Nam dupliciter considerari possunt opiniones in materia morum sibi contradicentes; nimirum vel relatè ad veritatem, vel relatè ad exemptionem à peccato etiam materiali. In prima consideratione, opinio probabilior, est etiam tutior, quoad veritatem, cui magis accedit, vel quod idem est, tutior est à falsitate; in secunda verò, secus. Nam, ut ostensum est, probabilior aliquando non eximit à peccato materiali, si nempe falsa sit.

799. Suppon. 10. scrupulum, propriè loquendo, esse levem, & imprudentem suspicionem peccati, cum nimia animi anxietate in operando; ita Sanchez l. 1. in Decal. c. 9. n. 2. Castropalaus p. 1. D. 4. n. 1. & apud hunc Vasquez, Salas, Valentia, & alij. Ex hoc vides, ubi timetur peccatum in aliqua operatione, timore, seu formidine concepta ex prudenti fundamento, non esse scrupulum, sed potiùs opinionem; & quia scrupulus stat cum judicio, quo quis adhæret uni parti, eo ipso non esse dubium. Illud porrò judicium, cui annectitur ejusmodi levis, ac imprudens suspicio peccati, non est scrupulosum, nisi objectivè, quatenus intellectus reflectens supra talem suspicionem, consultat, quid in tali casu suspicanti sit agendum? in quo sita est conscientia scrupu-

pulola. Ex hoc habetur, quòd scrupulus duo importet. Unum ex parte intellectus, nimirum, apprehensionem conceptam ex levibus, & insufficientibus motivis, suspicativam peccati, ubi revera non est; alterum ex parte voluntatis, nimirum videlicet timorem peccati sic apprehensi.

Suppon. 11. in quæstione, an conscientia irreprehensibiliter errans dici valeat *recta ratio*? pro affirmativa citari P. Terillum, & P. Moyam à Muniessa *stimulat.* 3. §. 11. n. 120. tenente contrariam. Sed, ut quæstio resolvatur, exponendum videtur, quid hinc intelligatur, *per rectam rationem*? Nam 1. si per eam intelligatur ratio, seu judicium mentis *verum*, seu non declinans à vero, & non errans etiam in principio, vel ejus applicatione, sine dubio non erit *recta ratio*; cum talis conscientia supponatur errans, licet sine culpa. 2. si per eam intelligatur dictamen, seu judicium mentis, sufficiens ad operantem ex illius ductu ad excusandum à culpa formaliter imputabili, videtur pariter, bene dici *recta ratio*; cum ex dictis n. 731. etiam Muniessæ suffragio, constet operantem ex conscientia irreprehensibili non peccare formaliter, & imputabiliter. 3. si per *rectam rationem* intelligatur judicium, quo quis conjuncto alio principio certo, & per conscientiam irreprehensibiliter errantem applicato ad opus aliquod hinc & nunc exercendum, sufficienter dirigitur, ut non modò non malè, sed laudabiliter, ac honestè formaliter, opus illud tunc exerceat, negandum est, non posse dici *rectam rationem*.

Nam, cum certum sit, dari legem Dei, & naturæ, prohibentem *velle transgredi legem Dei* per conscientia dictamen præsentatam; consequenter præcipientem, ut fiat actio, quam *velle omittere tunc*, esset *velle transgredi legem Dei* per conscientia dictamen præsentatam, si per conscientiam irreprehensibiliter dictantem proponeretur, in datis circumstantiis esse sub obligatione *velle mentiri*; ac *nolle tunc mentiri*, sit *velle transgredi legem Dei*, prudenter concludet regulatus per utrumque illud judicium: *ergo nunc debeo velle mentiri*; quod si re ipsa faciat, ex fine submittendi suam voluntatem obligationi propositæ, ac Deo præcipienti, non est,

est, unde tunc hæc formaliter non sit imputabilis ad virtutem. Nec obstant Munniesæ rationes in contrarium, quibus jam respondimus à n. 777. his præmissis: exponendum igitur in sequentibus venit. 1. an, & qualiter homo irreprehensibiliter errans teneatur sequi talem conscientiam? 2. quid agendum, ubi talis conscientia per dubium superveniens excluditur? 3. quid si superveniat solùm aliquis scrupulus?

§. VIII.

An homo teneatur obedire conscientia irreprehensibiliter erranti?

803. **A**ffirmativam communis tenet cum Castropalao p. 1. tr. 1. D. 1. p. 3. n. 1. & constat ex dictis, tum novissimè n. 801. tum in præced. præterminis autem quæstionibus, an, ubi proponitur præcisè malum in communi, nihil determinatè de morali levitate, vel gravitate operis exercendi, nihilominus amplecti, & exercere tale opus, eo ipso sit mortaliter malum? & an, qui nunc ignorat, esse jejunium, & non jejunat, actu peccet, quia de præterito neglexit habere, quam potuisset, ac debuisset, notitiam de existente præcepto tali die jejunandi, licèt illi tunc non occurrat cogitatio, vel dubium, de existentia talis præcepti? cùm ad illam jam responsum sit in præmissis.

803. Quæstio est, an peccet sequens conscientiam errantem, quæ invincibiliter dicitur utramque partem contradictionis esse malam? & non peccaturum eligendo determinatè unam ex duabus, quarum alterutra necessariò eligenda est, ubi ambæ partes habent malitiam æqualem. Quia sic necessitatus ad alterutrum, quorum quodlibet proponitur malum moraliter, peccaret necessariò (non enim posset utrumque omittere) peccare autem necessariò (necessitate nimirum antecedente) chimericum est.

804. Dices: etsi una pars ex illis contradictoriis necessariò eligenda sit, tamen, quando unam determinatè eligo, cùm potuerim illam non eligere, sed alteram, liberè hanc eligo, consequenter hanc eligendo, pecco. Confirmatur: ad meritum sufficit electio unius partis determinatæ præ alia; esto quis sit necessitatus ad bona omni-

Tom. I.

nò æqualia; ergo etiam ad demeritum, consequenter ad peccandum, esto quis sit necessitatus ad mala omninò æqualia. Ant. pat. 1. Christus fuit necessitatus ad obediendum Patri suo æterno, & tamen liberè egit obediendo. 2. omnes actus divini, quibus agit ad extra, sunt simpliciter infinitè laudabiles, consequenter necessariò liberi; & tamen in Deo est necessitas, ut velit, vel nolit, aut omittat, quo casu, & velle, & nolle, vel omittere in Deo, eandem habent bonitatem.

Resp. ex dictis de Deo uno, ubi actum est de imputabilitate actuum divinatorum, nec ad meritum, nec ad demeritum sufficere solam libertatem ad unum, ex omninò æqualibus, determinatè cum antecedenti necessitate ad alterutrum; nam in tali casu, sicut non foret laudabilis eligens bonum A. præ B. quando electio illius tantum boni excluderet, quantum ponitur, quin omitti possit utrumque; sic nec foret vituperabilis omittens quidem malum A. sed tantum malum necessariò eligens, eligendo B, quin omitti possit utrumque. Hinc ad object. & cum distinctione antecedentis: liberè hanc eligo, potens neutrum malorum eligere N. coactus eligere alterum eorum, si hoc non eligerem C. ant. & N. conseq. Non enim est dignus vituperio, qui eligit malum A. præ B. quando si non eligeret malum A, necessitaretur eligere malum B. in malitia omninò æquale malo A.

Ad primam confirmat. & supponi falsum. Nam, etsi ponas Christum, essentialiter impeccabilem, habuisse præceptum moriendi, etiam indispensabile; si tamen hoc præceptum illi à Deo impositum est dependenter à scientia media, media in Deo, quòd, si Judæi visis tot signis, Christo inferre vellent mortem, Christus ex amore generis humani sponte subiret mortem, necessitas moriendi non foret antecedens, sed consequens, atque adeò à Christo simpliciter evitabilis, omittendo mortem pro sensu diviso præcepti, ut pluribus exposui, agens de obedientia Christi, in tract. de Incarnatione.

Ad 2. & nullum actum esse imputabilem ad laudem, qui est electio unius objecti, præ alio, nisi objecta ipsa, saltem ex genere suo, in bonitate morali, fundamentaliter tali, sint inæqualia, propter ratio-

rationem in n. 805. Hinc loco cit. diximus, electionem *incarnationis*, præ omissione illius (esto & volitio, & nolitio incarnationis *formaliter* sint infinitè laudabiles) fuisse nihilominus in genere moris *ex genere suo*, inæquales; & volitionem ex genere suo, fuisse meliorem, si Deus illam ordinavit in finem virtutis v. g. charitatis in Deum, & proximum; nolitionem autem in finem justitiæ vindictivæ, quæ *ex genere suo* charitate inferior est. *Sic esse intellectivum*, ex genere suo nobilius est, quàm *esse calidum*; & quamvis utrumque *formaliter* esset infinitum, adeoque in sua linea *summum*; adhuc tamen, *esse infinitè intellectivum*, foret æstimabilius, quàm esset, *esse infinitè calidum*. Nam quando duobus inæqualibus adduntur æqualia, non tollitur inæqualitas, & excessus unius præ altero in eorum uno præsupposita.

808. Quæstio est. 2. an sit majus peccatum, agere juxta, vel contra conscientiam vincibiliter errantem? R. id pendere à materiæ gravitate, vel levitate; si enim conscientia vincibilis dicet, teneri te *mentiri ex charitate*, ad salvandam vitam hominis, *non mentiri* erit contra charitatem; *mentiri*, contra veracitatem, quod illo minus est. Similiter, si dicet *esse furandum* ad sublevandam egestatem pauperis, *nolle furari* minus est cæteris paribus, quàm *velle furari*. V. Sanchez l. 1. in Decal. c. 11. n. 15. Azor p. 1. l. 2. c. 8. q. 9. & c.

#### §. IX.

*Quid agendum, ubi conscientia irreprehensibilis per dubium superveniens excluditur?*

809. **N**ON est dubium, excludi conscientiam, seu dictamen, & judicium mentis, quo quis sibi persuadet, *aliquid esse licitum, vel illicitum*, si superveniat dubium, vel negativum, vel positivum de honestate, vel turpitudine operationis, circa quam judicium illud versabatur. *Dubium enim propriè dictum* importat suspensionem judicij circa objectum directè propositum, ut dictum est n. 790. Suppon. autem. 1. hinc sermonem esse de dubio

*præctico*; quia, ut rectè notat Castropalaus P. 1. tr. 1. D. 3. p. 1. n. 4. cum dubio *speculativo* stat judicium *præcticum* de recta operatione. Nam si dubites, *an hæres sit tua?* dubium est *speculativum*; si autem non dubites, *an illam possis retinere?* quia reflexione factâ, *quod sis in possessione certa*, rectè ac *præctice* concludis, quòd tibi liceat retinere, manente dubio *speculativo*, de proprietate. Nam possessio, cæteris paribus, est sufficiens titulus, deponendi dubiam conscientiam, & honestandi retentionem, postquam factâ diligentia debitâ ad investigandum verum dominum, dubium vincere non potes; ita Covaruvias, Molina, Sanchez, Salas, & complures alij, quos refert, & sequitur Castropalaus cit. p. 2. n. 4.

Suppon. 2. *semper esse malum, & peccatum, operari stante dubio præctico sive negativo, sive positivo, de honestate, vel turpitudine operis exercendi*; ita communis; quia *quod non est ex fide, peccatum est*; quod autem non est ex conscientia, seu judicio mentis, non est ex fide, ut tradunt Patres ad illa Apostoli verba; ergo, qui operatur cum illo dubio, peccat. Hinc enim fit, quòd quis exponat se manifesto periculo transgrediendi legem Dei, & posthabendi amicitiam Dei, amoris illius boni, cujus causâ tale opus cum ejusmodi dubio amplectitur. V. dicenda à n. 815.

Si quæras, quid igitur in ejusmodi dubio taliter dubitanti agendum? R. quòd, *si possit deponere dubium*, hoc est, *per judicium mentis se determinare ad unam contradictionis partem*, debeat se, saltem *naturâ prius, ad unam determinatè partem sequendam resolvere*. Nam hæc determinatione suppositâ, adharendo determinatè uni parti contradictionis, intellectus desinit esse suspensus circa objectum directè propositum; consequenter desinit esse dubius. Sed circa hoc ipsum plures dubitationes occurrunt. 1. quid agendum, si etiam adhibitâ diligentia non possit vincere dubium? 2. an, si dubium sit positivum (quando scilicet intellectus anceps hæret, quid in presenti casu agendum? esto pro utraque contradictionis parte occurrant rationes, sed ambæ in momentis rationum confligentium sunt vel propè æquales;

æquales; vel etiam inæquales, neutrâ tamen convincente, faltem in mente sic hærentis? Igitur fit.

## §. X.

*Quid agendum dubitanti dubio  
negativo?*

812. **I**N hac quæstione plures sunt, qui velint, si dubium sive negativum, sive positivum, aliunde vinci non potest, hoc est, si homo sic dubitans se determinare non potest ad unam contradictionis partem per iudicium irreprehensibile, seu inculpabile, ipsum debere amplecti partem tutiorem, juxta communem juris regulam, quæ in jure canonico variis locis traditur, signatè c. *Ad audientiam, de homicid.* quæ dicit, *quod in dubio tutior pars est eligenda.* Procedit autem quæstio de dubio practico, jam exposito n. 809.

813. Not. autem, quod in dicta regula per partem tutiorem intelligi possit vel ea, quæ favet legi contra libertatem, & consequenter tutior est ratione impeccantiæ, juxta n. 797. vel ea, quæ probabilior est, & consequenter tutior ratione veritatis, seu remotior à falsitate, juxta alios. In hoc autem diversi sunt Authorum sensus; quibusdam volentibus in dato casu semper eligendam tutiorem, hoc est, *minus expositam peccato etiam materiali*; aliis tutiorem, hoc est, *probabiliorem*, atque ad eam veritati propriam. Ad hanc quæstionem:

814. Resp. 1. in casu dubij propriè dicti, nimirum excludentis omnem assensum etiam merè opinantem determinatè quoad unam partem contradictionis, circa quæstionem practicam directè propositam, quin ejusmodi dubium per assensum irreprehensibilem *ex aliis principiis* ritè deponi possit, ejusmodi dubium, ex obligatione deponendum esse *determinatè amplectendo partem tutiorem.* Hæc conclusio est communis, & passim recipitur à Doctoribus. Quia nisi dato casu deponatur dubium, *amplectendo partem tutiorem*, operatio ponenda tali casu erit peccatum; sed est sub obligatione, ne ponatur operatio peccaminosa; ergo est sub obligatione, ut deponatur dubium determinatè amplectendo partem tutiorem.

815. Ma. quoad primam partem (quod ex obligatione deponendum sit dubium) prob. quia operari, manente dubio practico de honestate, vel turpitudine materiali operationis exercendæ, est peccatum ex n. 810. & constat ex D. Thoma, *quodlibeto* 8. a. 13. dicente: *qui ex contrarietate opinionum in quandam dubietatem inducitur, & manente tali dubietate plures prabendas habet, periculo se committit, & procul dubio peccat; utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem.* Et ideo rectè dicitur, eum, *qui agit id, de quo dubitat, an sit mortale? peccare mortaliter, exponendo se discrimini*, propter datam in prioribus rationem; ita admodum R. P. N. Generalis, Thyrsus Gonzalez in *Tract. Theol. de re-cto usu opin. probab. dissert.* 7. §. 19. n. 60. & apud illum Vasquez, 1. 2. D. 64. c. 1, Salas *tract.* 8. D. *unic sect.* 16. n. 143, Valentia *tom.* 2. D. 2. q. 14. p. 4. dicens: *de hac re, nullam esse controversiam apud Theologos*, id, quod etiam in *tract. Theol. de actibus humanis* tradidi.

816. Probatur etiam secunda pars majoris in n. 814. quia si non deponit dubium *amplectendo partem tutiorem*, ex nullo alio capite deponere potest; supponitur enim, quod *ex nullo alio principio* se irreprehensibiliter determinare possit; ergo cum sit sub obligatione, *ne peccet*, consequenter, ne operetur cum illo dubio, & hoc, ut ponit casus, deponere non possit, quia ex dicta regula (*quod in dubio tutior pars eligenda sit*) est sub obligatione, in tali casu eligendi partem tutiorem. Dixi: *si ex nullo alio principio dubium deponere possit, irreprehensibiliter se determinando ad partem minus tutam.* Nam etsi per quodcunque iudicium accedat determinatè uni parti contradictionis circa objectum directè propositum, tollatur dubium; cum implicet, illum esse dubium (*an actio sit, vel non sit licita?*) atque suspendere omnem assensum circa utramque partem contradictionis; & tamen iudicare, sibi esse licitum hic, & nunc illam actionem exercere, etsi tunc non operetur cum dubio, non tamen eo ipso operatur licitè. Ratio est, quia tale iudicium, quo quis determinatè accedit uni parti contradictionis v. g. minus tutæ (de qua n. 797.) interdum concipitur imprudenter,

ter, & culpabiliter, & licet vitetur peccatum contra obligationem *non operandi cum dubio*; non vitatur tamen peccatum, in quantum tale iudicium concipitur *imprudenter, & culpabiliter*. Unde potissima quaestio est, quod iudicium practicum sufficiens sit, ut per illud, irreprehensibiliter deposito dubio, quis licet operetur id, quod in eis circumstantiis iudicat sibi licitum? de quo V. dicenda in *seqq.*

817. Pro ampliori notitia not. 1. dubium *subjectivè* existens in operante non deponi per hoc, quod quis sciat, unam determinatam partem contradictionis (v. g. *talem contractum esse licitum*) ab aliis sustineri, ut probabilem, vel etiam probabiliorem oppositâ, nisi & ipse operans per propriam conscientiam, seu iudicium à se conceptum sibi persuadeat illam partem contradictionis (v. g. *talem contractum esse licitum*) esse probabilem, vel probabiliorem, oppositâ. Nam cum illo iudicio, de aliorum opinione circa dictum contractum, non tollitur in operante *caentia iudicij approbantis* unam partem contradictionis, ut licitam, vel illicitam, atque adeo nec dubium. Nam aliorum opinio, *relatè ad hoc iudicium operantis* habet se merè *objectivè*; dubium autem, *subjectivè*; sed hoc utique non excluditur nisi per formam contradictoriè oppositam, habentem se pariter *subjectivè* in operante.

818. Ex hoc sequitur, operantem non iuvare opinione aliorum Doctorum pro una determinatè parte contradictionis stantium, nisi & ipse conscientiam suam, seu iudicium practicum illorum iudicio, seu opinioni conformet ex causis ad idem irreprehensibiliter sentiendum juxta proprium ipsius captum, & modulum sufficientibus. Nam nemo iudicatur, *nisi operetur ex conscientia sua recta, vel mala*; non autem ex conscientia aliena à se non approbatâ. Dixi: *juxta proprium ipsius captum sufficientibus*. Nam etsi omnes teneamur ad aliquam curam de placito Dei quaerendo; & occurrente dubio, *an res Deo placeat, vel displiceat*? obligemur adhibere aliquam diligentiam ad agnoscendam veritatem, & formandam nobis conscientiam, saltem probabiliter opinativam, hoc est, ad formandum iudicium,

*hanc partem hic, & nunc à nobis licitè in praxim deduci posse* (nam *formare hoc iudicium, est formare suam conscientiam*) cum in multis ante operis executionem conscientia, seu iudicium certum à nobis haberi non possit: quia tamen omnes ad eandem diligentiam obligare, irrationabile foret (non enim omnia possumus omnes) sufficit diligentia respectivè proportionata, quam nempe singuli pro captu suo præstare possunt.

Not. 2. illam regulam (*in dubio tutior pars eligenda est*) omnino esse præceptivam, atque adeo sequendam *in dubio propriè dicto* ad illud rectè deponendum, quoties non suppetit aliud principium, ex quo, independenter ab illa, citra reprehensionem, seu culpam, deponi possit; non autem secus; ratio est ex n. 814. Ex quo colliges, non bene dici, eam esse *universaliter* præceptivam, ut aliqui volunt; sed tantum in casu, quo aliter dubium vinci non potest. Et quoniam, ubi stat probabilitas pro qualibet parte contradictionis, in multis casibus fieri potest, quod dubitans ex rationibus pro una parte militantibus, accedente prudenti voluntatis imperio, prudenter se determinat, etiam ad partem contra legem, ut mox dicemus; ideo, cum locus est illi regulæ, quod *in dubio tutior pars eligenda sit*, pars tutior accipienda est juxta n. 797. nimirum pro ea, quæ tutior est ratione impeccantiæ, seu immunitatis à peccato; non, quæ tutior est ratione veritatis, ut ibidem dictum est n. 798. Nam *tutior ratione veritatis* non reperitur in dubio purè negativo, de quo loquimur, nimirum *ex alio principio non vincibili*.

Hinc si negativè dubitanti, v. g. *in materia justitia*, occurreret aliquod aliud principium, ex quo citra culpam deponeretur dubium, hoc est, uni determinatè parti contradictionis operans per conscientiam, seu iudicium suum, ex illo regulatum, accederet; dictæ regulæ, quod *in dubio tutior pars eligenda sit*, sumendo tutiorem pro ea, quæ favet legi, non foret locus ex n. 816. Hæc enim subintrat solum in casu, quo aliunde dubium circa culpam vinci non potest, ut diximus loco citato. Et ideo, si possessori bonæ fidei occurrat dubium negativum, an rem hæctenus bonâ fide possessam licitè retineat?



neat? rectè retinebit, si deponat illud dubium ex reflexione ad illam juris regulam, 65. de regul. juris in 6. & reg. 170. ff. cod. quòd in pari causa, vel delicto, melior sit conditio possidentis; quod intellige, postquam adhibitâ requisitâ diligentia non potuit rescire verum rei dominum; ratio hujus est ex n. 819.

821. Et confirmatur, quia talis possessor in dato casu æqualis dubij, *an res sit sua, vel aliena?* consequenter, *an licitè retineat?* in foro externo non esset spoliandus re possessâ; quia *ubi partium jura obscura sunt, Reo potius favendum est, quàm aëtori, per reg. 11. de Reg. jur. in 6.* Cujus probationem ulteriorem affert Salas 1. 2. tr. 8. D. unic. S. 23. n. 226. præsertim ex L. 1. C. de condit. insertis, ubi dicitur, quòd *possessor bonæ fidei, sine plena, & evidenti probatione in contrarium, removeri non debeat;* ergo nec in foro interno talis possessor in dato casu re possessâ spoliandus esset. Prob. conseq. quia forum internum extra dispositiones pœnales semper externo conformari debet, quando externum falsâ præsumptione non nititur; ergo cum in foro externo non esset spoliandus re possessâ in dato casu, nec spoliandus erit in foro interno. Ant. tenet Castropalaus. p. 1. tr. 1. D. 3. p. 2. n. 4. & apud eum Covarruvias in c. *Cum esses,* de Testam. n. 7. Baldus Authent. *Ingressi,* C. de Sacrosanct. Eccles. n. 49. Thomas Sanchez l. 1. de matr. D. 5. n. 2. ac pluribus aliis locis, Suarez de Censuris D. 40. S. 5. n. 16. & complures alij. Et ratio est, quia lex justa, quæ operantem rectè dirigit in foro externo, etiam pro foro interno retinet justitiam; cum ergo sufficiat, ut in illo justum fiat justè, dum operamur secundum illam, etiam sufficiet in isto; modò non procedat ex falsâ præsumptione. Tunc enim cedere debet veritati cognitæ, ac certæ, quod discrimen etiam observandum censet Sanchez in pœnis fori externi, non eo ipso etiam transferendis ad forum internum; cum in hoc Reo credatur; non in illo.

822. Dices: si possessori superveniat dubium, *an res sit sua?* adeòque *an illam licitè retineat?* tollitur bona fides, adeòque possessio bonæ fidei quæ possessor superabat alios, & præferendus erat non possessoribus; ergo in tali casu non potest pru-

denter, ac licitè deponere dubium, ex reflexione ad illam regulam, quòd in pari causa possessio faciat meliorem illius causam. R. N. ant. Nam licet, cum quis dubitat, *an res sit sua?* tale dubium impediat initium possessionis bonæ fidei (sic enim injustè arrogaret sibi rem, quàm non magis judicat ad se pertinere, quàm ad alium) secus tamen est, quoad continuatorem possessionis bonæ fidei captæ; plus enim in hoc casu non requiritur, quàm quòd ignoret, *rem esse alienam.* Dum enim non probatur aliena, præsumitur pro possidente per c. *Si Virgo,* 34. q. 1. ibi: *in jure prædiorum tam diu unusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quàm diu possidere se ignorat, alienum;* at per dubium superveniens non tollitur hæc ignorantia; ergo nec bona fides possessionis; ita Covarruvias ad reg. *Possessor,* p. 2. §. 7. n. 3. Less. l. 2. de Just. c. 6. d. 3. & alij, etiam ex L. *Is, qui destinavit,* ff. de Rei vindicat. & §. *Retinenda,* Instit. de Interdict.

## §. XI.

*Quousque locum habeat regula, quòd in dubio tutior pars est eligenda?*

823. EX dictis constat, huic regulæ solùm esse locum, quando dubium ex alia regula, vel principio deponi non potest, judicio nimirum irreprehensibili amplectendo determinatè unam partem contradictionis, & quidem eam, quæ stat pro lege, secundum dicta n. 816. etsi non desint, qui velint, eam regulam *universaliter* obtinere, ac præceptivam esse, ut notavimus in l. 4. *decretal:* quia tamen dubitatur circa quædam principia, num ea sufficiant ad ejusmodi determinationem intellectus pro ea parte contradictionis, quæ favet libertati contra legem; breviter de illis agendum in sequentibus. Hinc:

824. Quæres. 1. an dubitans, num contractus, hic & nunc exercendus, sit, vel non sit licitus? teneatur eligere partem faventem legi contra libertatem, si post diligens examen comperiat, partem faventem libertati contra legem, notabiliter in rationibus oppositæ præponderare? Negativam

vam sequitur admodum R. P. N. Generalis de recto usu opin. probab. dissert. 10. c. ult. n. 124. Idem tenet P. Thomas Muniessa in Stimulo conscientia, stimulat. 4. q. 4. n. 28. dicens: si operans non manet anceps intellectu, sed fert pro una parte iudicium, quamvis non nisi opinativum, & incertum, in intellectu non amplius propriè dubium esse; sed potiùs prudentem resolutionem dubij, quamvis non certam; cum aliter in humanis communiter dubia non resolvantur, sive in Tribunalibus, sive in consultationibus conscientia, nisi per iudicia probabilia, seu opinativa, seu nobis non certa; & statim subiungit: itaque, *quando quis habet subjectivè in intellectu suo iudicium opinativum ritè probabile, quòd vera sit pars minus tuta, prae alia tuta, seu tutiori, non habet locum regula, quòd in dubio sit eligenda pars tutior, seu remotior à peccato etiam materiali.* Quia talis verè, & propriè, non est in dubio, sed in incerto. quo posito:

825. Resp. ad quaest. in n. 823. in dicto casu non esse locum regulæ, quòd *in dubio pars tutior, seu remotior à peccato etiam materiali eligenda sit.* Ratio est, quia dicta regula solum habet locum in casu dubij propriè dicti, at ubi operans eligit partem minus tutam, quia sibi probabilior est, non est dubium propriè dictum; ergo. Minor est certa ex dictis: Maj. etiam tenent illi, qui aliàs volunt eam regulam universaliter esse præceptivam: & constat, quia regula non loquitur de eo, qui incertus est; sed, qui dubius est; at incertus non eo ipso est dubius, ut constat ex n. 792. Quia dubius suspendit omne iudicium circa objectum directè propositum.

826. Quæres. 2. an speculativè dubius de proposita quaestione (*an detur, vel non detur lex prohibens talem contractum?*) teneatur vi regulæ cit. ad eligendam partem tutiorem, seu remotiorem à peccato, si oriatur dubium? practicum, *an liceat, vel non liceat hic & nunc celebrare talem contractum?* quibusdam negantibus, aliis affirmantibus existentiam legis prohibentis? & quòd non, si non obstante tali dubio *subsequitur* iudicium in operante prudens, & practicum, sibi licere partem minus tutam. Nam ea regula locum non habet,

nisi in dubio practico; sed ubi est iudicium practicum pro parte minus tuta, abest dubium practicum; ergo. Muniessa cit. stimulat. 4. q. 4. n. 30. idem censet; sed ratio non placet, qua vult per iudicium practicum, quòd subsequitur, vinci, aut deponi dubium *speculativum.* Nam hujus contrarium ostendimus ex Castropalao jam superius in n. 809.

827. Quæres. 3. an prædictæ regulæ sit locus in dubio practico circa materiam peccaminosam? & quòd sic, nisi prius vincatur dubium, seu deponatur per conscientiam practicam determinando se ad unam contradictionis partem; & in tali casu, eam regulam non esse merè consiliativam, sed præceptivam. Nam nisi prius vincatur dubium, & operans cum tali dubio exerceat actionem illam, circa quam versatur dubium, peccat ex n. 810. at non peccare, est sub præcepto; ergo etiam servare datam regulam, ut constat ex n. 816.

828. Quæres. 4. an prædictæ regulæ sit locus in dubio circa materiam peccaminosam, sumendo *dubium*, solum *impropriè*, nimirum pro *incerto*, seu iudicante solum opinativè, si hanc determinatè partem eligat, quæ ait: *eam licere.* & negativè. Nam prædicta regula solum procedit in casu *dubij propriè dicti*, at *incertus non est propriè dubius*, ex n. 792.

829. Quæres. 5. an, cum prædicta regula (quòd *in dubio tutior pars est eligenda*) est sub obligatione, seu præceptiva, intelligendum sit de dubio propriè dicto *existente subjectivè in homine particulari operaturo*, vel *in tota aliqua communitate*, ubi est disceptatio de rei licitudine, vel illicitudine, quibusdam tenentibus illud, aliis istud? & probabilius esse, intelligendum esse de dubio propriè dicto, & *subjectivè existente in ipso operante*; cujus ratio est ex dictis à n. 817.

830. Dices contra q. 4. in n. 828. si data inibi resolutio vera est, licitè operabitur talis dubitans, eligendo partem minus tutam, (in sensu opinionis minus tuta, juxta n. 797.) si post iudicium practicum (supposità diligentia debitâ inquirendi veritatem) amplectatur partem minus tutam, seu contra legem, saltem in casu, quo illi hæc pars probabilior est, licet incerta; sed hoc dici non potest. Probatur, quia operans non excusatur à peccato si non  
agat

agat ex bona fide, hoc est, bonâ conscientia; hoc autem non habet conscientia, nisi moraliter certa; probatur. 1. quia conscientia solum probabilis, aut etiam probabilior oppositâ, potest esse falsa non tantum *in re*, sed etiam *subjectivè ipsi operanti*, cognoscenti conscientiam tuam, duntaxat probabiliter opinantem *non esse certam*; & consequenter eam sequendô *peccare saltem materialiter*; at hoc non stat cum conscientia sufficiente ad honestè operandum; ergo. 2. qui operatur cum dubio, aut formidine, an peccet? re ipsa peccat; ergo cum id importet omnis conscientia non certa moraliter, sed solum opinativa, licet probabilior oppositâ, non excusatur à peccato, nisi agat ex conscientia moraliter certa.

831. Resp. ad object. C. maj. N. min. ad hujus primam probat. C. maj. N. min., ad hujus prob. N. secundam partem maj. nimirum hanc: quod conscientia verè probabilis, possit esse falsa *ipsi operanti in existimatione sua*, & inducens in peccatum. 1. quia non requiritur, quod reflectat supra fallibilitatem suæ conscientia. 2. quia licet operans, reflectens supra suam conscientiam probabilem de honestate operis, cognoscat, eam opinionem non esse certam de honestate operis, per hoc tamen non judicat, *non judicari prudenter, opus esse honestum*; aut, *esse certum, tale prudens dictamen esse certo insufficiens ad honestè, vel saltem citra formalem culpam operandum*. Nec obstat, quod quandoque cum conscientia probabilis conjungatur formido peccati materialis (quæ tamen non fit *dubium*) nam hæc formido subest etiam certitudini morali; cum & ea simpliciter, imò & physicè possit esse falsa; & tamen satis deponitur judiciò prudenti, quo sibi operans post debitam diligentiam persuadet, opus hic & nunc licitè exerceri. Dixi: *quæ tamen non fit dubium*. Nam & hoc sufficienter deponitur per illud dictamen prudens, de quo antè. Et ideo, si dicant, *conscientiam probabilem* (si certa non sit) *vacillare*, hoc est in utramque partem suspensam manere, omnino negandum est ex *dictis*.

832. Ad 2. prob. min. in n. 830. &c. non esse idem *operari cum dubio*, & *operari cum formidine peccati*; hoc enim importat judicium circa unam contradictionis par-

tem determinatè; illud suspensionem judicij circa utramque. Quare ad primam partem anteced. concedo, quod peccet operans cum dubio, manente tali dubio, ex n. 810. sed nego, operantem ex conscientia probabilis, operari cum dubio, ex n. 794. Ad secundam partem anteced. &c. N. quod operans cum formidine peccati, eo ipso peccet; quia cum tali formidine stare potest judicium absolutum, & prudens pro non peccato; hinc N. conseq. imò etiam suppositum, quod omnis opinio importet actualem formidinem oppositi. Nam si motivum fallibile, sufficiens tamen ad prudentem in talibus circumstantiis assensum pro parte minus tuta, seu stante contra legem, non influat, *ut fallibile*, assensus talis non est actu formidolosus, sed solum *incertus negativè*, nimirum *non certus*; non *incertus positivè*, nimirum *actu formidans oppositum*.

Dices: nemini licet, exponere se probabili periculo peccandi; hoc autem facit operans sine certitudine de honestate operis exercendi; ergo nemini licet operari sine certitudine de honestate operationis hic & nunc exercenda. Min. prob. quia quando est tantum probabile, *opus esse honestum*, potest non esse verum à parte rei; & sicut est probabile, *quod opus sit honestum*, sic etiam est probabile, *quod non sit honestum*; sed *peccatum*; ergo operans sine certitudine de honestate operis, exponit se periculo peccandi.

Resp. dist. maj. nemini licet exponere se periculo peccandi, *proximo, voluntariè, incautè, ac imprudenter suscepto*, C. maj. *cuicumque periculo peccandi*, N. maj. dist. min. sed operans sine certitudine de honestate operis exercendi, ductus tamen opinione rite probabilis, exponit se *alicui* periculo peccandi, *transitè, proximo, incautè, ac imprudenter suscepto*, N. min. & conseq.

Quod exponere se *cuicumque* periculo peccandi, non eo ipso fit peccatum, videtur certum, ut multis ostendit Castropalaus p. 1. tr. 2. D. 2. p. 9. §. 3. Periculum enim aliud est *proximum*, aliud *remotum*, & in hoc aliud magis, aliud minus propinquum malo. Quare si universim procedat dicta propositio, major *in num. priori*, omnino neganda est. Nam status

C c

Advocati,

Advocati, seu Causidici, Cambforis, Judicis, militis, & similibus, *per se loquendo*, peccatum non est, licet obnoxius sit multis peccandi periculis; quin propterea per se peccatum sit amplecti talem statum: procedit ergo solum, ubi voluntariè, imprudenter, ac incautè eligitur periculum *proximum*, ut docet Sanchez in *Decal. l. 1. c. 8.* Suarez de *Pœnit. D. 32. s. 2. & alij.* Qui autem pro parte non tuta, seu pro libertate contra legem habet majorem probabilitatem, non exponit se voluntariè, imprudenter, ac incautè periculo proximo, ut per se patet; ergo. Dixi: qui habet *probabilitatem majorem*; nam quid dicendum, quando contrariæ opiniones directæ sunt *ferè æquè probabiles*, forsan alibi dicetur.

336. Caterùm, etsi verum sit, opinionem, quòd non peccabo (etiam probabiliorem oppositâ) posse falsam esse *in re*, vi connexionis, cum veritate objecti, saltem secundùm apparentiam, quam habet in intellectu operantis secundùm illam; falsum tamen est, eo ipso etiam esse ipsi operanti *subjectivè probabile oppositum*, nimirum quòd peccabo. 1. si absolute judicet, non peccabo; nam sic alteram directè oppositam, saltem consequenter, judicat falsam. 2. si prudenter amplecti possit minus tutam, etiam si opposita sit probabilior, de quo suo loco. Et ratio est; quia quando quis habet rationes sufficientes pro una parte contradictionis v. g. duos testes, quòd Petrus non occiderit Paulum, fieri potest, quòd nullus sit testis pro parte dicente, quòd Petrus occiderit Paulum; ergo ex hoc, quòd una pars contradictionis sit probabilis, non eo ipso etiam probabilis est opposita.

337. Not. autem. 1. duo ista judicia directa, quorum unum ex motivis probabilibus absolute ait: *nulla datur lex prohibens hunc contractum*; alterum ex motivis probabilioribus: *datur aliqua lex prohibens hunc contractum*; esse valde diversa ab his duobus reflectentibus super illos actus directos, eorùmque motiva, uno dicente: *actus negans dari legem, prohibentem hunc contractum, habet apparentiam veri*; & altero: *actus affirmans dari legem, prohibentem talem contractum, habet majorem apparentiam veri.* Unde licet quis concederet, priora duo judicia directa non

posse simul *subjectivè* esse in eodem intellectu, non convinceretur ad concedendum idem de duobus aliis reflexis; nam hæc sibi non contradicunt. Hinc si in eodem intellectu ex præhabitis illis judiciis reflexis, subsequeretur illi dubium practicum, *an licitè nihilominus eligere possit sententiam, quæ habet minorem apparentiam veri?* & ex aliis principiis ritè sufficientibus ad licitè operandum hæc omnino tuta suaderetur, & operans persuaderetur, ex hac persuasione operans omnino licitè ageret.

Not. 2. dupliciter intelligi posse, quòd aliqua opinio, seu iudicium, *subjectivè* probabile operanti, sit *prudens*. 1. prudens *positivè*, si nimirum non tantùm sit verum in apparentia, sed etiam in re. 2. prudens *negativè*, si, licet non sit verum in re, sit tamen verum in apparentia, quæ vinci non possit etiam post debitam diligentiam, ut habeatur veritas in re, quæ tamen apparentia veri sufficiat, ut quis citra culpam illi præbeat assensum. Nam sic esset prudens *negativè*, hoc est, non imprudens.

Not. 3. non esse de ratione conscientia, quòd sit virtus mentis, quæ scilicet excludat falsum *in re*; cum ea interdum erret, five culpate, five inculpate, dum enuntiat opus aliquod conformari, vel difformari cum universali regula moralitatis, seu honestatis; ex hoc vides, ad conscientiam, quæ sufficiat ad rectè agendum, saltem *negativè*, hoc est, non *inhonestè*, requiri, quòd sit iudicium, seu dictamen rationis *prudens*, saltem *negativè*. Nam operans juxta dictamen imprudens eo ipso caret regula operantem conformante universali regulæ moralitatis.

Not. 4. conscientiam differre à *Syn-deresi* actuali, quæ consistit in actuali notitia principiorum moralium *generalium*, ut, bonum est faciendum, malum omit-tendum; & *prudentiâ*, qua in quovis negotio occurrente novimus, quid in datis circumstantiis honestum sit, quid turpe, ut docet Lessius *l. 1. de Just. c. 1. d. 1. n. 2.* Et quia est virtus mentis, eo ipso explicat iudicium, seu notitiam *veram* (nam falsum non est virtus, seu bonum mentis, sed vitium) & quidem non utcumque, incautè, ac temerè conceptam, sed post justam ac debitam veritatis inquisitionem; intellige quoad *actus elicitos*.

Noti

841. Not. 5. non repugnare, quòd iudicium opinativum, seu incertum possit esse prudens, non tantum negativè, sed etiam positivè. Nam ponamus duplex iudicium in materia morali, quorum unum neget, alterum affirmet, *dari legem prohibitivam operis exercendi in datis circumstantiis*, & utrumque conceptum inculpatè, post diligens veritatis examen; in hoc casu necesse est, *unum eorum esse verum, & alterum in re falsum*; illud, quod erit in re falsum, erit *prudens negativè*, seu non imprudens positivè, juxta n. 838. quod verum, *prudens positivè*, quia est verum, & non temerè conceptum.

842. Dices: dictamen prudentiæ, quòd est tale *positivè*, debere esse certum; aliàs posset esse falsum, & si posset esse falsum, deficeret à ratione positivæ prudentiæ. R. 1. debet esse certum quoad actus elicitos ab habitu prudentiæ; dato: quoad actus imperatos ab ipso, N. maj. nam cum quis irreprehensibiliter iudicat, hunc hominem esse indigum, consequenter dignum, cuiusinopia ope data sublevetur, licet in re non sit indigus, iudicium in re falsum est; & tamen actus voluntatis conceptus dependenter à tali iudicio cum universali dictamine prudentiæ laudabiliter agi sublevandò miseriam inopis, qui talis iudiciò non imprudenti ac temerè iudicatur, manet certus. R. 2. negandò, quòd requirat *certitudinem*: id enim nec habet ex eo, quòd sit virtus mentis, cum hoc obtineat, quando est vera, & non incautè, sed ex motivis rationabilibus, & dignis assensu. Aliud enim est, iudicium aliquod *posse esse falsum*; aliud *esse falsum*; nam ex illo non infertur, *quòd non sit prudens*, sed tantum, *quòd possit non esse prudens*, quando falsum esset.

843. Hoc confirmari potest ex doctrina Patris Thomæ Sanchez, qui lib. 1. in Decal. c. 9. n. 18. sic loquitur: *cum prudentia sit humanorum actuum regula, iudicium, quòd sufficit ad prudenter agendum, sufficit quoque ad honestè operandum; at prudens operatio non requirit omnimodam certitudinem, sed probabili, cum alterius partis formidine, contenta est. Aliàs dixisset, cui operari liceret; cum res practica difficillime cognitu, & variis opinionibus subjecta sint.*

Tom. I.

844. Nec obstat, *opinionem* juxta Philosophum 6. Ethic. 3. *non esse virtutem*; nam id procedit de opinione *ex genere suo*; cum ex conceptu suo ei non repugnet falsitas, quo stante utique deficeret à ratione positivæ prudentiæ per n. 838. secus tamen est, ubi non temerè concepta conjungitur veritati. Nam & ipse Aristoteles, & ex illo D. Thomas, dixerunt, *artem, & prudentiam esse, de his, quæ possunt aliter se habere.*

845. Not. 6. quando dicitur, quòd iudicium opinativum habeat adjunctam *formidinem oppositi*, id posse variis modis intelligi, ut, cum opinativè iudico, *non dari legem* hujus operis hic, & nunc exercendi prohibitivam. Aliqui enim volunt, illi iudicio, ex hoc ipso, *quòd opinativum sit*, conjunctum esse hunc actum: *fortasse hic, & nunc id displicet Deo*; vel, *fortè nunc per hoc ipsum opus pecco*; vel, *fortè res est aliter, ac iudico*; quamvis aliqui velint, per eam *formidinem* nihil aliud importari, quàm apprehensionem quandam, vel existimationem ex motivis contrariis conceptam *de periculo falsi, & peccati.*

846. Not. 7. non pertinere ad essentiam *opinionis propriè dictæ*, ut vel ipsa, vel alius actus illi conjunctus dicat, *res habet se aliter*; aut, *oppositum, quòd iudico licitum, est illicitum*, &c. Nam essentia opinionis in eo stat, quòd procedat ex motivo fallibili apprehenso, ac influente, quàm tali, consequenter, quòd ex tali motivo præstet assensum *objecto, & non repugnantiæ ad oppositum*. Hoc enim eo ipso habet ex vi motivi ut influentis in ejusmodi assensum. Sicut enim motivum *scientificum*, aut *certum*, actum ex illo procedentem non facit *formaliter scientificum*, aut *certum*, nisi ex eo procedat, *ut scientifico, aut certo, cognito quàm tali*; ita etiam motivum fallibile, seu opinativum, actum ex illo procedentem non facit formaliter opinativum, nisi ex eo procedat ut fallibile, nimirum cognito quàm tali: at motivum fallibile, etiam cognitum quàm tale, non importat, nec suadet *oppositum actu esse*, sed tantum *posse esse*; ergo.

847. Not. 8. metum, seu *formidinem intellectuale* sitam in apprehensione, vel etiam suspitione, quòd fortè nostro iudicio actu subsit falsum, vel peccatum, aliam esse *prudentem*, aliam *imprudentem*, nimirum,

mirum, ratione, gravitate, vel levitate motorum sic esse suadentium. Sic ergo accipiendò formidinem, certum videtur, illam quoque non esse de substantia, seu essentia iudicij opinativi propriè dicti; cum dari possit opinio pro una determinatè parte contradictionis, quin in oppositum occurrant alia motiva id suadentia, ut diximus *supra*, licèt quandoque talis formido simul cum opinione consistere possit.

848. Not. 9. ab Authoribus, qui negant, ul- lum iudicium rationis, nisi certum, suf- ficere ad amplectendam partem minùs tu- tam, seu stantem pro libertate contra le- gem, rejici à sufficientia inculpate operan- di, ex iudicio rationis, seu conscientia merè probabili, nec certa mortaliter pro- pterea, quòd, cum sit merè opinativa, & sæpè habeat contra se rationes probabi- les, admittat prudentem formidinem fal- si, ac peccati, oriundam ex motivis con- trariis, ac prudenter, seu probabiliter, aut etiam probabilius suadentibus, illud iudi- cium, seu conscientiam, falli actu, & opus exercendum, esse peccatum.

849. Hæc ergo formido, præter iudicium, quo quis iudicat, *rem esse licitam cum non repugnantia tamen, ut sit illicita*, expli- cat præterea periculum aliquod, quòd, cum contraria sententia probabiliter di- cter, iudicium oppositum esse falsum, & rem esse illicitam, opinio dicens, *esse licitum*, minus remota sit *ab actu aliter essen- di*, atque adeò, *quòd res aliter se habeat*, quam ipse iudicet. Consistit ergo hæc for- mido non in mera apprehensione de pos- sibilitate oppositi, sed periculi aliquo mo- do impendentis, quòd, *si fiat actus*, pec- catum fiet, sic suadentibus momentis con- trariæ opinionis probabilis.

850. Ex his infero, nec istam formidinem essentialem esse opinioni, cum, ut jam dictum est, possit una pars contradictionis esse probabilis, quin eo ipso probabilis sit opposita. Et ratio est, quia quæstio pra- ctica versari potest inter extrema quando- que non ritè probabilia *utrinque*, & ta- men cadere sub opinionem. Quia ta- men frequentissimè usu venit, quòd ex ra- tionibus pro, & contra probabilibus, esto quis amplectatur unam partem determi- natam ex illis duabus sibi contrariis; qua- rum tamen quælibet sit probabilis, propter

rationes probabiles oppositæ partis, cum qualibet probabiliū opinionum contra- riarum stet prudens illa formido; quæstio est, an stante tali formidine nihilominus licitè operetur, vel priùs deponi debeat, & *qualiter?*

Loquimur autem, ut dixi, de pruden- ti formidine oppositi, quam fundant ra- 851. tiones opinionis contrariæ. Nam si im- prudens sit, non obstat honestati actus; quia etiam cum actu divinæ fidei, qui es- sentialiter certus est, ob suam obscurita- tem frequenter conjuncta est formido ir- rationabiliter concepta, quin propterea vi- tietur. Unde tota difficultas est de con- cursu opinionum probabiliū, & contra- riarum. Cuilibet enim earum adjuncta est, aut adesse potest ejusmodi formido prudens, propter rationabiles causas, & momenta, quibus stabilitur contraria, etiã probabilis, vel æquè, vel minùs, vel etiam magis. Ad hanc quæstionem dicemus *infra*; cum altera, quæ sequitur, priùs expedienda sit.

#### §. XII.

*Quousque locum habeat regula, quòd in dubio melior est conditio possidentis?*

852. Hæc regula de possessione, in pari causa litigantibus, tribuente condi- tionem illi potiorem, qui possessionem al- legare potest, est 65. *de regul. juris in 6.* & sic habet: *in pari delicto, & causa, po- tior est conditio possidentis; & L. 171. ff. de reg. juris*, ubi dicitur: *in pari causa pos- sessor potior haberi habet*. Hinc Alexan- der III. ut habetur in *c. ad aures. 6. de prescript.* ait: *jure divino, & huma- no meliorem esse conditionem possiden- tis*. Hujus regulæ usum plerique conce- dunt, quando subnascitur dubium, ad quem res (de qua litigatur) pertineat? vel cum homini rem possidenti suboritur du- bium, scrupulus, aut formido, an res, quam possidet, non sit aliena, consequen- ter non illicitè retineat?

853. Nam licèt aliqui existimaverint, quòd, quando possessor, etiam factâ debitâ dili- gentiâ, non potest deponere dubium per- notitiam veri Domini, non possit rem à se possessam retinere, eò quòd in tali casu subintret,

subintret, ac pravealeat regula, quod in dubiis tutior pars eligenda sit; cum in restitutione, seu non retentione nulla iniustitia appareat; secus in retentione; alij autem in casu talis dubij rem esse dividendam inter possessorem, & alium, de cuius jure dubitatur: rectius tamen dicitur, ut jam notavimus in *preced.* in tali casu dubium sufficienter vinci, ac deponi posse à possessore, per dictamen, seu iudicium practicum, fundatum in illis regulis, quod in tali casu melior sit conditio possidentis, & totum licite retineat; presentim, cum & Judici præscripta sit hæc regula, quod, cum jura partium sunt obscura, Reo potius favendum sit, quam Actori. Reg. I. I. de reg. juris in 6.

854. Difficultas est, an, quando subnascitur ejusmodi dubium, etiam *extra materiam justitiæ* v. g. inter libertatem hominis, & legem (libertate prætendente immunitatem ab obligatione legis; hac autem asserente) ubi utriusque partis probationes, aut pares sunt, sed non certæ, adeoque solum incertæ, libertas etiam contra legem tueri se possit ex illis regulis, si probet, se ante motam sibi litem per rationes contrarias; & inde subnatum dubium (an subsit, vel non subsit obligationi?) fuisse in possessione immunitatis ab obligatione talis legis? Quæstio hæc brevius sic proponi potest: *an non solum in materiis justitiæ, sed etiam in aliis, titulus possessionis sit recta regula deponendi, seu evincendi conscientiam dubiam, recteque operandi?* Negativam sequuntur Vasquez, & Salas apud Castropalaum P. I. tr. I. D. 3. p. 7. n. 1. Eandem negativam tenet P. Thomas Muniessa in *stimulo conscientia, stimulat.* 4. §. 5. n. 40. & *stimulat.* 7. §. 7. n. 75.

855. Rationes negantium sunt sequens 1. quia ratio, propter quam in materia justitiæ titulus possessionis sit recta regula deponendi conscientiam dubiam non convenit aliis materiis; probatur: nam ideo ibi valet, quia quamvis in titulo proprietatis sint pares illi duo propter dubium; titulus tamen possessionis est pro altero certus, quo certo caret alter; ex hoc enim sit, quod talis possessor in foro externo,

imò & interno à nullo Judice spoliari possit possessione suâ, fundante, & honestante intentionem suam, sine plena probatione in contrarium; at hæc ratio non convenit aliis materiis; ergo. Min. probat. Nam sit casus, quo quis dubitet, an talis contractus sit, vel non sit sub lege Dei prohibente illum tanquam usufructarium. Ubinam possessio? si dicas, pro libertate, donec dubium resolvatur? contra est, quia nunquam fuit libertas sic contrahendi, & nunc dubitatur, an sit licitum sic contrahere; ergo dubitans non habet rationem tituli possessionis ferendi sententiam pro libertate, & amplectendi, tanquam licitum ejusmodi contractum; ergo aliis materiis non convenit ratio, propter quam titulus possessionis in materia justitiæ sufficiat ad ritè deponendam conscientiam dubiam.

2. Ex dictis constat, hominem constitutum in dubio (*an opus sit prohibitum, nec ne?*) non posse illud, nisi dubium deponat, sine certo peccato velle, & facere. Nam, ut ait S. Augustinus, *efficere id, quod incertum est, an sit peccatum? certum peccatum est;* ergo in aliis materiis, saltem in casu opinionis probabilis, aut etiam probabilioris pro altero contra possidentem, huic non favet titulus possessionis, cum eo titulo etiam in tribunalibus causa decidatur contra possidentem, quia nunc non sumus in dubio.

3. Arguit Muniessa cit. §. 7. n. 77. Hæc 857. imaginaria libertatis possessio, vel procedit de libertate *physica* ad faciendum talem contractum v. g. vel de libertate *moralis*, seu juris, eum faciendi? *Non primum;* quia lex non aufert libertatem physicam; aliàs hominem non relinqueret cum libertate peccandi; ergo de morali; sed sic supponitur plus, quàm falsò, fuisse unquam hominem in possessione talis libertatis; aut illam ei concessam à Deo, aut concedi potuisse. Quia nunquam potuit homo licite, & impeccanter, facere opus prohibitum lege Dei, *sibi* (nisi velit affectatè claudere oculos, vel à lege, vel à Deo avertere) satis proposita, & intimata per ipsius iudicium, quo directe opinatur in actu secundo, contractum esse usufructarium.

## §. XIII.

## Eliçitur sententia affirmans.

858. **S**ententia affirmans tenet, in dubio, *an detur, vel non detur lex prohibens aliquem actum, dubitantem posse dubium ritè deponere per iudicium negativum* (nempe, non dari legem illam, quoad vim obligandi ad omittendum illum actum *vi talis legis*) conceptum ex regula, quòd titulus possessionis libertatem in jure immunitatis ab obligatione illius legis, de cujus existentia dubitabatur, potiorendi faciat ejus conditionem. Hanc sententiam tenent complures ex gravibus Authoribus. Nam in quæstione: *an, si facta sufficienti diligentia ad investigandam veritatem, adhuc dubius es de lege, vel præcepto; te non teneri illo*, docet Suarez tom. 5. in 3. p. D. 40. s. 5. n. 15. Thomas Sanchez l. 2. de matr. D. 41. n. 36. & l. 1. in Decal. c. 10. n. 32. Villalobos, Henriquez, Emmanuel Sa, & alij, quos citat, & sequitur Castropalaus P. 1. tr. 1. D. 3. p. 7. n. 1. qui n. 2. cum Thoma Sanchez cit. c. 10. n. 33. & Salas tr. 8. D. unic. s. 25. n. 258. idem sentit, quoties dubitas, an lex ad aliquem casum se extendat? Pro eadem affirmante refert ipse Muniessa cit. §. 5. n. 39. Terillum, Moyam, Tapiam, Tamburinum l. 1. Decal. c. 3. §. 7.

859. Pro resolut. not. 1. non esse dubium, quòd lex divina sive naturalis, sive positiva, tempore sit anterior libertate creata. Illa enim ab æterno est; hæc in tempore. Sed hoc non impedit etiam certam possessionem creatæ libertatis contra legem sive divinam, sive humanam, ut constabit ex sequentibus. Not. 2. certum quoque videri quandoque libertatem hominis esse in possessione contra legem, etiam divinam, & humanam. Nam *possessio libertatis contra legem*, est immunitas ab obligatione ponendi, vel omittendi aliquem actum, atque adeò *potestas faciendi, vel omittendi talem actum absque peccato formaliter imputabili*. Ipse enim Muniessa fatetur cit. §. 7. n. 79. idem esse, *habuisse, vel habere potestatem moralem juris ad licitè, ac impeccanter exercendum aliquem actum, ac fuisse, & esse in possessione libertatis moralis ad licitè, & impeccanter exercendum aliquem hinc & nunc actum*. Ex

quo per oppositum rectè sequitur, possessionem legis contra libertatem, esse potestatem stringendi libertatem ad ponendum, vel omittendum aliquem actum, ut secus agens pro sensu composito talis potestatis, & vinculi, eo ipso peccet imputabiliter; sed illa potestas quandoque est in libertate, ut mox dicemus à n. 863. ergo.

Dixi: si secus faciat *pro sensu composito talis potestatis, & vinculi*, nimirum, *omissionem actus ponendi, vel positionem actus omittendi ex lege, componendò cum existentia legis cognita*. Nam, si per omissionem actus ex lege ponendi, vel positionem actus omittendi dividat existentiam legis à tali omissione, vel positione actus; sicut justus peccandò dividit gratiam, hoc est, facit, ne tunc sit gratia, aliàs extitura; & prædefinitus ad actum, omittendò illum dividit prædefinitionem, hoc est, facit, ne tunc sit prædefinitio, quando ponitur omisso actus, qui dependenter à scientia media prædefinitus est, nihil omnino agit contra gratiam, vel prædefinitionem, utpote tunc non existentem; ita omittens actum præceptum pro sensu diviso præcepti, nihil agit contra præceptum. Et ideo in tractatu de obedientia Christi docui, quòd necessitas faciendi actum, quam imponit præceptum existens dependenter à scientia media de aliunde futura liberè substantia talis actus, non importet determinatè *potentiam peccandi*, sed vel faciendi actum, vel per ejus omissionem dividendò præceptum, hoc est, faciendò, quòd tunc non existeret existente omissione actus præcepti.

Not. 3. nullam legem habere potestatem, seu vim obligandi libertatem hominis sub peccato formaliter imputabili, nisi ea lex existat, & eam existere sufficienter intimetur voluntati. Nam certum videtur. 1. nulla lege existente, nullam ejus esse obligationem; omnia enim nobis licent, quæ nullà lege prohibentur; & prius est, *legem esse*, quàm *activè obligare*. Certum videtur. 2. nulli legi esse potestatem obligandi hominem sub peccato formaliter imputabili, invincibiliter, ac citra culpam ignorantem existentiam legis. Imputabilitas enim formalis supponit liberam transgressionem legis ritè cognitæ; quæ legem inculpatè ignorantem impossibilis est. Ex hoc sequitur, nullam legem esse in posses-



possessione certa contra libertatem, quoad vim eam obligandi, quamdiu ejus existentia libertati solum dubia, aut incerta est. Nam de cujus existentia dubium, aut incertum est, de eo etiam dubium, ac incertum est quoad ea, quæ supponunt ejus existentiam; sed vis obligandi sub peccato formaliter imputabili, supponit, legem existere, legem conditam esse; ergo quamdiu dubium est, vel incertum, quod lex existat, dubium, ac incertum est, quod habeat vim obligandi, & consequenter quoad hanc vim sit in certa possessione contra libertatem.

862. Not. 4. certum esse, quod non omnis lex etiam divina habeat vim obligandi absolutam, sed solum ex suppositione. Nam obligatio restitutionis est ex lege Dei, & naturæ; sed non habet vim obligandi, nisi ex suppositione lesi juris alieni; obligatio retractandi peccatum ad obtinendam veniam, vel confitendi, est ex suppositione peccati commissi; & sic de plurimis tam juris naturalis, quam positivi, æquè humani, ac divini; ergo antequam certa sit suppositio, penes ejusmodi leges non est certa possessio, seu jus obligandi sub peccato formaliter imputabili.

863. Not. 5. certum esse, quod frequenter homo certus sit, quantum humanitus fieri potest, se non fecisse actum, quo, certo supposito, subintraret lex vel divina, vel humana, & veniret in certam possessionem, quoad vim obligandi. Nam si certum mihi sit, me non peccasse graviter, libertas mea est in certa possessione contra obligationem confitendi: tunc enim habet potestatem etiam moralem omittendi confessionem, à Deo sibi concessam. Similiter certus, se non dedisse fidem matrimonij de futuro est in certa possessione contra jus, & legem naturalem, quæ jubet implere promissum, sed solum ex suppositione datæ fidei.

864. Not. 6. omnino verum esse, possessionem libertatis certam esse contra legis obligationem, quoties ejus existentia inculpatè ignoratur. Nam possessio libertatis contra obligationem legis, est potestas faciendi, vel omittendi actum aliquem citra culpam ex n. 859. sed hæc potestas certa est penes libertatem inculpatè ignorantem, legis existentiam prohibentis talem actum, vel omissionem; ergo & pos-

sessio libertatis, contra legis obligationem. Nunc ponamus casum. Titius hætenus inculpatè ignoravit, hunc contractum A esse simoniacum; consequenter hætenus fuit in certa possessione contra legem, titulo simoniæ prohibentem contractum A; hætenus enim citra labem, seu culpam simoniæ, formaliter imputabilis, potuit illum contractum celebrare; cum etiam contrarij concedant, quod potuerit illum citra culpam simoniæ formaliter imputabilis, stante illa ignorantia inculcata celebrare. Supponamus, quod deinde Titio superveniat dubium merè negativum, *an talis contractus sit, necne, simoniacus?* non video, qualiter certa possessio libertatis, quam habuit ante subortum hoc dubium, per dubium hoc merè negativum superveniens evertatur; supponamus subsequi, ad certam illam possessionem libertatis contra legem, dubium positivum ex opinionibus sibi oppositis, & probabilibus, & solum objective existentibus in mente Titij; neutra tamen alteram notabiliter, vi rationum, quibus nituntur, excedente; nec in hoc casu video per ejusmodi purum dubium everti præexistentem libertatis possessionem contra legem; sicut nec reverà contrarij dicere possunt, bonam fidem in aliquo præexistentem everti. Inculpatè autem ignorans, operatur cum bona fide; ergo sicut possessor bonæ fidei, sic inculpatè ignorans, etiam dato ejusmodi superveniente dubio non amittit possessionem præexistentem; at hoc contingit in materiis etiam extra justitiam; ut ostensum est hætenus; ergo.

865. Consideremus nunc rationes in contrarium. Ad 1. in n. 855. N. maj. ad hujus prob. data maj. N. min. ad istius prob. ubi quæritur, *ubi sit possessio?* R. esse penes libertatem, etiam superveniente dubio, de quo à n. priori; hinc nego, quod Titius, ante illud dubium superveniens, ac inculpatè ignorans, *existere legem prohibentem ejusmodi contractum*, nunquam habuerit libertatem moralem, seu juris, inculpatè, seu citra culpam imputabilem eum contractum celebrandi; & ideo N. conseq. ex ratione data n. præced.

866. Ad 2. rat. in n. 858. R. dato anteced. N. conseq. pro casu dubij negativi, vel etiam positivi, ex opinionibus probabilibus contrariis, neutra alteram notabiliter excedente.

cedente. De casu autem, quo una pars contradictionis notabiliter in probabilitate alteram excederet, dicemus *infra*. Hic enim aliud non intendimus, quam ostendere, quod quandoque certa possessio stet pro libertate contra obligationem legis; & homo, qui hactenus ejusmodi libertatis possessionem habuit, ubi dubium supervenerit, rectè deponere possit dubium, per judicium desumptum ex titulo possessionis præhabitæ, nec per ejusmodi superveniens dubium eversæ, etiam *extra materiam justitiæ*. Cæterum textus D. Augustini *cit. n. 865*. non aptè producit ad intentum. Nam juxta P. Muniessam, & satis communem sententiam aliorum, *Titius licitè amplectitur opinionem pro libertate contra legem, quando ei probabilior est illa, quæ stat pro lege contra legem; & tamen, incertum est, an sit peccatum id, quod operans juxta illam probabiliorem efficit; major enim probabilitas actui relinquit suam incertitudinem; incertum ergo ibi Sanctus Doctor sumit pro dubio, cum quo, si quis id, de quo dubitat, an sit peccatum, efficit, omnino certum peccatum est.*

867. Ad 3. rationem in *n. 857*. R. à nobis concedi, sapius certam esse possessionem pro libertate morali, contra legem; & nego subsumptam min. ex *dict. à n. 859*. Nam etiam juxta Muniessam, *citra culpam, formaliter imputabilem, operatur homo, mentiendò v. g. quando inculpate judicat, se hic, & nunc, ne transgrediat legem sibi per errorem invincibilem propositam, debere mentiri; ergo tunc potest, seu habet potestatem moralem, ac juris, citra culpam mentiendi; hanc autem potestatem utique habet à Deo; ergo.*

868. Dices cum eodem Authore *stimulat. 7. §. 7. n. 78*. tota ratio pro possessione libertatis contra legem est, quod homo *antecedenter ad intimationem legis, inculpate prius ignorata, habebat potestatem, impeccanter, & licitè faciendi talem contractum, & nec dum certò constet de lege, qua ipsi fiat illicitus, quamvis ipse opinetur probabilius, esse usurarium, vel simoniacum, dum alij opinantur, non esse: quo posito sic progreditur: Bene quidem possessio illa antecedens erat certa ad exercendum contractum, nullatenus homini proposita lege prohibente; & certa non erat*

*ad exercendum contractum, dum constaret certò de lege prohibente: ad exercendum verò licitè contractum dum operans opinatur, aut verosimilius ipsi proponitur esse usurarium, atque adeò lege prohibitum, affirmant adversarij fuisse tunc, & nunc etiam esse homini potestatem; nos autem negamus, & esse, & fuisse; ergo ad summum est possessio incerta, utpote versans sub hominum opinionibus; hoc est luce clarius; ita ille.*

Ex hoc tria subinfert *n. 79*. Primum: Adversarios ludere verbis, petere principium, & respondere per quæstionem: idem enim est, *hominem habuisse, & habere potestatem moralem juris ad licitè, seu impeccanter exercendum in presenti casu contractum, ac, fuisse, & esse in possessione libertatis morales, ad licitè, & impeccanter contrahendum in hoc casu*: nos utrumque negamus: Adversarij utrumque affirmant: & pro ratione libertatis, & potestatis morales dant *possessionem libertatis*: & pro ratione possessionis libertatis dant *potestatem moralem ad id licitè faciendum*: quod est circuire collusoriè, petendò principium, nullam aliam dantes rationem suæ doctrinæ in re gravissima ad mores maximè pertinente.

Secundum: eandem nobis esse difficultatem de asserta illa possessione libertatis, ac de potestate morali juris in homine illo ad id licitè faciendum in occurfu legis sic ipsi propositæ: & de utroque pariter quæritur responsum. Respondere autem, manere in homine sic constituto possessionem libertatis, & potestatem moralem juris ad id tunc licitè faciendum; *quia possidet libertatem ad id tunc licitè faciendum, dum certò non constet de lege; est in re dicere possidet, quia possidet.*

Tertium: possessionem illam libertatis ad id tunc licitè faciendum, utpote non minùs incertam, quam sit potestas ad id licitè faciendum, suffragari nullatenus homini posse ad licitè operandum in prædicto casu. Quod sic ostendit ibidem *n. 80*. Regula juris: *melior est conditio possidentis*: habet locum, *quando alioquin jura sunt paria, seu dubia pro utraque parte, & pro una stat certa possessio*: tunc enim manutinetur possessor in re, quam possidet, donec per aliud judicium petitorij, seu de jure proprietatis, decidatur lis. At, quando

quando possessio est dubia pro utraque parte, idèdque sub lite, neutri potius suffragatur: & litigatur de possessione, de qua judicatur seorsim in possessorio (hoc in humanis est certum) at homines ij versus Deum volunt, quòd possessio ad summum dubia, & sub lite, suffragetur libertati contra Dei legem; ac si causà jam Deus in possessorio cecidisset; cùm tamen sit adhuc sub lite qualisqualis illa possessio: ut vel ex hoc admiremur, adhuc standò illi regulà juris, quàm sint erga Deum mendaces Filij hominum in stateris.

872. Resp. datam object. in n. 868. recedere à statu quæstionis propositæ. Hæc enim est, an in casu dubij, *num detur, vel non detur lex divina prohibens exercitium talis contractus, vel operis*, etiam *extra materiam justitiæ* locus sit regulæ: *in dubio melior est conditio possidentis*; & consequenter, an *dubitans* in ejusmodi casu *dubij propriè dicti* rectè utatur in favorem suum eà regulà, & titulò possessionis, quæ antecedenter ad illud dubium subjèctivè in illo erat, rectè deponat dubium resolvendò se pro parte, cui favet possessio? objectio autem loquitur de casu, quo, qui antecedenter ad legis intimationem habebat potestatem exercendi contractum illum impeccanter, & licitè, ipse *opinatur probabilius contractum esse usurarium*, aliis probabiliter opinantibus, *non esse*, quod utique longè aliud est à priori, ubi ponitur casus *dubij in operante*. Cùm autem reliqua, quæ subinfert Munieffa (de quibus *suprà*) non tangant statum presentis quæstionis, an *in dubio*, etiam *extra materiam justitiæ*, locus sit regulæ, de qua nunc agimus; sed solùm ejus, an, *quando probabilius adheret parti tutiori, seu remotiori à peccato, & stanti contra libertatem*, tueri se possit eà regulà, de quo nunc non agimus, acturi tamen *infra*, ibidem ad ea respondebimus.

## §. XIV.

*An dubitans citra culpam se resolvere possit pro parte favente libertati contra legem, nixus eà regulà, quòd in dubio potior sit conditio possidentis?*

873. **S**Upponendum, nos loqui primò de casu, quo Titius antecedenter ad tale du-  
Tom. I.

bium, impeccanter, & licitè poterat facere actum, de cujus licito exercitio supervenit deinde *dubium merè negativum*. Quòd homo antecedenter ad tale dubium possit licitè facere actum aliquando, qui postea subjicitur dubio, ex eo constat; quia sæpe fit, quòd antecedenter ad illud dubium fuerit in statu inculpatæ ignorantia, de prohibitione, vel malitia actus, quin etiam leviter occurreret obligatio non ponendi talem actum. Vnde status quæstionis reducitur ad casum, quo homo, antequam subsequeretur dubium illud merè negativum, erat *in certa possessione* immunitatis ab obligatione (quem casum dari posse, nec everti per dubium superveniens, jam probatum est) & de hoc quæritur, an tunc licitè deponat dubium, & se resolvat pro parte contra legem ex titulo possessionis pro se certæ? si post sincerum examen, vel inquisitionem de rei veritate adhuc manet dubius?

874. Responsio est affirmativa, quam tenent Authores jam relati *superius*; nam, qui post sincerum examen, & inquisitionem, de rei veritate hæret negativè dubius, circa opus particulare in datis circumstantiis, occurrente tamen ea regulà, quòd is, cui favet hìc & nunc possessio contra alterum, habeat potiore causam non tantùm in materia justitiæ, sed quavis alia, licitè, ac *prudenter (saltem negativè)* judicare potest, se citra culpam operari posse, ut antè, consequenter dubiò depositò transire ad operationem; sed hoc contingere potest: ergo. Maj. prob. nam in eo casu certa possessio stat pro libertate, ut constat ex n. 864. cùm per superveniens dubium negativum non evertatur; 2. dicta regulà, quòd possessio, *si certa sit*, potiore faciat causam possidentis, contra non possidentem, cæteris paribus, locum habeat etiam extra materiam justitiæ, constat ex n. 864. Denique, quòd inclinatus, seu persuasus ex eo principio, & judicans pro sua libertate contra legem, formet judicium prudens pro habente certam possessionem contra legem, quando agitur de materia justitiæ, concedunt Adversarij juxta dicta *suprà*: at eadem ratio est in alia materia, quando possessio certa est penes libertatem, ut constat ex n. 858. ergo. Minor autem est per se clara ex ipso casu proposito; ergo.

D d

Dices:

875. Dices: in dubio, *an detur, vel non detur lex prohibens aliquem actum?* si dubium vinci non potest, etiam post diligentiam debitam in examine veritatis, certum est principium, quod *tutior pars, seu remotior à peccato, eligenda sit ex obligatione*; sed in præsentem est talis casus; ergo in præsentem eligenda est pars tutior, seu remotior à peccato; sed hæc est pro lege contra libertatem; ergo. *z.* veram esse majorem, quando non suppetit aliud principium rationabile, deponendi dubium, seu rationabiliter assentiendi parti, quæ favet libertati contra legem, ut diximus à n. 881. sed in præsentem adest rationabile principium, quod in casu negativè dubij, dubio superveniente ipsi certæ possessioni (quam antecedenter ad illud habuit libertas) nempe illa regula: *titulus certæ possessionis contra non possidentem faciat potiorē causam possidentis*; ergo in dato casu non est locus regulæ de tutiori parte, seu à peccato remotiori, eligenda, ex obligatione.

876. Quæstio altera est, an dubitans positivè, citra culpam se resolvere possit pro parte favente libertati contra legem; nixus eâ regulâ, quod in dubio potior sit conditio possidentis? Pro resolutione supponamus casum: Titius, laborans inculpata ignorantia legis prohibentis aliquem contractum, tanquam usurarium, vel simoniacum; sub hoc incidit in libros Doctorum, scribentium pro, & contra in ea materia, ex quibus aliqui affirmant, aliqui negant *existentiam talis legis*; Titius autem cognoscit utriusque partis sententiam, *objectivè probabilem*, hoc est, eam à suis Authoribus haberi ut talem, quin illi una præ alia sit probabilis *subjectivè*; hoc est, quin ipse unam præ alia judicet talem, qualis à suis Authoribus asseritur; nec post diligens examen juxta captum, & modulum suum, ex principiis eorum pro una, vel altera parte ferat sententiam, aut ferre possit pro una parte determinatè, intellectū proinde in suspenso manente: in hoc casu quæstio est, an duarum opinionum *objectivè* solum probabilium Titio, nullius partis rationibus alteri prævalentibus notabiliter, Titius licitè deponat

dubium, per judicium, quo adhæreat opinioni neganti existentiam talis legis, subnixum motivis ejus, non solitariè, sed simul sumptis cum ea regula, quod *in dubio, seu pari causa titulus possessionis certæ contra legem præhabita, potiorē nunc faciat conditionem libertatis contra legem?* Responsio est affirmativa; & ratio eadem est, quæ n. 874. quæ confirmatur ex eo, quia (ut fatetur Muniesiâ, & omnes, qui volunt, obligationem esse, sequendi partem probabiliorē, seu remotiorē à falsitate, in concursu opinionum inæqualiter probabilium, sive major probabilitas stet pro, sive contra legem, ut notavimus ex eorum mente *superius*) si opinio pro libertate sit probabilior opinione stante pro lege, licitè illam sectamur, & deponimus dubium; at in casu, quo ex sententiis oppositis solum *objectivè* probabilibus Titio nascitur dubium, quid in praxi, seu executione sequatur? opinio pro libertate ex principiis ejus directis, conjunctis cum certa possessione præhabita, nec per ullam ex *objectivè* solum illi probabilibus eversâ, neutra multum alteri præponderante, per reflexionem ad regulam, quod titulus certæ possessionis præhabita, nec adhuc sublata, apparet illi oppositâ probabilior; ergo illi accedendô per suum judicium, ritè deponit dubium, & juxta tale judicium impeccanter, ac licitè operatur.

Ex hoc colliges, etiam fundamenta, quæ probabiliter suadent existentiam legis contra libertatem, de se apta sint causare formidinem, de qua à n. 845. nimirum, quod opinio stans pro libertate fortè fallat, & consequenter juxta illam operans peccet; hanc tamen formidinem prudenter contemni, ac excludi posse per judicium contrarium, quo quis accedit opinioni directæ, quæ favet libertati, conceptum ex motivis opinionis directæ, faventis libertati contra legem, conjunctis cum titulo certæ possessionis à libertate præhabita contra legem, nec eversæ per fundamenta contraria; ratio constat ex dictis; quia judicium, quo in dato casu accedit parti pro libertate contra legem, prudens est saltem negativè, ac probabilis opposito.

## §. XV.

An, & qualiter ignorantia culpabilis excuset à culpa inobservantiam legis?

878. Ante responſionem not. ignorantiam, vel errorem in nobis existentem, dici vincibilem, quando est in nobis cum potentia habendi notitiam ejus, quod ſecluſo talis potentiae uſu ignoramus; ſeu quod ignoramus, aut falſo cognoscimus, potentes, ſi voluiſſemus, ſcire, aut verè cognoscere. Hæc ignorantia poteſt eſſe in nobis vel citra, vel cum noſtra culpa; & ſi eſt hoc ſecundo modo, dicitur culpabilis. Ad hoc autem (ut ignorantia dicatur vincibilis, & ſimul culpabilis) tria neceſſaria ſunt 1. quòd aliquo modo ſit voluntaria; 2. quòd vinci potuiſſet, & debuiſſet, 3. quòd tunc victa non ſit, ut pluribus expoſuimus à n. 681. Uti autem ignorantia vincibilis, ita etiam culpabilis alia eſt crassa, & ſupina; alia affectata; alia nec ſupina, nec affectata, ut diximus n. 679. quibus poſitis: 3. quòd quælibet ignorantia legis etiam culpabilis, inobservantiam legis excuſet à culpa tunc imputabili, quando talis inobservantia ponitur cum defectu omnis cognitionis de ipſius malitia; non tamen à culpa cauſæ, in qua fuit præviſa, dum ea liberè poneretur. Ratio primæ partis eſt ex dictis, quia tunc, quando ponitur ſine omni cognitione malitiæ, nullam habet libertatem; ſecus, quando liberè poſita eſt cauſa cum præviſione ſecuturæ inobservantiae, ex quo conſtat etiam ratio ſecundæ partis. V. dicta à n. 669. cum ſeq. & à n. 686.

879. Ex dictis collig. 1. cum dicitur in c. Cognoscentes, & c. Ut animarum, (de quibus n. 667.) quòd ignorantia crassa, & ſupina non excuſet à cenſuris per Ordinariorum ſtatuta decretis, procedere in foro externo, quia præſumitur ſcientia, ut notavimus n. 670. non autem in foro conſcientiæ, niſi quatenus inobservantia dicti ſtatuti fuit voluntaria, conſequenter prohibitio ſtatuti cognita; ſecus enim non foret libera. Collig. 2. operationem malam, ſecutam ex ignorantia culpabili, conſequenter ſolum indirecè voluntariam, & in cauſa, non habere malitiam

Tom. I.

formaliter imputabilem, niſi ejus, in quò eſt liberè volita; ratio eſt ex n. 671. Collig. 3. quòd conſcientia irreprehenſibiliter errans, non evadat reprehendiſſibilis, ſeu culpabilis per debitum ſcindi, quòd in re habet operans, ſi nullatenus ſit cognitum, dum operatur. Ratio eſt à n. 672. & ſeq.

Collig. 4. per culpam, à qua ignorantia culpabilis dicitur, inobservantiam legis, quæ ſubſecuta eſt ex ignorantia; non reddi formaliter imputabilem tunc, quando ipſa ponitur; ſi, antequam hæc poneretur, fuit retractata per pœnitentiam, fuiſſe tamen jam priùs imputatam, quando liberè poſita eſt illius cauſa; ratio eſt à n. 788. Collig. 5. opus malum ex ignorantia culpabili ſubſecutum, tunc, quando ſit cum defectu omnis cognitionis de malitia operis, non imputari ad propriam malitiam, quam habet in ſe; & novam ultra malitiam cauſæ, in qua ſola ponitur voluntaria; ratio eſt ex n. 690. Collig. 6. opus de ſe malum, ſubſecutum ex ignorantia culpabili, tunc, quando ponitur, non reddi formaliter voluntarium, & imputabile ad novam culpam, ultra culpam admiſſam in cauſa ignorantiae liberè poſita, etiam ſi ea culpa in admiſſione cauſæ commiſſa tunc, quando ponitur opus, nondum ſit retractata per pœnitentiam; ratio eſt ex n. 689. 700. 708.

Collig. 7. ignorantiam vincibilem ſucceſſu temporis fieri poſſe invincibilem, & inculpabilem, conſequenter excuſantem à culpa noviter imputabili opus inde ſubſecutum ex tali ignorantia; conſtat ex n. 712. cum ſeq. quòd verum eſt, licet culpa negligentiae priùs commiſſæ non ſit abolita per pœnitentiam ex n. 718. Collig. 8. cum dicimus, operantem ex conſcientia vincibiliter ignorante, excuſari à peccato formali, & noviter imputabili ad culpam, ultra culpam malitiæ, quam affert ejus cauſa liberè admiſſa, intelligi, quando opus ex illa ſecutum ponitur extra ſtatum libertatis tam circa cauſam mali operis inductivam, quam circa ipſum opus; ratio eſt ex n. 727. Collig. 9. actum ſecutum ex ignorantia (nulla ſcilicet præcedente cognitione de malitia objecti, vel obligatione procurandi ſcientiam debitam) ſive ignorantia ſit inculpabilis, ſive culpabilis, in neutro caſu habiturum malitiam

D d 2

litiam

litiam ab objecto, formaliter imputabilem; secus à causa, si ignorantia sit culpabilis; ratio est ex dict. à n. 777.

882. Collig. 10. ignorantiam inculpabilem, excusantem à peccato gravi, non tolli per quamcunque, etiam actualem cognitionem de malitia objecti, vel debito sciendi; ratio est ex n. 780. cum possit quis, agnoscens opus esse malum, invincibiliter ignorare, quod sit grave malum, juxta n. cit. Collig. 11. axioma illud, *scire, & scire debere, equiparantur*, non valere in foro interno, nisi debiti aliqua actualis notitia præcesserit; ita Herdinck in *M. S. de legibus*, D. 3. §. 2. quia fieri potest, quod nulla prorsus cogitatio tunc occurrat de tali delicto. Collig. 12. negandum esse, quod aliqui universaliter docent, *imputari operanti eventum ad culpam, quoties rei illicitæ dat operam*; quia potest in ratione causæ esse invincibiliter ignorata; sic Vasquez D. 114. in 1. 2. c. 2. n. 3. consequenter eventus nec in se, nec in causâ voluntarius esse. Et ideo hoc axioma: *eventus est in causa voluntarius*, non habet locum, nisi quando ipsius aliqua actualis notitia præcessit tempore, quo volebat operari. Vasquez cit. c. 3. n. 7.

883. Collig. 13. hoc axioma: *ignorantia facti, non juris excusat*, intelligendum de præsumptione fori externi, quod legum ritè promulgatarum ignorantiam in suis tribunalibus non admittit: at in foro interno utriusque ignorantia invincibilis excusat. Thomas Sanchez l. 1. in Decal. c. 10. n. 26. si reverâ adfit, vel adfuit in operante. Collig. 14. hoc assertum: *ignorantiam legum, vel statutorum ad alicujus particulare officium pertinentium, esse vincibilem, nec excusare à peccato*, non esse verum universaliter; aliàs enim in foro conscientie non daretur in ullis officialibus ulla juris ignorantia invincibilis, quod est contra experientiam; si enim potest dari in illis, quæ sunt Christiani hominis in genere, quare non etiam in casu particularis officii v. g. Advocati, Medici, &c. Sanchez cit. n. 23. Collig. 15. fieri posse, ut invincibilis ignorantia præceptioritur ex actu peccaminoso, quod tunc solet fieri, quando obligatio vitandi hunc actum peccaminosum nec totaliter, nec particulariter nascitur ex obligatione

hoc præceptum sciendi; imò & si nasceretur, fieri tamen potest, ut transgressor ad hanc circumstantiam non attendat; Vasquez in 1. 2. D. 120. c. 4. n. 12.

Collig. 16. infideles, qui nihil de fide audièrunt, posse Mysteria nostræ fidei invincibiliter ignorare; & hujusmodi non damnandos propter infidelitatem; sed alia peccata naturæ; unde si foret aliquis infidelis, qui legem naturæ observaret, hunc Deus in fide illuminabit juxta dictum Joan. 1. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; ita P. Henricus Herdinck in *M. S. de Legib.* D. 3. §. 2. ex Lugonis *M. S. de gratia*. Collig. 17. posse etiam inter Fideles dari ignorantiam invincibilem aliquorum Mysteriorum fidei; quia fieri potest, quod nullum illis actuale motivum occurrerit ad investiganda illa inducens. Hoc in rudioribus non videtur improbable: idem à fortiori dicendum de hæreticis, qui inter nullos Catholicos habitant; & hi pariter non damnabuntur propter defectum fidei, sed ob alia peccata mortalia, quæ commiserunt; Vasquez in 1. 2. q. 76. a 2. D. 3. Collig. 18. non posse dari ignorantiam invincibilem circa principia juris naturæ per se nota, ut sunt: *bonum esse faciendum, malum fugiendum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.* Herdinck loc. cit. Inter hæc etiam numerantur illa præcepta Decalogi, quæ ex hujusmodi principiis nullo negotio à quovis homine possunt deduci, ut sunt: *dari Deum, Deum esse colendum, honorandos genitores, &c.* De reliquis quoque docent communiter Doctores, licet aliquando, ad longum tamen tempus, aut per totam vitam dari non posse invincibilem ignorantiam; sunt enim ita legibus naturæ consentanea, ut impossibile videatur, transgressiones eorum nunquam ullam illiciti cogitationem causare, nisi fortè, quod fieri posset, aliqua apparenti ratione vestiantur, qualis foret: *furtum esse licitum ad erogandam elemosynam, vitam suam, vel alienam tutandam: licitum esse mendacium ad assequendum aliquod bonum.* Vasquez cit. D. 122. c. 2.

Collig. 19. universaliter eum, qui non agnoscit ullo modo rem, quam habet, aut facit, esse prohibitam, nec reflexè cognoscit, se teneri ad inquirendum, aut dubitandum,

tandum, an sit prohibita; & in casu, quo hoc cognovit, egitque, quod debuit, atque occurrens dubium prudenter deposuit, immunem esse ab omni culpa formali, licet fieri possit, ut materialiter peccet, id est, ea committat, quæ ex natura sua sunt quidem peccata, sed hic & nunc illi ad culpam propter ignorantiam, inconsiderationem, aut oblivionem invincibilem non imputantur. Huic corollarium adde probabilem doctrinam, quam cum multis aliis docet Arriaga D. 13. de actib. hum. subsect. 2. à n. 27. non sufficere ad mortalem transgressionem, præcognoscere; quod res sit prohibita: sed cognosci debere, quod sit graviter prohibita. Nam ratio malitiæ, communis mortali, & veniali, non est sufficiens ad mortalem malitiam; cum aliam non possit inducere, vel refundere, nisi quam proponit; hæc autem, quæ proponitur, ut ponit casus, non sit mortalis, sed communis mortali, & veniali, non est, unde contingat, fieri mortale, si quis ex malitia sub ratione generica proposita operetur. Hanc sententiam etiam tenet Ant. Escobar in princip. Theol. moral. exam. 2. de act. hum. c. 6. n. 13. quia voluntas est imperfecta in genere mali.

886. Argumenta, quæ contra hanc sententiam fiunt, desumuntur à periculo, cui se quis exponit transgrediendi legem graviter obligantem, ad quod hæc sententia facile potest respondere dicendò: nullum esse periculum formalis transgressionis rei graviter prohibite; de materiali non esse curandum, paritate sumptâ ab aliis materiis, eò quod materialis transgressio non sit formalis Dei offensâ, nec animæ ruina; sic illi, utique loquentes in eo sensu, quo verum est, non esse offensam formaliter imputabilem secundum rationem ignorati mali. Potest etiam idem argumentum de periculo sic contra illos retorqueri: fortè periculum nullum adest, eò quod res, cum malitia generica proposita, possit esse in se non nisi leviter mala; in quo casu non erit periculum legem graviter obligantem transgrediendi.

887. Ad extremum not. quod, cum, ut dictum est, non quælibet cognitio actualis de malitia objecti, vel debito sciendi (num liceat exercere opus hic & nunc exercendum?) sufficiat, ut ignorantia, inducta

pet negligentiam admissam in procuranda notitia, sit mortaliter culpabilis; sed requiratur ea, quæ sufficiat, ut actus sit perfecte deliberatus, Doctores communiter cum Sanchez cit. c. 10. n. 10. & aliis ibidem, assignent sequentia indicia, ex quibus prudenter colligere quis possit, se non processisse cum ea notitia ad peccatum grave necessaria.

Primum est, lumen rationis ex vehementissima distractione, vel passione ita turbatum, ut tenue censeatur pro formanda plena consideratione de malitia, aut obligatione objecti; Secundum, quando solum in genere apparet malum, nec advertitur ad gravitatem, vel levitatem; Talis enim consideratio (cum solum contineat rationem mali, communem veniali, & mortali peccato) non est sufficiens ad consultandum, vel considerandam plenè malitiam peccati, vel gravitatem; Tertium, quando in cognitione est defectus firmitatis, eò quod ex levi conjectura, vel cum notabili formidine procedat; ita Almainus, Corduba, Angestus, cit. à Vasquez in 1. 2. D. 107. c. 4. n. 11. Quartum, quando quis ita advertit malitiam, ut semel à somno excitati, Sanchez cit. c. 1. n. 10. Quintum, cum quis ex aliqua præsentis cognitione objectum ita quidem advertit, aut posset advertere, ut illud excutere queat, non tamen ita faciliter, quoniam nondum ita plenè cernit, in quam, vel quali motu sensualitatis hæreat? Valentia in 1. 2. q. 9. p. 3. D. 6.

Not. 2. ut quis possit manere inculpa-  
biliter ignorans, cum tempore impleti-  
onis præcepti occurrit aliqua cogitatio de  
ipsius obligatione vel operis malitia, re-  
quiri, quod ea prius prudenter deponatur  
sic, ut habeat se operans æqualiter in foro  
conscientiæ, ac si ea nunquam occurrisset,  
intellige quoad conscientiam, ex qua  
procedit actus. Potest hæc cogitatio esse  
facti, vel juris, seu vel de facto, vel  
de jure. De jure erit, quando existentiam  
legis, aut prohibitionis habet pro ob-  
jecto; de facto, quando suppositâ legis,  
aut prohibitionis notitiâ versatur circa ali-  
quod factum individuum, quod aliter,  
quam ante cognitum erat, nunc illi pro-  
ponitur.

Potissima verò difficultas est, quam diligenti-  
am quis adhibere teneatur, ut dicatur,

catur, *citra reprehensionem*, adhuc ignorare id, circa quod illa cogitatio aliquid vel de malitia, vel de obligatione indagandi, an hic, & nunc operari liceat, movit? Ad hoc respondent Doctores communiter, quando cogitatio occurrens est *circa factum*, pro illa prudenter deponenda, potissimas esse regulas sequentes. Prima est, non requiri summam diligentiam ad indagandam veritatem ejus cogitationis. Quia jubemur declinare à malo, & *facere bonum*, non tamen *optimum*; hoc enim est tantum consilij. Hinc illa diligentia sufficit, quæ in similibus circumstantiis solet à prudentibus adhiberi.

891. Secunda, quod juxta qualitatem facti, & pondus rationis occurrentis debeat esse major, vel minor diligentia. Tertia, quod ratio, per illam cogitationem occurrens, debeat esse particularis, id est, cum hoc facto particulariter connexa. Universales enim non probant; quia ex illis de hoc, vel illo facto non potest institui prudens consultatio. Res patet exemplò: multos homines avaritia induxit ad injustos contractus; ergo & Petrum. Multis amor proprius causavit conscientias invincibiliter ignorantes; ergo & huic. Multi ex pudore reticent in confessione peccata; ergo & iste censere debet, vel potest, se aliquando aliquid reticuisse, cum habeat eandem naturalem verecundiam. Multi existimârunt, se prudenter agere, & non egerunt; ergo & iste debet de se sic existimare. Hæc & similia sæpe occurrunt, turbantque invincibilem, quam quis habet, ignorantiam; sic Bresserus de *conscientia dubia*, c. 16.

892. Quarta, & præcipua regula est hæc: sufficientia hujus diligentia debet à judicio prudentum ultimâ desumi, quod vel ex eorum libris, vel ore tenus, vel ex præsumptionibus juris, quæ sunt eorum effata; vel ex factis, quoties cum doctrina timorata vitam conjungunt, solemus ab ipsis accipere.

893. Respondent. 2. quando cogitatio occurrens est juris, vel de jure, utrum lex sit lata? quomodo intelligenda? quæ hujus, vel illius officij obligationes sint? & similia, præter regulas suprâ dictas ad deponendam occurrentem cogitationem, hanc esse potiorem, quæ dicit, quod consulendi sunt periti in arte, qui similia tra-

ctaverint officia, vel eorum libros; hinc in medicina consulendus peritus Medicus, in juridica Jurista &c. Rudiores tamen posse stare judicio sui Parochi in omnibus occurrentibus, quod non possunt cives, mercatores, nobiles, quos non raro casus difficiliore certum est habere. Parochi autem non possunt prudenter præsumi similia extraordinaria exactè callere, præsertim in minoribus locis. Sed de his plura in sequentibus.

## §. XVI.

*Quid dicendum de ignorantia, quæ non potest vinci, dum operans in actum prodit?*

894. CASus est iste: aliquis ex culpa mortali in eum statum incidit, ut non possit dubitationem, v. g. quam prius habuit de peccatis non ritè confessis, vincere. Alius in eum statum per mortale incidit, ut non possit amplius scire ea, quæ ratione sui officij obligaretur scire; alius ex culpa mortali inebriatur, & ebrius peccata committit, quæ defectu libertatis non potuit evitare. De his quaeritur, utrum facta in statu impotentia à culpa excusentur?

895. Resp. 1. quæcunque mala, dum ignorantia vinci potuit, fuerunt sufficienter proposita, & tamen per mortalem negligentiam non impedita, inficiunt malitia suâ omnes actus, & suprâ dicta negligentia subsequentes propterea, quod in causa liberè posita censeantur liberè volita; quod *voluntarium* appellant Doctores, *indirectum*.

896. Resp. 2. eum, qui tunc temporis, quo consensit in ebrietatem, vel quo prævidit se inebriandum, non habuit ullam cogitationem sibi occurrentem de peccatis in ebrietate ab ipso fieri solitis, nequaquam peccare per actus subsequentes in ebrietate commissos; quia sic nec in se, nec in causa sunt liberè voliti, dum poneretur causa. Quod autem dico de ebrietate, idem dicendum de aliis occasionibus, oblivione, ignorantia, &c.

897. Not. tamen, hoc, quod passim Doctores ajunt de ebrietate, & similibus impedimentis, non esse universaliter verum, sed accipi in hoc sensu: *quod ea, quæ quis sæpe facit, soleant non raro ante factum occurre-*



occurrere. Unde si leges in Authoribus has, & similes propositiones: *frequentè fieri solita sunt libera in causa*, intelligendum est, quoties ante positionem causæ cogitationi occurrunt ejus effectus; secus, si non occurrant actualiter. In dubio tamen, utrum occurrerit, censendum, quòd ita; quia in obscuris judicandum, quòd vero similis, aut quòd plerumque fieri consuevit.

898. Resp. 3. juxta quantitatem culpæ, quæ est in causa, mensurari culpam in subsequente effectu solum in causa voluntario. Hinc si ebrietas est tantum venialiter mala, effectus solum voluntarius in causa, duntaxat cum veniali culpa liberè admittitur, similiter erit tantum venialiter malus. Imò licet causa esset mortaliter mala, si tamen negligentia, quæ in effectibus ipsius præcavendis commissa fuit, sit levis, actus subsequentes non nisi levis malitiæ culpam contrahunt; quia nemo dat plus, quam habet; & quoniam talis effectus solum habet malitiam causæ, cum ponatur non esse nisi in causa liber; malitia verò causæ imputabilis ponatur solum venialis, plus non habebit effectus, nisi malitiam venialem.

## §. XVII.

*An inobservantiam legis excuset à culpa inculpabilis ignorantia comitans?*

899. Ignorantia *concomitans* nihil est aliud, quam, quæ quis invincibiliter ignorat suum vitiosum affectum, quem vel habitualement, vel conditionatum, vel actualem habet, per hunc actum externum ex alio sine hic & nunc volitum, facto ipso expleri. Exempli causâ: habet quis actu, vel habitu affectum internum, quo vellet occidere inimicum, si occasionem haberet; & (post debitam diligentiam, an objectum, in quod jaculari vult, sit fera, vel homo?) invincibiliter errans, putansque feram esse, jaculatur in objectum, quod in re est jaculantis inimicus: tali casu inimici occisio facta dicitur cum ignorantia *comitante* pravum ejus affectum, *non causante*; quo posito: *re.* quòd talis ignorantia simul existens cum dicto affectu nunquam inficiat actum, cujus est comes.

Nam omnis actus internus in tantum actum externum inficit, seu vitiat, in quantum cum imperat; sed nec ignorantia concomitans invincibilis, nec etiam ipse pravus affectus internus imperat actum externum, quem comitatur; ergo non vitiat. Contraria sententia in eo falli videtur, quòd effectus subsecutus ex actu imperato, dum fiebat, fuerit ab operante, interne concupitus, quæ concupiscentia, licet faciat, eum non esse operanti contrarium, non tamen efficit, quòd ei sit voluntarius in actu externe posito; ita Thomas Sanchez *cit. n. 13.*

Hinc inferes. 1. ignorantiam concomitantem excusare ab excommunicatione, & irregularitate ex delicto, aliisque similibus pœnis; quia Ecclesia non potuit eas pœnas propter actus internos imponere; & actus externus ex interno, licet pravo, in hoc casu non procedit, consequenter culpam caret. Inferes. 2. ex hac ignorantia non oriri obligationem restituendi, quoties proximo per actum, cujus est comes, aliquod damnum infertur, quia actus, *illativus restitutionis*, debet esse culpabilis *in ordine ad damnum illatum*; intellige, quando restitutionis obligatio nascitur ex actione formaliter injusta. Inferes. 3. eum, qui contrahit cum Berta, existimans esse Cajam, licet sit ita dispositus interne, ut, esto sciret, non esse Cajam, sed Bertam, tamen cum hac contraheret, non contrahere verum matrimonium; ratio sumitur ex defectu *actualis voluntarij in Bertam* externe proditi. Nam affectus etiam actualis in Bertam non influit in externam promissionem; Dicastillo *tr. 10. de matr. D. 7. d. 7.*

Inferes. 4. secundum aliquos sponsalia cum ignorantia concomitante invincibilis alicujus defectus notabilis contracta, tenere; ratio est, quòd hic defectus non possit dici *absolutè* à contrahente *incognitus*; cum per illam ignorantiam fuerit ita dispositus, ut illo non obstante voluisset contrahere. Disparitas autem inter hanc, & priorem illationem est, quòd ad matrimonium consensus de presenti, id est, *attuale voluntarium* requiratur; in sponsalibus autem, ut illa non possint propter aliquem defectum irritari, satis est, quòd ille defectus non fuerit contrariè involuntarius; ita P. Herdinck *sæpe cit.* Verum hoc

hoc limitandum videtur, ut non procedat, si carentiæ defectus alligatus fuit consensus; 2. si consensus externus in Bertam non procedat ab interno in eandem. 3. quoad ly, *ut non possit irritari* talis contractus post cognitum illum defectum notabilem. De his *V. dictal.* 4.

902. Inferes. 5. quod omnis ignorantia, etiam vincibilis, modo non sit affectata, saltem *minuat* culpam, quia minuit voluntarium; exemplum est in peccato Pilati, *Joan.* 19. v. 11. de quo Christus sic loquitur: *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Dixi autem, *modo non sit affectata.* Nam *ignorantia affectata solet æquiparari scientiæ.* c. ult. de rescript. in 6. ibi: *cum taliter contrahendo non expertes scientiæ videantur;* & Layman in c. 20. de elect. n. 6. habeturque etiam in v. 2. de constit. in 6. teste Pirhing de *Judicijs*, n. 44. hinc si ob finem liberius peccandi, negligo sciendi occasiones, aut alia pono impedimenta libertatis in futurum, culpa fit auctior: excipe tamen ab hoc augmento finalitæ illam ignorantiam affectatam, quæ ob fines ex circumstantiis bonos assumeretur; Sanchez *cit. c.* 17. n. 5.

903. Inferes. 6. in foro externo *alleganti ignorantiam legis, aut edicti publici, sine probatione non credi*, ut dicitur c. *fin. qui matrimonium accusare.* Nam non ei, qui negat, sed, qui affirmat, imponitur onus, seu obligatio probandi. L. 2. ff. de probat. L. *Actor* 23. C. eod. Unde, quod dicitur *reg.* 47. de *reg. juris* in 6. *ignorantiam præsumi, ubi scientia non probatur*, fallit. 1. in facto proprio; quia nemo præsumitur ignorare factum proprium, c. *Ab excommunicato, de rescriptis*, nisi interdum ob temporis diuturnitatem, ut notat Mascardus de *probat.* Fallit. 2. si quis dicat, se nescire, quæ scire sui officij est, c. *innotuit, de elect.* Fallit. 3. si quis dicat, se nescire, quæ publicè gesta sunt, c. 1. de *postulat. Prælat.* & *cit. c. ult.* ibi: *cum rationabiliter præsumatur, quod denuntiationem, publicè factam, idem existens in diœcesi, minimè ignoraverit;* quod tamen intelligit pro foro externo.

904. Ratio hujus est, quia, quod in dictis casibus præsumatur *scientia*, non *ignorantia*, non est ex natura rei, sed totum fundatur in præsumptione juris, quæ admittit probationem in contrarium, qua

posita admitti debet allegatio ignorantie. Hæc probatio præstatur. 1. si jus sit valde abstrusum, & non nisi valde doctis cognitum; Molin. *D.* 71. n. 10. Nam legis ignorantia est probabilis, si lex sit dubia, vel obscura, ut notat Layman in *c. ult. de constitut. n.* 2. Præstatur. 2. si quis probet, se inter homines non habitasse, vel carcere conclusum fuisse. 3. si probet se fuisse absentem à diœcesi, provincia, vel loco legis promulgatæ. 4. in muliere, milite, minore 25. annis, simplici agricola, facilior est conjectura ex circumstantia personæ, quod legem inculpatè ignoraverit. Si autem ignorantia solum semiplenè probata sit, in supplementum deferri à Judice juramentum potest. Gail. *l.* 2. *observ.* 148. n. 23. Molin. *D.* 71. n. 3. Layman in *cit. c.* 2. de *constitut. n.* 5. ob regulam communem: quod ea, quæ occulta sunt, aut in animo consistentia, cum aliam dilucidam plerumque probationem habere non possint, juramentò confirmari debeant.

#### §. XVIII.

*An legis inobservantiam excuset à culpa periculum gravis nocu-  
menti?*

**L**oquimur de culpa ex inobservantia legis humane. Unde quæstio in præfens est 1. an quis lege humanâ obstringi possit ad aliquem actum, cui grave nocumentum annexum est, impendens subdito, si debeat illud implere? Et ad hoc respondetur affirmativè, si ejus observantia bono communi graviter necessaria sit: sic Covaruvias in *c. Alma*, p. 1. q. 3. n. 9. Suarez *l.* 3. de *legib. c.* 30. n. 4. cum communi. Nam quælibet pars communitatis, secundum quod graviter periclitatur bonum commune, graviter obligatur etiam posthabito bono suo privato, conservando communitatis bono; quia bonum commune semper præferendum est bono particulari; intellige, secundum quod (*hoc illi posthabere*) conservatio boni communis indiget, & non ampliùs. 905.

Ex hoc collig. 1. licitè subditos, etiam graviter, obligari ad præstandum actum bono communi graviter necessarium, licet ei annexum sit grave nocumentum particu-

particulare subditi; hoc enim suadet exemplum naturæ, quæ vult membrum rescari à corpore, si hoc necessarium est ad bonum commune totius reliqui corporis cæteroquin non incolume sine tali actu.

Collig. 2. non licere tales leges imponere subditis, ubi hoc non exigit gravis, & urgens necessitas conservandi salutem boni communis. Nam seclusa tali necessitate lex non foret iusta, cujus observationi est annexum vitæ periculum, iactura bonorum omnium, infamia valde gravis, &c. Nam, ut lex iusta sit, onus, quod imponit, necessarium esse debet conservationi Reipublicæ cæteroquin non incolumi.

907. Dices: ex facta ratione solum sequi, quod aliquis cum periculo sui nocuenti debeat succurrere bono communi cæteroquin periclitanti; sic tamen, ut quilibet in particulari, titulo damni, relate ad suum individuum, possit se excusare. 32. vel actus, cui tale nocumentum, aut periculum est annexum, imponit onus, quod dividi potest in omnes, vel tantum in aliquos, certum v. g. numerum personarum; in primo casu rectè probat objectio, non posse gravari unum tantum; cum & reliqui sint membra communitatis, consequenter æquè obnoxij subsidio boni communis; si secundum; determinationem pertinere ad gubernatorem; aliàs enim omnino inefficax foret gubernatio, & jus inutile, providendi periculo Reipublicæ, quolibet se excusante, consequenter nullo succurrente.

908. Quæstio est 2. de casu, quo grave illud nocumentum (v. g. periculum vitæ) non est annexum actioni præceptæ, sed aliunde provenit, v. g. à natura, vel extrinseco. Ante resolut. not. 1. esse distinguendum, an inobservantia, seu transgressio legis sit intrinsecè mala; quia scilicet est juris naturalis, ut mentiri, blasphemare, idolis sacrificare, uti mediis magicis &c. vel tantum juris positivum: in primo casu nullum etiam vitæ periculum excusat à culpa ejusmodi inobservantiam, simpliciter liberam, ut tenet communis; nam talis operatio libera, est necessariò mala, consequenter in nulla circumstantia, secluso errore, licitè eligibilis: si autem inobservantia legis illicita sit solum ex circumstantia juris positivi sic (ut eà seclusa, culpa vacet) attendendum est, an ejusmodi lex sit specialis,

Tom. I.

hoc est, singulos respiciens, quoad quasdam actiones, vel omissiones, ut *audire missam die festo, jejunare certis diebus, communionem sumere in paschate, non laborare die festo &c.* an communis, hoc est, respiciens actiones communes, seu pertinentes ad communem ritum Sacramentorum, v. g. *consecrare in utraque specie, miscere aquam vino &c.* Si primum: communis tenet, ejusmodi legis inobservantiam excusari à culpa, si ex opposito, seu illius observantia impenderet grave periculum, seu nocumentum, argumentò sumptò ex benignitate materna, quam in suos habet Ecclesia, quæ mentò præsumitur, eas actiones non exigere cum tanto subditorum nocumento.

909. Si autem secundum, communis tenet, talis legis inobservantiam non excusari à culpa, etiam propter periculum vitæ; & in hac re Castropalaus p. 1. tr. 3. D. 1. p. 16. n. 3. docet, hanc regulam quoad quasdam actiones esse certam. Unde violatio sigilli confessionis, nullo, quantumcunque gravi periculo etiam mortis, & tormentorum honestari potest, & reddi licita; idem dicit de consecratione in una tantum specie; rationem ait non esse aliam, quam quia pertinet ad ritum communem, & rectam Sacramentorum administrationem. Subjungit tamen: sed hæc ratio etiam militat, etsi non ita efficaciter, in aliis actionibus; ergo. Sed dici potest, quod violatio sigilli est illicita etiam jure naturali, & consecratio in una tantum specie, contra institutionem Christi, de quo *alibi*.

### ARTICULUS XIII.

#### De legis interpretatione.

910. Interpretatio legis nihil aliud est, quam declaratio, quod hic, vel ille casus, de quo dubitatur, sit, vel non sit sub lege; interpretatio alia est *authentica* (sic dicta per antonomasiam) quæ habetur ab ipso Legislatore, vel Successore ejus; alia *doctrinalis*, quæ fit iudiciò virorum in tali arte peritorum. Et hæc habet magnum pondus, magnamque inducit probabilitatem teste Suarez l. 6. de legibus, c. 1. & sumitur ex verborum significatione, naturali, juridica, vel usuali, & vel maxime ex mente ipsius Legislatoris, ut dicitur

E c

c. huma-

*c. humana aures*, 22. q. 5. Nam intentio non debet verbis deservire, sed verba intentioni. Tametsi verò fatendum sit, homines judicare de mente interna loquentis ex signis externis, non tamen intelligendum est de nudis verbis, sed ex verbis, ut conjunctis cum omnibus circumstantiis, in quibus illi, qui legibus subiecti sunt, versari possunt, aut actu versantur, quæ circumstantiæ sæpe efficiunt, ut à propria verborum significatione interpretatio doctrinalis, aut usualis recedat, qui recessus licitus, imò toties necessarius est, quoties eum menti Legislatoris agnoscimus conformem.

911. Hæc porrò conformitas solet ex sequentibus potissimum colligi. 1. ex injustitia, & aliis absurdis, quæ proprietatem verborum consequuntur. 2. ex comparatione ad alia jura, in quibus interpretatio à proprietate verborum recessit. 3. ex fine motivo legis, aut ejus ratione, quam vel ipsa lex exprimit, vel doctrinalis, aut usualis interpretatio. Ex his enim in praxi deciditur extensio, vel restrictio, exceptio, vel excusatio, aut etiam cessatio legis; quibus Hauldus tom. 1. *de Jure & Just. tr. 1. contr. 2. c. 1. n. 276.* addit tertium modum interpretationis, nimirum *usualis*, quæ habetur à consuetudine. Nam consuetudo est optima legum interpretis, *L. Minime*, 23. ff. *de legibus*, & *c. dilectus*, *de consuet.* Sed de hoc ex professo agimus *suprà tit. 4. de Consuetudine*; quibus præmissis: sit

## §. I.

*Qui possunt legem authenticè interpretari?*

912. Interpretatio legis fieri potest vel de personali mente, ac intentione primi Conditoris; vel de sensu, in quo verba legis accipienda sint. Cùm autem nemini certò, ac infallibiliter constare possit de primi Conditoris personali mente, ac intentione, ne quidem Successori, aut etiam eo Superiori, nisi fortassis ille his revelaverit, nemo quoque, nisi primus legis Conditor ejus legem primo modo interpretari authenticè poterit: in secundo autem modo legem interpretandi (in quo nimirum sensu verba legis, in quantum obli-

gantis, aut non obligantis, accipienda sint, aut à subditis tenenda?) non est dubium, authenticam interpretationem fieri posse, etiam à successore, vel superiore ejus, qui legem condidit; cùm is pari potestate poleat, quo primus Conditor; & in dubio de sensu verborum legis, autoritatem non minorem habeat, ac antecessor, determinandi sensum verborum, quo propter commune bonum, quod lex, propriè dicta, directè respicere debet, à subditis intelligi debeat, & in observantiam deduci.

Hoc ipsum etiam colligitur ex *c. Sicut* (quod est trigésimum) 11. q. 1. ibi: *sicut enim ille solus habet jus interpretandi Canones* (intellige authenticè) *qui habet condendi eos: ita ille solus civilium legum debet esse interpres, qui eis jus, & auctoritatem impertit; & c. inter alia*, 31. *de sent. excom.* ibi: *Ut igitur, unde jus prodit, interpretatio quoque procedat. & c.* Et ideo etiam *L. fin. C. de legibus*, dicitur: *leges condere soli Imperatori concessum est, & leges interpretari* (nimirum authenticè, seu cum potestate obligandi, ad parendum legi juxta sensum declaratum) *solo dignum imperio esse oportet.* Ad hoc autem, ut interpretatio authentica vim obligandi obtineat, in sensu verborum declarato, non minus requiritur, quòd ea debite promulgetur, ac ut lex vim obligandi habeat; cujus ratio est, quia tunc lex declarans subit vim legis; & lex declarata in tali sensu solùm obligat, in quantum declarata pro tali sensu. Quæ autem promulgatio ad substantiam legis requiratur, & sufficiat? exposuimus *tit. 2. n. 113. & 229.*

Quæstio est, an alij (quàm ipse Legislator, vel ejus successor, aut superior) habeant potestatem interpretandi legem authenticè? Non est dubium, eos habere, quibus id Legislator commisit specialiter: communiter autem quæstio movetur de Congregatione Cardinalium, designata ad declaranda ea, quæ dubia sunt in decretis Concilij Tridentini: pro resolutione *not. 1.* quòd, postquam Sixtus V. in *Bulla. 7. de anno 1588.* sibi reservavit potestatem congregandi Concilium, & definiendi res fidei, subjungat hæc verba: *Cardinalibus verò præfectis, interpretationi, & executioni Concilij Tridentini, si quando in his, quæ de morum reformatione, disciplina,*

disciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis  
judiciis, & aliis, quæ humana statuta sunt,  
dubietas, aut difficultas emerferit, inter-  
pretandi facultatem (nobis tamen consul-  
tis) imperrimur, de quibus fusè Fagnanus  
in c. quoniam, h. t. à n. 7. ex quibus  
verbis colligitur, dictæ Cardinalium Con-  
gregationi à summo Pontifice concessam  
esse facultatem, interpretandi leges Tri-  
dentini, quæ juris tantùm humani sunt,  
ea tamen conditione, ut summus Ponti-  
fex consulatur.

915. Sed hoc non obstante oboritur dubium,  
an ejusmodi declarationes, quæ passim cir-  
cumferuntur, vim legis habeant, seu inter-  
pretationis authenticæ (nimirum cogen-  
di, & in conscientia obligandi, ut fideles  
hanc interpretationem sequantur?) vel  
solum vim declarationis doctrinalis magni  
ponderis, & authoritatis? non enim de-  
sunt, qui velint eas habendas esse, solum  
ut doctrinales; prout sentit Sanchez l. 8.  
matr. D. 2. n. 10. Vasquez 1. 2. D. 177.  
c. ult. Navarrus, & alij apud Castro-  
palaum p. 1. tr. 3. D. 5. p. 3. §. 3. n. 3. §.  
Videtur. Idem docet Bartholomæus Chaf-  
saing de privil. Regul. tr. 1. c. 1. ut retu-  
limus suprâ; quod verum esse vult, licet  
ejusmodi declarationes, vivæ docis ora-  
culò, bullis, aut brevibus confirmatæ sint  
in forma communi; pro quo etiam refert  
Archangelum Romanum in præambulis  
ad lib. de privileg. & in princip. ad Extra-  
vag. Joannis XXII. cujus volumen, in  
quo hæc habentur, Romæ prælo datum est  
cum approbatione Magistri Sacri. Palat. &  
aliorum gravium Doctorum.

916. Rationem dat; quia confirmatio Papæ  
(in forma communi) novum jus rei, quæ  
confirmatur, non affert, c. cum dilectæ,  
de confirm. util. & hoc procedere vult, li-  
cèt Pontifex addat clausulam: se apponere  
inviolabilis apostolica authoritatis robur,  
& velle ea ab omnibus observari; quod hæc  
verba importent tantùm, ea esse accipien-  
da cum majori reverentia, tanquam res  
in statu doctrinali remanentes, non au-  
tem, ut fiant leges, & Canones; ita ille  
l. 1. c. 1. propof. V. Diana p. 1. tr. 10.  
resol. 29. His accedunt pro eadem sen-  
tentia rationes fatis graves. 1. quia hæc  
Congregatio rarò, & non nisi in dubiis  
gravioribus, & difficilioribus Pontificem  
solet consulere, ut testatur Salas de legibus

Tom. I.

D. 21. S. 12. ergo illæ saltem declarati-  
ones, quæ sic fiunt ab ea Congregatione,  
cùm deficiat conditio, sub qua illis data est  
facultas interpretandi Concilium, non ha-  
bent vim legis, seu authenticæ inter-  
pretationis.

917. Secundò: si hujus Congregationis de-  
clarationes haberent vim legis, seu inter-  
pretationis authenticæ, non deberent con-  
tinere inter se pugnantia; aliàs enim nul-  
la foret authentica; non prior; nam aliàs  
non succederet illi alia declarans opposi-  
tum, & priori repugnans; non posterior,  
quia sic vel prior, vel ista non foret au-  
thentica, cùm non habeant facultatem  
abrogandi, sed solum declarandi legem:  
sed plures Cardinalium declarationes sæ-  
pe inter se pugnant, ut notavit Suarez tom.  
4. in 3. p. D. 28. n. 6. & passim reperitur  
in Authoribus, ut notavimus l. 4. ergo.  
Tertiò, declarationes habentes vim legis  
egent promulgatione, non minùs, ac i-  
psæ leges, ut diximus n. 113. & seqq. hæc  
autem declarationes hoc non habent; nec,  
esto referanter à nonnullis Authoribus,  
propter hoc authenticè publicatæ sunt;  
accedit, quòd hæc responsa innumera sint,  
quæ reverà (sicut multitudo legum) ut vim  
legis teneant, intimatione alia, quam fiat,  
opus haberent.

918. Econtra Fagnanus jam cit. n. 8. ait, ma-  
nifestum videri, declarationes dictæ Con-  
gregationis vim legis obtinere, & in utro-  
que foro obligare; & hoc ex sequentibus  
fundamentis. 1. quia, quod dicta Congre-  
gatio declarat, facit non suâ, sed summi  
Pontificis auctoritate, vi Sixtianæ Consti-  
tutionis, de qua n. 914. & colligitur ex c.  
cum aliquibus 4. de Rescriptis in 6. ibi:  
nisi quòd eum auctoritate nostrâ recipe-  
rent, in nostris litteris caveretur expres-  
sè; & c. Cùm de præbend. in 6. Secun-  
dò, declaratio, quam quis facit authorita-  
te supremi Legislatoris, habet vim legis.  
Certum enim est, declarationibus editis  
immediatè à summo Pontifice ligari om-  
nes c. 1. de Bigamis in 6. & c. 1. de pri-  
vilegiis in 6. ergo etiam iis, quæ fiunt  
ejus auctoritate: at declarationes illius  
Congregationis sic fiunt; agit enim autho-  
ritate delegatâ officio per Sixtum V. Maj.  
probat fusè Fagnanus cit. à n. 8. Tertiò:  
quia Sixtus, dum Cardinalibus concedit  
facultatem interpretandi dubias leges Tri-  
dentini,

E e 2

dentini,

dentini, quæ spectant ad mores, &c. & sibi reservat facultatem in pertinentibus ad dogmata fidei, loquitur utique *de Auctoritate Apostolica*; ergo sicut ea, quam sibi reservat; sic ea, quam dictæ Congregationi concedit, est *Apostolica*; ergo etiam hujus Congregationis declarationes sunt *Apostolica*; ergo non merè doctrinales. Plures ibidem ejusmodi probationes congerit Fagnanus; sed omnes in hunc finem tendunt, & unâ resolutâ, resolvi possunt & reliquæ.

919. Ante resolutionem hujus quæstionis, perquam apud Authores controversæ, notandum in *Trid. sess. 25. de Reform. c. 2.* cautum esse, ut ij, ad quos pertinet, current, ut in Universitatibus Canones, & decreta Concilij Tridentini integrè recipiantur, ad eorûmque normam Magistri, Doctores, & alij in eisdem Universitatibus ea, quæ Catholicæ fidei sunt, doceant, & interpretentur; seque ad hoc institutum initiô cujuslibet anni solemnî juramentô obstringant: sub hoc à Pio IV. in *constitut. Benedictus*, septimo Calend. Febr. 1563. prohibitum esse sub pœna excommunicationis, *ne quisquam ullos Commentarios, annotationes, glossas, scholia, ulùmve interpretationis genus, super Concilij Tridentini decretis, ullo modo sine autoritate Sedis Apostolicæ, edere, aut quicquam quocunq; nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroboracionis, aut executionis, aliôve quæsito colore statueret, prout refert Barbosa in cit. loc. Trid. n. 5. cum pluribus aliis ibidem notans, hanc prohibitionem non loqui de interpretationibus, quæ in scholis sunt docendô: his præmissis:*

920. Resp. 1. declarationes Cardinalium, antequam sint debitè promulgatæ, non habere vim legis, nam lex, antequam debitè promulgata sit, non obligat, *ex dict. à n. 103. ita Suarez l. 6. de legib. c. 1. n. 3. generaliter loquens de omni declaratione facta à Principe; idem tenet Salas D. 2. s. 9. D. 10. s. 9. D. 12. s. 1. & plures alij. Et licet L. Ita fidei, ff. de jure Fisci, dicatur: publicationem esse requisitam ad legis constitutionem, non ad illius declarationem, quia declaratio cum ipsa lege à principio inest, intelligitur solum in his. ubi lex de se clara est; non autem in dubiis, ubi varix sunt Doctorum opiniones. Nec obstat, quòd*

Rota Romana in suis decisionibus utatur declarationibus Cardinalium, ut refert Salas *cit. D. 21. s. 12. & alij. Utitur enim etiam declarationibus doctrinalibus; & solum sequitur, quòd illis tribuat magnam æstimationem ab autoritate tantorum Virorum; non autem infallibilitatem, ac certitudinem, propter rationes sententiæ contrariæ, præsertim eam, quæ habetur n. 917.*

Si quæras, quæ promulgatio sufficiat? *921. ex dict. à n. 134. esse varias sententias; aliqui enim dicunt, non sufficere, quòd de illis authenticè constet; ita Bonacina, Suarez, Lorca, & Salas apud Castropalaum P. 1. tr. 3. D. 5. p. 3. §. 1. n. 5. qui n. 5. in fine fatetur, hanc probabilem esse, illis dari posse, dum aliud à Pontifice non definitur, licet ipse n. 6. censeat probabilius, & securius esse, has declarationes vim legis obtinere, in, & extra judicium, si de illis authenticè constet per breve Apostolicum, vel monitorium Auditoris Cameræ, vel per epistolam alicujus Cardinalis suô sigillô munitam, vel per transumptum authenticum ex Registro Congregationis parte citata; quòd hujusmodi publicatio videatur sufficere in harum legum declaratione, idque ex usu, & consuetudine.*

Cæterum, etsi valde probabile sit, ad *922. vim legis obligativam, substantialiter requiri juridicam, seu authenticam ejus promulgationem, ut quidam volunt etiam in provinciis, ut notavimus n. 134. quidquid in contrarium dicat Cardenas, horum Authorum sententiam volens nunc antiquatam, ut notavimus à n. 134. probabilius tamen est, sufficere unicam Romæ factam publicationem juridicam, cum latitudine temporis, dum morali certitudine etiam alibi innotescat, ut diximus à n. 139. Nec enim etiam facta Romæ publicatione ubique statim obligat, sed successivè, cum successivè tantum innotescat, ut diximus n. citato, & sequentibus. Hinc:*

923. Resp. 2. declarationes Cardinalium nec in, nec extra judicium obtinere vim legis (consequenter interpretationes eorum non esse authenticas) nisi habeant sequentes tres condiciones. 1. ut fiant *consulto Pontifice*; prout exigit Sixtus V. in facultate interpretandi Concilium, Congregationi

tioni Cardinalium concessâ, ibi: *nobis tamen consultis*. 2. ut *solum declarent*, non verò *dispensent*, vel *ultra verborum proprietatem augeant sine speciali mandato Pape*, inferendò declarationi, ut mandavit Pius V. & Gregorius XIII. 3. ut *appareant in forma authentica*, nimirum cum solito sigillo, & subscriptione Cardinalis Præfati, ac Secretarij ejusdem Congregationis; aliàs illis nec in judicio, vel extra fidem dandam, ut mandavit Urbanus VIII. teste Barbosa, *Juris Eccles. Univers. l. 1. c. 4. n. 81. &c.*

Ad rationes Fagnani, relatas à n. 918. *et si valde probabile sit, declarationes Cardinalium, cum prædictis conditionibus, in, & extra judicium habere magnam autoritatem; non tamen esse manifestum*, ut ipse vult, habere vim legis, nisi autoritate summi Pontificis confirmatæ sint *specialiter*; generalem enim confirmationem, seu in forma communi, non sufficere; constat ex n. 916. Ratio autem est, quia, *ut sit manifestum*, quòd habeant vim legis, seu interpretationis authenticæ, *debet esse manifestum*, hanc potestatem illis esse collatam à summo Pontifice; at licet sit probabile, *non tamen est manifestum*, sic esse, cum plurimi sentiant contrarium, nixi rationibus prudenti omnino assensu dignis, ut constat à n. 915. ergo. Quod allegatur ex *c. Cum aliquibus*, nihil facit ad præsentem quæstionem. Ibi enim solum dicitur, quòd, cum Pontifex rescribit, ut aliquis in Canonicum talis Ecclesiæ recipiatur, censeatur recipiendus *authoritate Apostolica*, si receptio aliàs non spectet ad recipientes; & *c. Cum de præbend. in 6.* nullam facit mentionem de hac materia.

Dices: certum est, quòd Sixtus V. illis dederit facultatem interpretandi leges Tridentini pertinentes ad materiam morum; certum quoque est, Sixtum ibi non loqui *de interpretatione doctrinali*; nam ad hoc non indigebant ea concessione, sicut eâ non egent alij Doctores; ergo certum est, Sixtum loqui *de interpretatione authentica*. *Re. 1.* data hac certitudine, quam præterdit objectio, solum sequi, quòd habeant vim legis, & authenticæ interpretationis, *in quantum valor, & vis legis pendet à potestate*; at de reliquis conditionibus pariter substantialibus ritè ob-

fervatis nulla est certitudo, ut apertè suadent rationes in n. 919. ergo.

Resp. 2. data prima parte antecedentis, dist. secundam: certum quoque est, Sixtum ibi non loqui de interpretatione merè doctrinali *simplici*, qualiter fit docendò in scholis, C. de interpretatione merè doctrinali, *vetitâ per Pium IV. in sua Constitut. Benedictus*, de qua n. 919. N. secundam partem anteced. & consequ. Eam enim facultatem interpretandi Sixtus V. concessit illis, quam Pius IV. in sua Constitutione prohibuit aliis; at interpretationes, quas prohibuit Pius, erant merè doctrinales, non quidem sitæ in merè docendò, sed per modum Commentariorum, annotationum, glossarum &c. quæ apponi, vel interferri solent legibus Tridentini, ut fieri solet in corpore utriusque juris; ergo. V. dicenda in *seqq.*

Reliqua Fagnani argumenta rectè probant, agentem ex autoritate, seu potestate sibi commissâ, validè, ac licitè agere, & dispositiones ab eo, in vi commissæ potestatis factas, esse omnino servandas, ubi ritè promulgatæ fuerint, secundum quod exigit natura actûs; & constiterit, ab eis commissiones, leges interpretandi integrè in substantialibus observatas esse; non autem secùs. Unde declarationes Cardinalium, quæ mandato, vel confirmatione speciali summi Pontificis in authentica forma roboratæ sunt, omnino vim legis, ac interpretationis authenticæ obtinent in, & extra judicium; non autem secùs; ita sentire videntur Authores *cit. n. 915.* nec aliud intendere Castropalaus *suprà cit.*

## §. II.

*An inferiores Judices habeant facultatem authenticè interpretandi legem Superioris?*

Resp. negativè, seclusa speciali concessione, aut jure, alio titulo (præscriptionis v. g.) legitimè acquisito. Nam *authenticè legem interpretari*, est declarare, verba legis habere talem sensum, cum potestate obligandi subditos legem in eo sensu accipiendi, & sequendi; at hanc potestatem quoad legem Superioris inesse Judicibus inferioribus, nullo jure, aut ratione constat; ergo. Excipiunt tamen aliqui occurren-

occurrentem casum, quo res est solum de rebus minoribus; ubi agitur de interesse ipsarum partium; & ad decidendam litem necessaria est interpretatio. Tali enim casu volunt, etiam inferiorem Prælatum interpretari posse authenticè legem Superioris; quia secus nulla legis observantia perfectè induceretur, si passim recurrendum esset ad Principem etiam in levioribus, id, quod nec ipsi Principes volunt, gravioribus dissentienti, prout habetur L. 1. C. de relationibus, in Cod. Theodosiano, ubi Constantinus Imperator rescribens Plotiano, ait: *super paucis, quæ juridicè sententiâ decidi non possunt, nostram consulere debes Majestatem, ne occupationes nostras interrumpas; cum litigatoribus legitimè maneat arbitrium à sententiâ provocandi.*

929. Cæterum inferioribus Prælatibus, ac Judicibus, ubi necessitas est, esse omnino concessum, Superioris legem, occurrente casu dubio inter litigantes in judicio, doctrinaliter interpretari secundum veriorum Doctorum opinionem, eamque in decidendo sequi, ubi Princeps non facile consuli potest, tenet Salas D. 21. S. 2. Sylvester V. Interpretatio, q. 1. & ratio sumitur ex numero præced: pro quo etiam recolenda, quæ diximus à n. 474. quo tamen casu condemnato per talem sententiam manet arbitrium à sententiâ provocandi, ut constat ex cit. L. 1. num. præced. V. quæ diximus n. 314. & 614. cum seq. Dixi: secundum veriorum Doctorum opinionem. Nam hæc propositio (probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem) est secunda inter eas, quas damnat Innocentius XI. ut scandalosus. Quare post hanc damnationem, non est probabile judicium dicentis, *Judicem posse judicare, juxta opinionem etiam minus probabilem.* Ubi tamen nota, per hoc Innocentij decretum non intendi, quod ipse Judex semper debeat invenire probabiliorē; hoc enim persæpe nec fieri potest; sed quod quæstione diligenter examinata, ubi partem unam invenerit probabiliorē alterâ, non possit salvâ conscientiam ferre sententiam secundum minus probabilem; ita Cardenas in Crisi Theol. dissertat. 3. c. 1. n. 3. sed de hoc alibi.

930. Circa præsentem materiam præterea re-

coli possunt dicta superius à n. 612. ubi notavimus ex c. 1. b. r. nullum Judicem in judiciis Ecclesiasticis, debere abundare in sensu suo, hoc est, sua opinione, sed Canonum auctoritate in judicando procedere; & quidem juxta communem, & meliorem opinionem ibidem expositam n. 615. An autem, & qualiter se gerere debeat, cum privatâ notitiâ certus est de falsitate allegatorum, esto ex scientia publica veritatem præferant? dictum est n. citato.

### §. III.

*An cuilibet liceat leges interpretari doctrinaliter?*

Cum frequenter contingat, sensum legis ambiguum esse, nec semper recurri possit ad Principem pro authentica illius interpretatione, vel quia hic non vult molestari tot recurribus, vel quia jam usus obtinuit, ut in minoribus inferiores Judices in sensu communi, ac meliori accipiant leges, & juxta eundem in judicando procedant, gravatis arbitrio relicto provocandi ab eorum sententiâ, necessarium erat, hominibus permitti potestatem, doctrinaliter interpretandi legem, modò id fiat secundum regulas legitimæ interpretationi præscriptas. Et quia non omnes æqualiter eis se conformant, uno propius, altero remotius veritatem suæ interpretationis, per rationes à se allatas probante, fit, inæqualem esse auctoritatem doctrinaliter interpretantium leges, quibus positus:

Quæstio. 1. est, an, cum per aliquam legem expressè prohibetur ejus interpretatio, sub hac prohibitionem veniat etiam interpretatio doctrinalis? R. regulariter hanc non prohiberi, sed eam tantum, quæ frivola est, hoc est, nullo nixa rationabili fundamento, & contraria fini ipsius legis; sic Azor p. 1. l. 8. c. 2. q. 3. Salas D. 21. sect. 2. & alij. Aliàs enim homines in multis relinquerentur in dubio, destituti non modò certitudine, quæ in agilibus humanis rara est; sed etiam rationabili doctrina, quam præstat Virorum doctorum interpretatio. Dixi: regulariter. Nam quandoque prohibetur etiam interpretatio doctrinalis, non qualiscunque, etiam



etiam typis excusa, & publicata (qualiter fit docendò, incidenter declarandò unum tantum, vel alterum textum secundum exigentiam materiæ ibi propositæ, aut in libris de quæstionibus moralibus) sed ea tantum, quæ ex professo assumitur, & foret quasi glossa, scholium, commentaria legum talis Concilij, authenticis scriptis redigenda, prout diximus n. 919. Et hoc sensu interpretatio doctrinalis, legum Concilij Tridentini, prohibita est in *Constitut.* Pij IV. de qua *supra* n. 919. sic Bonacina *D. 1. q. 1. p. 8. n. 3.* Suarez *tom. 5. de Censur. D. 27. S. 7. n. 12.* & alij, quos citat, & sequitur Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 5. p. 3. §. 2. n. 7.*

933. Dices: quando prohibetur interpretatio, non alia intelligi debet prohibita, quam doctrinalis; probatur, quia aliàs illa lex nullum haberet effectum; *authentica* enim aliunde omnibus, præter Legislatorem, interdicta est ex natura rei; *frivola* verò, cum sit inanis, ex se exclusa est. *Æ.* ex hoc sequi, nullo humano jure prohiberi posse, quæ jure naturali, vel divino vetita sunt; quod tamen dici non potest. Quare licet etiam *frivola* prohibeatur, etiam aliunde inanis, lex eam prohibens adhuc haberet effectum, quòd sic magis cõerceatur temeritas Scriptorum. 2. *Æ.* in dato casu prohiberi *doctrinalem* non simplicem, sed per modum glossæ. Scholij &c. ut diximus *num præced.*

934. Quæstio est. 2. an in legum humanarum interpretatione doctrinali liceat uti *epichia*? seu æquitate, quæ juxta S. Thomam 2. 2. q. 120. a. 1. est *virtus, quæ quis, servatâ legis intentione, legis verba non servat.* Nam Legislatores legem ferunt, secundum id, quod in pluribus accidit, intendentes semper bonum; si verò in particulari eventu malum sit, *verba legis servare*, v. g. sit nocivum, *depositum reddere*, nempe *gladium furioso*, danda est *epichia*, seu æquitas, quæ postulat, ut prætermisissis verbis legis, justitia, ratio, & communis utilitas servetur. Unde ab Aristot. 6. *Ethic. c. 11.* vocatur: *Gnomi*, id est, *consentio*, quasi per illam Princeps consentiat, ut indulgeat, & non puniat. Ab eodem 5. *Ethic. c. 20.* dicitur *emendatio legis*, quia per illam interpretamur, legem deficere in aliquo particu-

lari casu, in quo esset error practicus, illam servare.

Interpretatio igitur latius patet *epichia*, ad quam comparatur ut superius ad inferius: omnis enim *epichia* interpretatio est, non e contra. Aristot. 5. *Ethic. c. 10.* Regulam *Lesbiam* vocat æquitatem, quæ se accommodat rebus, quando legis dispositio cessat. Tres modos utendi *epichia* ita distinguit Suarez *l. 6. de leg. c. 7. n. 11.* ut unus sit propter cavendum aliquid iniquum; alius propter vitandam acerbam, & injustam obligationem: tertius propter conjectatam Legislatoris voluntatem, non obstante potestate ad obligandum, etiam in tali casu.

936. In data quæstione *Æ.* licere, non tantum in casu, quo aliàs observantia legis pro datis circumstantiis foret iniqua, sed etiam perquam difficilis, & gravis ob impendens grave nocumentum, ut diximus *supra* à n. 905. Nam in ejusmodi casu meritò præsumitur, Legislatorem non intendisse imponere onus tam severæ obligationis, etiam gravi subditorum detrimentò inexcusabilis. Sic enim à jejuniò excusaris, si labores infirmitate; ab audiendo Sacro, si prudenter timeas damnum grave vitæ, honorum &c., non solum, quæ acquisita jam sunt, sed etiam acquirenda essent; ita Suarez *l. 6. de legib. c. 7. à n. 9.*

937. Dices: *epichia* est emendatio legis, cum lex peccat; sed non peccat, nisi cum iniqua continet; ergo extra hunc casum *epichia* uti non licet. *Æ.* *epichiam* dici emendationem legis solum *quoad verba*, quibus effertur, ut non semper accipiantur, prout de rigore sonant, sed secundum bonum, & æquum, nimirum conformiter ad mentem Legislatoris, quæ prudenter in talibus circumstantiis præsumitur; si enim aliter tunc sumerentur verba, diceretur *peccare* lex; cum ergo etiam in valde difficilibus, & damnosis prudenter præsumi possit, verba in rigore tunc non conformari menti Legislatoris; sic ea sumendò peccaret, consequenter per *epichiam* emendari debet. Ad extremum nota, prohibitionem illam non intelligi de legis interpretatione (quæ scilicet habetur ex ipsa dispositione, vel instrumento) sed de interpretatione hominis, L. *Non omnes, ff. de Jur. & Just.* & Sichar-

& Sichardus ad L. fin. C. de edict. D. Adrian. tollendo, n. 334.

## §. IV.

*Qualiter interpretatio doctrinalis facienda sit in dubio de intentione Legislatoris?*

938. **U**T legum interpretatio doctrinaliter, & rectè fiat, complures regulæ observandæ sunt; hæ enim diriguntur ad ritè investigandam mentem, & intentionem Legislatoris. Nam ubi de hac constat, non curanda sunt verba; & licèt contrarium verba legis significant, eà standum est. Nam *in legem is committit, qui verba legis amplectens, contra legis nititur voluntatem*, ut dicitur L. Non dubium, C. de legib. L. Scire, §. aliud. ff. de excusat. Tutor. L. Non aliter, ff. de legat. 3. L. Si Pater, §. dulcissimis, ff. de legat. 2. c. Humana aures 22. q. 5. c. Secundo requiraris, de appellat. & c. Ratio nulla, de præbend. ibi: *ratio nulla permittit, ut, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur, propriis cujusquam usibus applicetur*. Ratio etiam est, quia verba solum assumentur, ut subditis significant mentem, & intentionem Legislatoris; ergo ubi hoc non præstant, illis standum non est, dum constat, aliam esse illius mentem, quàm verba significant.

939. Difficultas est, quid tenendum, ubi dubitatur, an intentio Legislatoris, vel sensus verborum ex ejus mente sit *hic*, vel *ille*? cùm sæpe, imò communiter sint in hoc diversæ opinioniones Doctorum. In hoc casu prima regula est, quòd *ubi haberi potest, interpretationi ejus, in quavis dispositione, standum sit modis omnibus, qui dixit, vel sermonem protulit*. L. & ideo, ff. de legib. Nam optimus interpres verborum quisque suorum est; ita communiter Doctores in L. 66. ff. de Judic. Hinc sequitur, interpretationem authenticam esse maximam, & optimam, quæ scilicet habetur vel ab ipso authore, vel ab ipso jure.

940. Altera regula est, quòd in legum interpretatione maximè attendenda sit *verborum proprietates*; seu, quòd intentio Legislatoris talis præsumenda sit, qualem verba legis in proprio sensu significant, seu

habent juxta communem usum; sic Havnold. tom. 1. de Just. tr. 1. contr. 2. c. 1. n. 278. cum communi; nam hæc Legislator assumit ad significandam subditis mentem suam. Cùm enim Legislator debeat procurare, ut lex clara sit, & distincta, consequenter verbis uti debeat in significatione propria (aliàs nihil firmum stabiliret, sed omnia essent cavillationibus, aut erroribus subjecta) ad mentem Legislatoris investigandam per interpretationem, omnino servanda est proprietates verborum; ita Suarez l. 6. de legib. c. 1. n. 7. cum communi. V. infra n. 951.

Sed hoc limitatur. 1. ut non procedat, si aliunde constet de mente Legislatoris, illam fuisse aliam. Nam recta interpretatio legis non sumitur ex nudis verbis, nisi cessante verisimilitudine, & conjecturis de mente disponentis, L. non aliter, ff. de legat. & L. 4. §. toties ff. de damno infecto; sed sumitur præcipuè à mente Legislatoris, ut dictum est n. 939. Hinc quoties interpretatio doctrinalis conformis est menti Legislatoris, recessus à propria verborum significatione non tantum licitus, sed etiam necessarius est; ratio est ex dict. n. 910. ubi etiam exposui, unde cognosci possit hæc conformitas. Ex quo colliges à verborum propria significatione non esse recedendum, nisi vel ratio, vel necessitas cogat, L. 1. §. licèt autem, ff. de exercitoria actione, ibi: *in re dubia, melius est, verbis edicti servire*.

Cogit autem ratio, vel necessitas. 1. si 941. aliunde conjiceretur, quòd esset alia mens, & intentio legislatoris, per n. 939. deinde, si absurdum, vel incommodum inde sequeretur; tertio, si sequeretur antiquorum jurium correctio. Nam hæc, quantum fieri potest, vitanda est, & *jura juribus concordanda sunt, si rationabiliter possunt*, c. Cum expediat 29. de elect. in 6. ibi: *cùm expediat concordare jura juribus, & eorum correctiones (si sustineri valeant) evitare*. Quarto si propria verborum legis significatio esset contra receptam consuetudinem, ex dictis.

Dixi: *si absurdum sequeretur*, quo intelligitur vel injustitia quædam, de qua dixi n. 911. vel indicium argumenti ex falso petiti, ex quo ineptus exitus resultat. Unde Barbosa in jurispr. Brocardica, l. 1. c. 5. n. 2. *absurdum* vult hinc, *idem esse*, ac id.

ac id, quod pro non dicto est habendum, & universaliter pro eo sumi, quod rationi, sensui communi, & prudentiorum scitis, atque opinionibus directè opponitur. Quare commune axioma est: *absurdum, ut evitetur, largissima interpretatio fieri debet*, ut habent decisiones Rotæ, *decis. 448. n. 2. p. 1.*, & *absurdum ne sequatur, dispositio, quantumvis generalis, est restringenda*, L. 2. C. de noxal. action. imo verba impropriantur, & intelliguntur eo modo, quò possunt. Deprætis l. 1. de interpret. ultim. volunt. interpret. 1. dub. 4. fol. 4. & eo casu, ut absurdum evitetur, locus est ejusmodi interpretationi, esto statutum excludat omnem interpretationem; ita Cardinal. Tuschus, *cit. conclus. 66. n. 39.*

944. Tertia regula est; quòd interpretatio fieri debeat, ut non sit elusoria legis; nec reddat eam otiosam, ac inutilem. Nam leges nihil frustra faciunt; Jason in L. ait Prætor; ff. de jurejurand. n. 1. Lex enim non debet habere unam syllabam superfluum, & vancuam. Glossi V. tanquam in c. solita, de Majorit. & obed. Nam omnia superflua sunt reprobanda, L. 1. §. quibus; de novo Cod. faciend. L. fin. C. qui admitti, & Clementin. Exivi, §. quamvis, de Verb. signif. Verba enim debent intelligi cum effectu; L. 1. §. hac verba, ff. quod quisque jur. c. relatium, de Clericis non resident. & c. Si à Judice, de appellat in 6. Quia nullum verbum censetur otiosè, & sine virtute operandi positum; Bald. in rubric. C. de contrahend. empt. n. 9. quod procedit tam in verbis specialibus, quàm generalibus. Tiraquel. de retract. convent. §. 1.

945. Ex hoc sequitur, quòd verbum quodcunque, etiam minimum, debeat operari; ita Tuschus tom. 8. practic. conclus. lit. V. conclus. 85. n. 5. quod verum est. 1. etiam in dispositione hominis, & non tantum legis; quia nullum debet esse otiosum. 2. in odiosis, & pœnalibus. 3. in privilegiis. 4. in rescriptis. 5. in statutis. 6. in legibus interpretandis. 7. in testamentis. 8. in attestationibus. 9. in juramentis &c. & quidem aded, ut debeant potius impropriari, & ad impropriam significationem trahi, quàm ut sint superflua, L. si tam angustii, ff. de servit. c. si sententia, 16. de sent. excom. in 6. ibi: si sententia interdicti pro-

Tom. I.

feratur in Clerum, non intelligitur (nisi aliud sit expressum in ea) interdictus populus, nec etiam è converso. Vnde uno interdicto ipsorum, alius licitè admittitur ad divina. Cœterum cum propter delictum domini, vel rectoris est civitas interdicta: cives ejusdem (qui culpabiles non existunt, dummodo & ipsi propter dominum, vel rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti) possunt extra ipsam licitè interesse divinis. Cum verò alicujus terra populus interdictò notatur, singulares ex eo persone, quas interdictas esse constat (ne sententia effectu careat, cum divinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo ut universis non competant) non debent alicubi (casibus expressis à jure duntaxat exceptis) adire divina, vel ecclesiastica recipere Sacramenta; sic Bonifacius VIII. loc. cit.

Limitati tamen debet regula tradita, ut non procedat. 1. si quis inde deberet grave damnum pati indebitè, vel si quis immoderatè laderetur. Baldus in L. 1. §. in computatione C. de jure delib. Eo enim casu potius verba relinquenda sunt, quàm ut damnum, vel læsio inde alteri indebitè inferatur. Decius L. in contrahenda, ff. de reg. jur. n. 17. limit. 5. Limitati debet 2. si exinde sequeretur illicitum, vel absurdum, ex dictis n. 942. vel aliquid contra mentem disponentis ex n. 938. si exinde resultaret intellectus, vel effectus contrarius juri communi, adeoque ejus correctio ex n. 942. si deberent accipi contra naturam actus, sic Barbosa. cit. in Brocardicis l. 19. c. 8. axiom. 23.

947. Quarta regula est, quòd in dubio statuti, verba debeant explicari juxta jus commune, salva tamen proprietate verborum, & communi acceptione: Pithing de Constit. n. 105. vel etiam juxta consuetudinem loci, præsertim antiquitùs servatam, arg. c. Cum consuetudinis, 9. de consuetud. ibi: cum consuetudinis, ususque longævi non sit legis auctoritas, & plerumque discordiam pariant novitates: Auctoritate vobis presentium inhibemus, ne absque Episcopi vestri consensu immutetis Ecclesiæ vestræ constitutiones, & consuetudines approbatas, vel novas etiam inducat. Si quas fortè fecistis, irritas decernentes. quòd etiam habetur L. 2. C. qua sit longa consuetudo.

F f

Quinta

948. Quinta regula est, quòd lex *indefinitè*, & *generatim* loquens, *generaliter*, & *universaliter* intelligenda sit, nimirum, ut locum habeat in omnibus, quæ sub tali genere in propria verborum significatione continentur. Nam *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*. L. 2. ff. de vi bonorum rapt. L. à procuratore, C. Mandat. Et §. 3. vers. & hæc, Instit. de legit. agn. tutel. & ubi generalis est determinatio, ibi non est distinguendum, maximè cum ex ea re sumitur distinctio, quam Legislator, qui distinctionem omittit, fatis novit, L. 15. §. ult. ff. de testam. milit. Hinc, *qui in lege non distinguente distinguit, is non tantum præter jus facit, arg. L. 8. ff. de Publiciana in rem act. sed etiam contra jus, L. 2. §. initium. ff. de O. J.* Et ideo etiam dicitur, *lex, si voluisset (intellige, distinguere) expressisset, L. unica, §. Sin autem ad deficientis, C. De caducis tollendis.*

949. Sed hanc doctrinam limita 1. ut non procedat, cum adest ratio restringendi, ut dictum est. 2. ut non comprehendat illud, de quo disponens non posset in specie disponere; sic Cardin. Tufcus tom. 2. lit. D. conclus. 490. n. 16. 3. ut non comprehendat casum specialiter definitum, L. cum in testamento, §. fin. de hered. instit. 4. nec ea, de quibus est specialis mentio facienda; Tusch. cit. n. 17. 5. ut non extendatur ad incogitata, L. cum Aquiliana, §. ff. de transact. 6. ut non comprehendat personas exemptas. 7. ut non comprehendat personam loquentis, L. inquisitio. 18. C. de solution.

950. Ampliari autem debet, ut ea regula etiam procedat in lege pœnali, generaliter loquente: ita Pirhing de constit. n. 104. ex L. cum lege, ff. qui testam. facere poss.; sed hoc puto limitandum, ut procedat de naturali significatione verborum generalium; non de juridica: hinc esto *in jure favente vox Clerici*, etiam significet *Moxachum*; vel *Regularem*; non tamen *in jure odioso*.

951. Circa dictas regulas not. 1. cum in n. 940. diximus, in dubio de mente Legislatoris, non esse recedendum à proprietate verborum, nisi cogat ratio, vel necessitas, id procedere, etiamsi ipse Legislator extra legem dicat, *se verba legis aliter intelligere, quàm sonent*; adeoque verba non

esse sumenda in sensu improprio; ratio est, quia si deberent sumi in sensu, quem Legislator *extra*, seu *contra verba legis* intelligit, foret ex eo, quia esset *clara* interpretatio mentis à Legislatore habitæ, dum legem tulit? vel quia est ipsius Legislatoris? neutrum dici potest; ergo. Min. prob. *non enim dici potest primum*; quia sic non foret *clara* interpretatio; cum recurrat ad *impropriam verborum significationem*, citra fundamentum præsumendi. quòd Legislator improprie locutus sit, dum legem tulit, nisi talis interpretatio in ipsa lege imbibita sit, quòd reverà constare non potest alteri à Legislatore de mente ab hoc habita; sed *nec potest dici secundum*; nam, dum ipse Legislator non promulgat suam declarationem, & per eam intendit obligationem inducere, habet se solum ut Doctor privatus, cujus opinionem sequi non tenemur, rationibus firmis in contrarium militantibus; sic Salas D. 21. S. 13. n. 16.

Not. 2. cum dicitur, *quod ex verbis non venit intelligendum, neque ex mente provenire credendum*, ut dicitur L. Labeo, §. id Tubero, ff. de suppellect. legat. intelligendum esse juxta n. 940. & sequentes illius limitationes. Ex quo sequitur, quòd *interpretatio in lege non imbibita*, immeritò extendat legem ad sensum legis in ipsa non comprehensum, ut rectè docet Antonin. c. post translationem, de Renuntiat. n. 34. & Sanchez l. 2. de matr. D. 37. n. 3. Et ideo *talís extensio* non tam foret interpretatio, quàm *nova lex, & novum præceptum*; quod est extra potestatem eorum, quibus conceditur legis interpretatio doctrinalis.

Not. 3. probabilius esse, non recedendum à proprietate verborum, quando retineri potest proprius eorum sensus, quin correctio juris fiat, alterius interpretatione. Sic in concursu harum legum, quarum una dicit, *valere electionem, quando major pars in unum convenit, licet paucis dissentientibus*; & altera, quòd ad electionem (intellige validam) requiratur *concordia eligentium*, quod videtur contrarium priori (ubi enim est aliquorum eligentium diversus sensus ab aliis, non est concordia, seu consensus concors) verba primæ legis (*de majori parte*) in proprio sensu recitata non cogunt verba secundæ sumi improprie; nam *consensus majoris partis in jure*

jure habetur *pro consensu concordii*, ut notat Gloss. & Panormit. in c. *Cum olim*, de re *judicat.* ita Suarez l. 6. de *legibus* c. 1. n. 18.

954. Not. 4. in legis interpretatione mentem, ac intentionem Legislatoris valde rationabiliter colligi ex proemio, & initio legis; quia ibi frequenter exprimitur finis, & ratio, seu causa, propter quam lex fertur. Ex fine enim directè quæsto rationabiliter colligitur intentio; ille enim est hujus meta, in quam prudens Legislator collimat, ut colligitur ex L. *Regula*, ff. de *juris*, & *facti ignorant.* L. *fin.* ff. de *testamentar. tutel.* ita Suarez cit. n. 11. Tiraquei. *tract. Cessante causâ, limitat.* 1. n. 65. Emmanuel Rodriguez tom. 1. *regul. quæst.* q. 11. a 6. & alij.

§. V.

*Quæ proprietas verborum servanda sit in doctrinali legis interpretatione?*

955. Significatio verborum est certa demonstratio sensus, qua qualibet res exprimitur, dictionis attributione, seu, est verus verborum, & rerum intellectus, quo qualibet res (verbis expressa) tanquam in picta tabella, oculis quasi subjicitur; sic Peteyra in *Elucidar.* n. 1932. Vnde, cum inquiritur de verborum proprietate, non consideratur præcisè verborum cortex, seu verba secundum id, quod materialiter sonant; sed secundum significationem naturalem, juridicam, seu civilem, vel usualem. *Naturalis* verborum significatio hic accipitur secundum eam, quam habent ex institutione; *Usualis*, quæ ex communi usu hominum; *Juridica*, seu *civilis*, quam ex sola fictione juris, & per quandam quasi translationem; ita Castropal. p. 1. tr. 3. D. 5. p. 8. §. 3. n. 7. ex quo vides, aliam esse verborum proprietatem naturaliter, vel usualiter; hæc enim ferè coincidunt; aliam juridicè, seu civiliter.

956. Certum autem est, quod sæpe vox aliqua, seu verbum in civili, seu juridica significatione comprehendat aliquid non comprehensum sub eadem in significatione naturali, vel usuali; & e contra. Sic nomen *mortis* ex usuali hominum significatione dicitur de naturali, seu physica

Tom. I.

morte; in civili tamen, & juridica etiam dicitur de professione religiosa, & exilio, sed solum quoad quosdam juris effectus; qui aliàs non consequuntur nisi mortem naturalem. *Filius* usualiter dicitur solum de naturali; juridicè etiam, & legaliter, seu civiliter de adoptivo. *Nobilis* naturaliter est, jure sanguinis; juridicè, etiam *Principis privilegiò* &c. quibus positus;

Resp. quando dicitur in interpretatione legis, servandam esse proprietatem verborum, per se loquendò debere intelligi de naturali; hæc enim principalis est; & juridica, seu civilis tali voci solum tribuitur per analogiam; & ideo, *verbum in significatione civili acceptum sumitur potius analogicè, quàm propriè.* Sic ista vox *etas perfecta*, in propria significatione, stat pro naturali; in civili etiam pro ea, quæ habetur beneficio *Principis* per veniam ætatis.

Ex hoc oritur quæstio, an, quoties dubitatur, in qua significatione verba legis, præcepti, vel privilegij accipienda sint, declaratio, seu interpretatio fieri debeat solum juxta verborum proprietatem communem, seu naturalem, an etiam secundum civilem? deinde, an, si verbum habeat duplicem significationem, vel ex impositione, vel ex usu, sumi debeat secundum utramque, vel unam tantum, & quam? R. omnino standum esse dictis in *num. preced.* quòd per se loquendò interpretatio doctrinalis fieri debeat, ut verba sumantur in proprietate, ac sensu naturali, qui nimirum communi hominum uti, & acceptione habetur; ratio est ex *num. cit.* Nam, nisi cogat ratio, vel necessitas, præsumi debet, Legislatorem, dum legem tulit, usum esse verbis, in ea significatione, quam habent naturaliter, & ex communi usu hominum; ut diximus in *premissis.*

Dixi, per se loquendò. Nam in lege, vel dispositione favorabili, non solum significatio verborum naturalis, & communis, seu usualis, sed etiam juridica, seu civilis attenditur, & secundum utramque lex extenditur. Hoc enim petit ratio favoris. Et ideo in interpretatione doctrinali legis favorabilis lex extenditur, quantum patitur significatio verborum etiam usualis, & civilis, cujus ratio est ex regula: *Odia, de regul.*

F f 2

regul.

regul. jur. in 6. & L. in testamentis, ff. eod. ibi: *odia restringi, & favores convenit ampliari*. Et ideo in dispositione favorabili, nomine filij, venit etiam adoptivus, licet filius naturaliter significet solum naturalem; & nomine legitimi venit etiam legitimatus, licet hic in sola proprietate, seu significatione civili sit legitimus; ita Suarez l. 6. de legibus c. 6. n. 2. Bonacin. D. 1. q. 1. p. 8. à n. 9. & alij. Hinc, quando dicitur, *favorabilia esse amplianda*, seu habere latam interpretationem, sensus est, *dispositionem favorabilem extendi posse, quantum patitur proprietate verborum, tam naturalis, & usualis, quam civilis; non tamen ultra*.

960. Ex hoc fit, quod, cum dicitur *odia, seu dispositionem odiosam esse restringendam*, sensus sit, *quod dispositio odiosa non debeat extendi ultra proprietatem, seu significationem verborum naturalem, seu usualem*, atque adeo ad ea tantum, de quibus verba dispositionis in naturali, & usuali verborum proprietate verificantur, & non ultra; adeoque extendi non posse ad ea, de quibus in sola proprietate civili verba talis dispositionis verificantur. Et ideo dispositio odiosa, loquens de *Monachis*, non extenditur ad *Clericos*. Nam in odiosis *Clericus* non significatur verbò *Monachi*, acceptò in significatione naturali; secus in dispositione favorabili. Hinc in dispositione *pœnali* (cum odiosa sit) *mitior interpretatio facienda est*, nimirum non lata, sed quæ Reum minimè gravat, servata tamen naturali verborum proprietate, ultra quam extendi non debet, ut dicitur in *cit. reg. Odia*, & L. *fin. ff. de pœnis*.

961. Si autem contingat, quod in aliqua dispositione, vel lege verba juxta naturalem proprietatem habeant duplicem significationem, in utraque accipienda est, si lex favorabilis sit, & utraque accommodari possit ei, in cujus favorem dispositio directè tendit; hoc enim exigit favor, & intentio disponentis, qui directè intendit favorem præstare: at ubi dispositio est odiosa (puta, si lex sit *preceptiva, correctoria, pœnalis*) & utrumque sensum retinere non potest, in dubio mitior interpretatio, seu sensus eligendus est spectatà tamen legis materià. Constat ex L. *Benignior, ff. de legibus*, & *reg. 48. ff. de reg. juris*, ibi: *quoties idem sermo duas sententias exprimit; ea potissimum accipitur, quæ rei gerenda aptior est*.

Nam *odia restringi convenit*, hoc est, in mitiori, & minùs gravante sensu verba accipienda sunt, si materia patiat; ita communis cum Saa, V. *Interpretatio*, n. 1. Bartol. in L. *omnes populi, ff. de Just. & jure*, n. 58.

Dixi: *spectatà rei naturà*, seu legis materià. Nam communis Doctorum sensus est, *verba legis esse intelligenda juxta subjectam materiam*, ut dicitur L. *Si uno, ff. locati*, c. *Intelligentia, de Verbor. significat.* ibi: *intelligentia Doctorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermone res, sed rei est sermo subjectus*. Hinc licet verbum debet, præsertim conjunctum particula *omnino*, regulariter importet necessitatem, seu præceptum; quando tamen repugnat materiæ subjectæ, non necessitatem præcepti, sed solum debitum decentiæ, & honestatis importat, ut rectè notat Barbofa de *ditionibus*, V. *debet*, n. 6.

Ex dictis collig. 1. in pœnibus semper faciendam esse verborum interpretationem mitiorem, nimirum intra solam latitudinem proprietatis verborum naturalis, seu usualis, quin extendatur ad civilem; imò etiam in ipsa proprietate naturali ex pluribus, quæ sub illa veniunt, ubi omnia verificari juxta naturalem verborum proprietatem non possunt, eligendum, quod mitius est, ut diximus à n. 960. & seq. Secus autem dicendum in favorabilibus juxta n. 959. quæ autem dispositio censenda propriè sit odiosa, quæ favorabilis, dicemus *infra*.

Collig. 2. ubi tractatur de obligatione imponenda, vel inducenda, strictam esse interpretationem adhibendam, c. *Contingit*, 1. *de jurejurando*, in 6. ubi dicitur, cum quis, antequam assumatur ad certum officium, jurare cogitur generaliter, quod statuta, & consuetudines talium locorum, scripta, & non scripta inviolabiliter observare velit, *obligatio illa generalis, quantumvis jurata, nullatenus extendi possit, aut debeat ad illicita, impossibilia, & libertati Ecclesiastica obvenientia*; sic Nicolaus III. in *cit. c. Contingit*, & habetur etiam L. *quidquid adstringendi, ff. de Verbor. obligat.* Cujus ulterior ratio est; quia non est inducenda nova obligatio (utpote res odiosa, & restringens naturale hominis libertatem) sine manifesta ratione; ita Sallas D.

las D. 21. *sect.* 3. §. *octava regula*, & Sanchez l. 1. *matr.* D. 9. n. 11. quos citat, & sequitur Castropalaus p. 1. *tr.* 3. D. 5. p. 3. §. 3. n. 12.

965. Præter hæc not. 1. in legum interpretatione doctrinali Doctores uti communiter juris prudentiâ brocardicâ, quæ idem est, ac axiomatica, cujus materia sunt axiomata, vel regulæ juris, secundum suas ampliaciones, seu extensiones; & fallentias, seu limitationes, ac restrictiones. Nam valde frequenter fallunt, si nudè usurpentur. Sic cum dicitur: *quæ contra leges fiunt, ea ipso jure nulla sunt*, L. *Non dubium*, C. *de legibus*, debet limitari. 1. ut non procedat, si fiat aliquid contra legem prohibentem præcisè factum, vel usum, ut ostendi de *Jure, & Just.* aliàs matrimonium contractum cum impedimento solum impediente, irritum hoc ipso foret. Deinde si lex dicat, *actum debere rescindi*, solum denotat, actum esse irritabilem, vel annullandò eum, si validus erat; vel si nullus, nullitatem declarandò.

966. Et quamvis regulæ juris sint sententiæ, seu propositiones quædam generales, continentes multarum causarum decisiones, & principia, ex quibus quæstiones in jure non decisæ, seu dubiæ resolvi possunt; & ideo, qui talem regulam habet pro se, jus certum habere dicatur, ut notat Andreas Gail. *in novo opere*, *Consil.* 1. n. 13. ex L. *ab ea parte*, ff. *de probat.* & Bartol. *in L. quoties*, ff. *si quis cautionibus*, ubi dicitur, *eius conditionem potiore esse, qui regulam habet pro se*; procedunt tamen solum cum debita regulæ limitatione.

967. Not. 2. etsi verum sit, prædictas regulas in decisionibus causarum rectè allegari, & in causis non decisis, ac eandem æquitatem habentibus, jus facere, per L. *non possunt*, ff. *de legibus*, ut propterea dicatur, *sententia contra regulas juris lata, perinde, atque illa, quæ contra leges, aut Canones lata est, ipso jure nulla esse*, ut colligitur ex c. *Contingit*, de *appellat.* hoc tamen debere intelligi de illis in sensu, quo immunes sunt à fallentiis, quibus plurimum expositæ sunt, ut passim liquet apud Auctores, qui commentarios ediderunt in regulas juris. Qui tamen allegatam regulam negaret in casu, pro quo assumitur, fallentiam ejus probare teneretur, ut notat

*gloss. in L. Non aliter*, 69. ff. *de legat.* 3. V. *Testatorem.*

968. Not. 3. inter alias interpretationis doctrinalis regulas etiam hanc observari, quod taliter facienda sit, *ut in dubio potius valeat res, quàm ut pereat*, adeoque facienda sit potius pro valore, quàm nullitate actus. Quia *nemo presumendus est inutiliter operari per l. 3. ff. de militar. testam.* L. *quoties* 2. ff. *de reb. dubiis.* L. *quoties*, de *V. O. ita Menoch. de presumpt.* l. 6. *presumpt.* 5. Sanchez l. 1. *matr.* D. 38. n. 4. & l. 3. D. 35. n. 19.

969. Not. 4. quando lex procedit solum ex *suppositione* (v. g. imponens obligationem confitendi peccatum commissum; vel solvendi debitum contractum) obligationem non esse certam, quando incerta est suppositio; consequenter in dubio non esse pronuncianum pro obligatione, ubi par est causa, seu ratio pro non existentia, & existentia suppositionis. Ratio est ex n. 964. & dictis ex *professo l. 4. à n. 2439.* & quia fieri potest, quod is, contra quem in favorem legis quis pronunciat, propter majorem apparentiam veri pro existentia conditionis, seu suppositionis, habeat pro se etiam rationabilem apparentiam veri, contra existentiam suppositionis, licet non tantam, prudenter ab obligatione adhuc liberari poterit, si rationabiliter simul allegare possit titulum possessionis ab immunitate talis obligationis ante subortum dubium, ut colligi potest ex *dict. à n. 852.* Nam in eo casu etiam stante tali apparentiâ veri alteram excedente, sed adhuc incertâ, potior erit conditio possidentis.

970. Not. 5. cum dantur diversæ opiniones Doctorum plerumque contrariæ, ac inter se oppositæ (quæ in re aliud non sunt, quàm doctrinalis interpretatio legis, de cujus sensu, vel intentione quæstio ventilatur) quarum quælibet secundum se habet *rationabilem, incertam* tamen apparentiam veri (consequenter dignitatem, & meritum prudentis, & rationabilis assensus) neutrà alterum in momentis rationum notabiliter excedente, cæteris paribus standum pro ea, quæ pronuntiat in favorem ejus, pro quo militat ratio *possessionis*; nam hæc eo casu potiore reddit ejus conditionem etiam extra materiam justitiæ, ex n. 854.

Dixi, *neutra alteram notabiliter excedente*; 971.

*cedente*; nam ubi utrinque est rationabilis apparentia veri, seu meritum ad prudentem assensum, licet in uno cum aliquo excessu; non propterea hujus opinio, nixa fundamento habente majorem apparentiam veri, seu meritum prudentis assensus elidit dignitatem & meritum, & vim alterius in actu primo ad prudentem assensum. Nam licet motum bilancis in actu secundo ex incumbente aliquo corpore seorsim sumpto secuturum, corpus paris ponderis impositum alteri lanci impediatur; certum tamen est, quod neutrum alteri tollat vim motivam in actu primo. Ab his autem, quatenus mutuò se impediunt ab actu secundo, non bene fit argumentum ad potentiam rationalem, qualis est intellectiva, quæ in incertis subest imperio voluntatis, quæ propositis rationibus ad hoc potius, quam illud, etiam ex æqualibus eligendum, vel imperandum, licet in objecto sit æqualitas, rationabiliter prodire potest in imperium unius æqualium præ alio, quin his accedat pondus prævalendi; modò pondus in voluntate sit potius pro hoc, quam pro illo.

972. Sit res in exemplo: proponitur homini, Deum dixisse, Verbum esse incarnatum; se esse unam numerò substantiam, & hanc ipsam numerò substantiam, esse tres personas inter se verè, ac realiter distinctas; consequenter, utrumque credendum esse, quia Deus dixit, sic esse. Oboritur illi dubium, an sit credibile, Deum hoc dixisse; Afferuntur pro utraque parte, affirmante scilicet, & negante, pro, & contra rationes. Pro affirmando, motiva credibilitatis, quæ apparent moraliter evidentiâ; pro negando, motiva luminis & rationis naturalis, quæ apparent physicè, si non evidentiâ, saltem certa, eò quod Deus falsum dicere non posset; falsum autem diceret, si prædictas propositiones dixisset, cum ratio naturalis omnino reprobet idem numerò, manere idem numerò, & tamen identificari tribus realiter distinctis, quorum quodlibet sit idem omnino in substantiâ, quod alterum; sic enim idem esset, & non esset, quod metaphysicè implicat.

973. In hoc casu dubij, cum intellectus ex nulla parte necessitetur ad assensum, vel dissensum de credibilitate, quod Deus hoc dixerit, nihilominus, licet motiva suaden-

tia credibilitatem appareant solum moraliter evidentiâ; & negantiâ appareant physicè evidentiâ, vel saltem certa, voluntas prudenter imperat assensum pro credibilitate ex motivis, quorum apparentia veri, minor est, apparentiâ veri contra credibilitatem (nam quod solum moraliter est certum, potest physicè falsum esse; & certitudo physica naturaliter falli non potest) ergo dici non potest, quod, si motiva contra credibilitatem, etiam apparenter fortiora, vim motivam pro credibilitate sic elidant, ut propter eorum excessum eis tollant vim inclinandi ad assensum credibilitatis, & voluntati vim, prudenter imperandi assensum; aliàs nec judicium credulitatis, nec pia affectio, seu imperium voluntatis subsequens esset prudens. Unde magnum discrimen est inter mobile & movens corporale motu locali; & inter mobile, ac movens rationale motu intellectuâli; mobile enim corporale, non potest moveri ex imperio voluntatis non imprimente novum impetum extrinsecus impressum mobili, prævalentem contra gravè, obnitens motui causandò ab alio æqualiter gravi, ut patet experientiâ; mobile autem rationale moveri potest imperiò voluntatis, quin mobili rationali imprimat novum pondus rationale: si enim voluntati appareat rationabiliter melius, eligere hic & nunc assensum præ dissensu, potest ex parte intellectus vis motiva rationum assentiendi, vel dissentendi inanere æqualis, modò ex parte voluntatis ratio, volendi hoc, sit major ratione volendi alterum, paris de se bonitatis.

## §. VI.

De legis interpretatione per extensionem casus ad casum.

974. P Otissima quæstio hic est, an, quod lege decissum est in uno casu, etiam intelligi aut possit, & debeat de alio sub verbis legis non comprehenso, & hoc propter similitudinem, vel identitatem rationis etiam in casu non expresso? Hæc quæstio frequentissima est; præsentim apud imperitos Judices (de quibus merito conquestus est Gregorius XIV. summus Pontifex, in sua constitutione: Cum aliis nonnulli, de qua dicemus infra n. 982.) ob quamvis similitudi-



militudinem casus non expressi cum expresso, legem extendentes etiam ad non expressum. Pro hujus quest. resolut.

975. Not. juxta Pirhing de Constit. n. 3. ex Sylvestro, V. Lex, n. 18. duplicem esse extensionem legis, vel statuti, unam comprehensivam, sive inclusivam, quæ est extensio improprie dicta; quod fit, cum dispositio, seu decisio legis transfertur ad alium casum, vel personam per verba legis non expressam, comprehensam tamen in mente Legislatoris; aliam merè extensivam, quæ proprie extensio est, & fit, cum dispositio, vel decisio legis propter paritatem rationis transfertur ad alium casum, vel personam, nec sub verbis, nec sub mente Legislatoris comprehensam.

976. Not. 2. ab eodem Authore n. 112. doceri, extensionem legis comprehensivam (propter adæquatæ rationis omnimodam similitudinem, seu identitatem) fieri posse, ac debere non tantum in lege favorabili, sed etiam odiosa, aut pœnali. In re aliud non vult, quam, ubi est omnimoda similitudo, seu identitas adæquata in casu per verba non expresso, propter quam aliquid dispositum est in casu expresso, merito præsumi, quod Legislator casum non expressum intenderit comprehendere sub lege, & casum, quem exprimunt verba, non poni exclusivè, legem restringendò ad eum duntaxat; sed potius solum exempli causâ illum exprimere; secus enim dicendum censet n. 114. de extensione legis proprie dicta.

977. Sed, licet hæ regulæ passim tradantur ab Authoribus; quia tamen innumeris limitationibus circumscribuntur, & omnimoda identitas rationis adæquatæ ratio solidè deprehendi potest; & reverà Legislatorem non cogit (cum legem pro casu expresso liberè condat) ut dispositionem suam liberam extendat indefinitè, non videtur ea regula sic admittenda, nisi ex aliis indiciis deprehendi possit mens ejus, etiam ad non expressum porrecta; adeoque videtur probabilius, rectius dici: ob solam similitudinem, vel identitatem rationis nunquam legem extendendam esse ad alium casum, qui sub lata verborum forma non fuerit comprehensus; nisi aliunde colligatur, Legislatorem, eum etiam non expressum, voluisse comprehendere; sic Castropalaus P. 1. tr. 3. D. 5. p. 3. S. 4. n. 2. qui pro sua

sententia citat Suarium l. 6. de legib. c. 3. à n. 4.

978. Probatur, quia ratio legis, etiam adæquata, non est lex; lex enim est voluntas Legislatoris sufficienter manifestata; ergo etiam in alio casu non expresso fit eadem omnino ratio, non rectè sequitur: ergo etiam in illo est eadem lex; prob. consequentiam, etsi identitas rationis sit in utroque, consequenter utrumque secundum se dignum sit prohiberi; ex hoc tamen non sequitur, utrumque esse prohibitum, cum Legislator non obstante merito prohibitionis in utroque, possit de uno disponere, & non de alio, vel quia non vult, vel quia non expedit omnia simul prohibere, vel omnia omittere. Deinde, nisi Legislator voluntatem obligandi ad utrumque manifestet, obligatio induci ad utrumque non debet, nisi exigat manifesta ratio, propter quam recedi debeat à proprietate verborum, arg. c. Contingit, 1. de jure jurando in 6. sed ubi sub lata verborum forma casus non continetur, circa illum Legislator voluntatem suam non manifestat; ergo circa hunc obligatio non est inducenda, nisi hoc exigat manifesta ratio, propter quam recedi debeat à proprietate verborum. Major est ex tit. cap. Minor probatur.

979. Quia, si Legislator voluntatem suam circa casum, sub lata verborum forma non comprehensum, sufficienter manifestaret, foret ex eo, quod illam manifestet, exprimendò causam finalem legis, ex qua procedit; sed hoc non rectè dicitur. Nam est voluntas ejus esse debeat rationabilis, & in ratione fundata; adhuc tamen hoc totum stare potest, quod illam assumpserit pro decidendo uno casu, & non pro altero; quo posito voluntas disponens de uno adhuc rationabilis, & fundata in ratione foret, esto illam non amplectatur universaliter. Sic rationabiliter potest quis detestari mortale propter divinam bonitatem, ut convenientem Deo, quin ex eodem detestetur venialia.

980. Aliud exemplum adduci potest ex Clement. 1. de Elect. ubi cavetur, ne eligatur in Abbatem, vel Prælatum Conventus, Religiosus alterius religionis, vel habitus; quod rationi non congruat, ut homines disparis professionis, vel habitus, simul in eisdem Monasteriis socientur; & tamen, licet eadem omnino ratio militet, si Religiosus in Episco-

in Episcopum secularis, vel Regularis Ecclesiæ eligatur (nam & in hoc casu homines disparis professionis in eadem Ecclesia sociantur) lex illius Clementinæ loquens de primo casu nullatenus extenditur ad hunc secundum; hoc enim permittitur, non illud.

981. Similiter dispositio in c. *Quia in insulis, de Regularibus*, prohibet in insulis admitti Monachum ad professionem infra annum ætatis 18. data ibidem ratione: *quia ibidem est dura Congregatio*; at hæc ratio, aut saltem similis, vel etiam major militat in aliis Congregationibus Regularium alibi existentium, quin dispositio loquens de illis propterea nullatenus extendatur ad Congregationes Regulares alibi existentes, etiam duriores; ergo.

982. Confirmari potest doctrina tradita ex Constitut. Gregorij XIV. quæ incipit: *Cum aliis nonnulli*, ubi expressè ait, magnò juris Ecclesiastici detrimentò per experientiam constare, ex dicta interpretandi legem ratione, à casu expresso *desumpta ex identitate, vel majoritate rationis* ad casum non expressum, non mediocrem in aliquibus locis subortam perturbationem, & confusionem; imò illud etiam absurdum sepe numero secutum sit, ut infima interdum conditionis Laici, non modo juris, sed etiam litterarum penitus ignari, dum quasi potestates, aut Ministri Curie secularis, in aliquo castro, aut oppidulo jurisdictionem exercebant, facultatem, & indulgentiarum limites longè exceperint, eaq. suo arbitratu in sensus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorserint &c. Hinc in eadem constitutione discretis verbis declarat, irritam, ac inanem esse, nulliusque roboris, ac momenti extensionem casus expressi ad non expressum in criminibus asylò Ecclesiasticò privantibus (quæ ibidem §. 3. enumerat) etiamsi desumatur, & fundetur in paritate, identitate, aut etiam majoritate rationis, militante pro casu non expresso, etiam *urgentissimis de causis* &c. ut constat ex eadem Constit. §. 2. & 10. ubi notandum, quòd expressè declarat Pontifex, nullius momenti fuisse illas interpretationum extensiones à casu expresso ad non expressum *desumptas ex paritate, identitate, vel etiam majoritate rationis reperta in non expresso.*

## §. VII.

*An in pœnalibus, & odiosis valeat extensio casus ad casum?*

983. **L** Ex pœnalis considerari potest, vel præcisè in quantum punitiva, vel in quantum præcisè directiva, seu obligativa ad actum directè positum sub lege; quòd contingit, si verba legis sint præceptiva, & immediatè directà ad actum, sub pœna præstandum, secus autem; si verba vel non sint præceptiva, vel si, esto talia sint, non dirigantur immediatè ad actum, ut diximus jam in superioribus; quo posito:

984. Resp. 1. in doctrinali legis interpretatione dispositiones pœnales, & odiosas, quæ tales (in quantum scilicet imponunt directè pœnam, vel gravamen, cuiusmodi sunt leges irritantes) de casu ad casum in lege non comprehensum non extendi propter paritatem, identitatem, vel etiam majoritatem rationis. Ratio est ex dict. à n. 977. Nam etiam stantè paritate, vel identitate, aut majoritate rationis Legislatori fuit liberum, casum in lege non expressum sub eadem, vel alia pœna prohibere (hoc enim ostendit paritas, vel identitas rationis in expresso, & non expresso) illum autem etiam casum non expressum prohibuisse sub eadem pœna, nec habetur ex verbis legis, nec ex alio capite, ut ostendi n. 978. Identitas enim rationis in casu non expresso solum probat, hunc etiam prohiberi posse, sed non, actu prohibitum esse, ut liquet ex dictis.

985. Resp. 2. in doctrinali legis interpretatione dispositiones pœnales, odiosas, irritantes, nec in quantum directivas, seu obligativas extendi de casu ad casum in lege non comprehensum, etiam propter paritatem, identitatem, vel majoritatem rationis. Ratio est eadem. Nam Legislator non minus liberè imponit gravamen, & obligationem circa actum in casu expresso, quam liberè imponat pœnam; sed in hoc casu paritas, identitas, vel majoritas rationis in doctrinali legis interpretatione non admittit extensionem pœnæ ad casum non expressum, vel obligationis; ita Suarez l. 6. de Legibus c. 3. n. 5. Sanchez l. 10. de matr. D. 4. n. 3. Salas D. 21. S. 5. n. 11. Navarr. 1. n. c. Pœna, de pœnit. dist. 1. à n. 1.

## §. VIII.

## §. VIII.

An in correctoriis valeat extensio casus ad casum?

986. **Q**uestio procedit, an ex eo, quod in altero casu non expresso, sit eadem, aut major ratio, propter quam in expresso admittitur correctio, valeat extensio ad casum non expressum propter identitatem rationis? cum autem identitas, paritas, aut majoritas rationis in hoc, & illo solum probet, casum non expressum secundum se æquè, aut etiam magis dignum esse, consequenter etiam prohiberi potuisse; non autem æquè prohibitum esse, ut constat ex præmissis (nam Legislator liberè rationem corrigendi assumpsit *pro casu expresso*) non rectè sequitur, ex paritate, identitate, vel majoritate rationis, inferri legitimè, *actum idem dispositum esse* in non expresso, quod in altero expresso, præsertim cum correctio legum odiosa sit, & vitanda, quantum fieri potest, ut dicitur in *L. Præcipimus, C. de appellat. sic gloss. in authent. Quas actiones, C. de sacrosanct. Eccles.* Suarez, *cit. n. 4.* Salas *cit. 3. 6.*

987. Aliud dicendum esse volunt aliqui, si lex corrigit unum casum ex his, qui jure antiquo *æquiparantur*; nam tunc volunt legem correctoriam extendi etiam ad alterum *æquiparatum*. Exemplum hujus *æquiparationis* habetur in *L. fin. C. de sacrosanct. Eccles.* ubi Ecclesia, & civitas *æquiparantur in præscriptione*, ut contra civitatem, sicut nec contra Ecclesiam, præscribi possit minori tempore, quam centenariis. Unde volunt, quod, cum privilegium Ecclesiis concessum *per authent. Quas actiones, C. eod.* est correctum, ut procedat solum *pro Ecclesia Romana*; sic etiam correctum sit privilegium in altero *æquiparato*, nempe concessum civitati.

988. Sed hæc regula limitanda est, ut procedat solum quoad necessitatem tunc in *æquiparatis*, vel connexis, quando continentur sub eadem ratione; non, si sub diversa. Et ideo lex corrigens privilegium concessum Ecclesiis, & restringens illud ad solam Ecclesiam Romanam, non extenditur ad privilegium concessum civitatibus, quia non continetur sub eadem ratione. Nam illud privilegium fuit Ecclesiæ concessum *ob favorem Religionis*; civita-

Tom. I.

tibus autem *propter jus publicum*. Ratio autem est, quia si ambo sint sub eadem ratione, constituens correctionem unius etiam constituit correctionem alterius ex *æquiparatis*, vel connexis, propter connexionem, vel *æquiparationem*; sic Bartolus in *L. 2. de legat. 1.* & alij, quos refert, & sequitur Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 5. p. 3. §. 4. n. 5.*

Dices: dispositum in uno ex *æquiparatis*, censetur etiam dispositum in altero, ut ait glossa, & Bartolus in *L. quod verò, ff. de legib. & L. Si quis servo, C. de furtis*, Suarez *l. 6. de legib. c. 4. n. 9.* & alij; ergo dispositum pro correctione privilegij Ecclesiis dati, de quo n. 987. censeri etiam debet dispositum pro correctione privilegij dati civitatibus; cum, ut dictum, in hoc *æquiparentur*. Deinde, si verum est, in correctoriis, valere extensionem casus ad casum, quando *æquiparantur* sub eadem ratione, idem procedet, ubicunque est eadem, vel etiam major ratio in casu non expresso; ergo sicut in *æquiparatis* valet extensio casus ad casum, si sunt sub eadem ratione, valebit etiam in aliis, quæ sunt sub eadem ratione.

Ante resolut. not. 1. in legibus *exorbitantibus* (hoc est, quæ deviant à jure communi propter favorem aliquem specialem uni, vel aliquibus factum) non valere extensionem legis, vel dispositionis de casu ad casum etiam propter identitatem, vel majoritatem rationis, nisi materia sit favorabilis, & pia, ut dicemus à n. 994. Nam leges, & dispositiones *exorbitantes*, sunt dispensationes, quæ, cum vulnerent jus commune, sunt odiosæ, consequenter interpretationis arctæ, ut colligitur ex *c. 1. de fil. presbyt. in 6. c. Non potest, de præbend. in 6.* ita Sanchez *l. 8. matr. D. 1. n. 3.* & alij.

Et ideo in materia dispensationis non valet argumentum de majori ad minus, licet aliàs procedat in jure per *regul. Cui licet, de reg. juris in 6.* Ratio est ex *c. fin. de translat. Episcop.* ubi Episcopo dispensato, ut possit transire *ad majorem Ecclesiam*, ex hac dispensatione negatur, licuisse *transire ad parem*; c. *Cui de non Sacerdotal, de præbend. in 6.* ubi habetur, mandatum, ut alicui conferatur præbenda *non sacerdotalis*, extendi non posse ad præbendam *sacerdotalem*, etiam minoris valoris, ne quidem de consensu ejus, cui ex mandato *pro-*

G g

videndum

videndum est. Hinc etiam Monachus dispensatus ad beneficium *curatum*, non propterea potest *simplex* obtinere, juxta dispositionem *c. Quod Dei timorem, de statu Monachorum*. Nam generalis regula est, quòd in quibuscunque dispensationibus, seu mandatis ad dispensandum, illud jus tantùm tribuatur, quantum exprimitur; & hoc propter naturam dispensationis, quæ propter recessum à jure communi, venit restringenda; sic Pyrrhus Corradus in *Praxi dispens. Apostolic. l. 1. c. 6. n. 14.* quibus positis:

992. Resp. ad object. in *n. 989.* antecedens negandum esse, si æquiparata, quoad id, in ordine ad quod æquiparantur, sint sub diversa ratione; nam à diversis non fit illatio; at in dato casu, esto Ecclesiæ, & civitates, quoad tempus, extra quod contra eas præferri non potest, æquiparentur, id tamen contingit ex diversa ratione, ut dictum est; ergo.

993. Ad id, quod ponitur in *num. cit. R.* aliud esse, quòd non fiat extensio, ubi non est eadem, sed diversa ratio in æquiparatis; aliud, quòd fiat, ubi est eadem ratio. Primum concedimus, non autem secundum nisi juxta dicenda in *seqq.* Paritas, seu identitas rationis requiritur, quantum est ad necessitatem; non autem quantum est ad sufficientiam extensionis, nisi ubi jure, vel consuetudine legitima recepta est extensio ex identitate rationis in certis materiis, vel casibus, ut dicemus à *n. 997.*

Responderi etiam potest, extensionis casus ad casum non esse locum etiam in æquiparatis propter identitatem rationis, quando dispositio de casu expresso est exorbitans, nec continet favorem boni publici, aut pietatis.

994. Cæterum dispositiones, etiam odiosæ, ac exorbitantes extendi possunt intra latitudinem propriæ significationis verborum, quando directè continent favorem Religionis, animarum, aut boni publici, ut notat Corradus *loc. cit. à n. 16.* Unde regula in *n. 977.* tradita, sine dubio limitari debet, si ex stricta interpretatione dispositionis exorbitantis sequeretur absurdum, aut quid simile, ut exposuimus à *n. 942.* Et ideo *n. 990.* diximus, nisi materia sit *favorabilis, & pia*; hæc enim ex regula juris, non autem ex mera rationis identitate recipit extensionem casus ad casum, si hic saltem

sub lata verborum significatione comprehendi possit; ita Salas *D. 21. Sect. 5. circa finem.* Sic privilegium concessum filio familias, *L. Patria, 20. ff. ad Leg. Jul. de adult.* (ne creditoribus obligetur ex mutuo) extenditur ad nepotes; quia nepos sub appellatione filij comprehendi potest, ut diximus *suprà.*

Dixi: si sub lata verborum significatione comprehendi possit; nam secus nec in favorabilibus valet extensio casus ad casum etiam sub identitate rationis, ut docet Suarez *l. 6. de legib. c. 3. n. 9.* Nam si lex verbis expressa in nulla proprietate significationis casum comprehendit, extensio non erit à lege, sed ab homine, qui caret potestate pro tali casu constituendi legem; sic Antoninus in *c. fin. de consuetud. n. 58.* & alij.

Dices: ergo nec licebit talis extensio contra proprietatem verborum, quando in interpretatione legis servata sine extensione, sequeretur absurdum, vel iniquitas; patet consequenter, quia tali casu æquè extensio non esset à lege (cùm ponatur sub significatione verborum legis non comprehendi) sed ab homine. *R. N.* illatum. Nam si aliquid eorum sequeretur omissa tali extensione, juris dispositione lex dicitur casum à principio comprehendere, cùm jus velit, tali casu verba esse improprianda, ut diximus *n. 942.* ergo multò magis extendenda.

### §. IX.

*In quibus casibus locum habeat extensio legis de casu ad casum propter identitatem rationis?*

Cùm passim apud Authores non tantum in favorabilibus, sed etiam odiosis usurpetur illud brocardicum, *ubi est eadem ratio, ibi debere esse eandem juris dispositionem*, juxta *L. illud, ff. de leg. Aquil. L. Postulaverit, §. 2. ff. ad leg. Jul. de adult. c. 1. de temporibus ordinat. in 6. &c. & ubi est eadem ratio non extensivè, sed comprehensivè, idem judicium esse*, per *L. His solis, vers. Satis etiam, c. de revocand. donation. L. Illud, C. de Sacrosanct. Eccles. L. item veniunt, §. ait Senatus, ff. de petit. heredit.* tum quia ratio potius, quàm verba spectanda sunt, *L. Scire, §. aliud, ff. de excusat.*

ensat. Tutor. & ratio magis attenditur, quam dictum, ut dicitur L. Cùm Pater, §. dulcissimus, ff. de legat. 2. quia tamen hoc ipsum in multis casibus fallit, ut ostensum est ratione, & exemplis à n. 977. & ab ipsismet Doctoribus valde limitatur, ut cuiuslibet manifestum est, ideo disquirendum, quo sensu illud brocardicum, tam usitatum, jure procedat?

998. In hac quaestione præ cæteris placet, quod tradit Castropalaus P. 1. tr. 3. D. 5. p. 3. §. 4. n. 8. in fine, ubi docet, ac deinde per exempla probat, dictum brocardicum, seu axioma (quod nimirum, ubi est eadem ratio, etiam sit eadem dispositio) verum esse non solum in lege favorabili, sed etiam poenali, odiosa, & correctoria, si negatà extensione Legislator arguatur injustitia, vel imprudentia; vel aliàs sequitur iniquitas, vel absurdum, ut jam notavimus supra n. 942. Nam, ut hæc vitentur, verba legis etiam impropranda sunt; ergo multò magis extendenda; ubi tamen nota, hanc extensionem potiùs esse comprehensivam, quam propriè extensivam; quia in dato casu, casus non expressus censetur statim in principio comprehensus sub lege, vel ex ratione expressa in lege, vel ex verbis in lata significatione sumptis; vel ex alia circumstantia; sic ille.

999. Hinc inferes. 1. datam regulam rectè procedere in correlativis, quæ talia sunt; quare dispositum in uno ex correlativis, censetur esse dispositum in altero, ut dicitur L. fin. C. de iudicis viduitate; L. fin. ff. de accept. id, quod tenet Suarez l. 6. de legibus c. 4. n. 7. Sanchez l. 1. matr. D. 54. n. 1. & l. 9. D. 14. n. 6. Salas D. 21. §. 5. n. 12. cum Everardo loco à Correlativis, n. 8. Barbof. cod. à n. 1. id fusè probans ex diversis legibus, dicens n. 2. id procedere, ubi est eadem ratio in utroque, quia si diversa ratio detur, non valet argumentum, L. Curatorem, C. de interd. matrim. ut notat Everardus in topicis legalibus, lobo 76.

1000. Cæterùm ratio melius, non tam in identitatem rationis, quam in unam ex prædictis causis refunditur, ut ostendunt exempla. Nam divortium thori propter adulterium unius è conjugibus utrique conceditur; & viro innocenti contra adulteram; & innocenti uxori contra virum adulterum. Similiter ex communi-ori Doctorum sensu, impedimentum cri-

minis non tantùm contrahitur propter uxoricidium à Viro, sed etiam ab uxore adultera propter viricidium; propter fornicationem sponsæ non tantùm sponsus; sed etiam sponsa propter fornicationem sponsi licitè recedit à sponsalibus. &c. in his enim casibus extensionem causat in quolibet correlativorum non tam identitas rationis, quam æqualitas, & justitia, quam lex disponens de uno ex correlativis attendere debet, ne injustè procedat. V. quæ dicam n. 2815.

Inferes. 2. idem dicendum esse de connexionis, ut dispositum in uno censetur etiam dispositum in necessariò consecutivis, & accessoriis, vel inclusis, ob dictas causas; sic Corradus cit. l. 1. c. 6. n. 18. & alij communiter. Nam dispensatus ad aliquid, censetur dispensatus ad omnia accessoria, ut docet glossa communiter recepta, c. Quia in tantum, de præbend. V. plures Ecclesias, Sanchez de matr. l. 8. D. 1. n. 19. & alij, sed intellige de connexis inseparabilibus; quia si stare non potest dispensatio super A, nisi etiam porrigatur ad B, eo ipso dispositum de A, censetur dispositum de B, nam aliàs elusoria, & inanis redderetur dispensatio in A. Et ideo dispensatus ad presbyteratum, eo ipso etiam censetur dispensatus ad minores ordines, ut docet Archidiacon. in 6. c. Cùm ex eo, de elect. in 6. presbyteratus enim supponit minores ordines; sive connexio sit ex natura rei, sive juris scripti, aut non scripti dispositione, ut bene notat Castropalaus cit. n. 11. Similiter dispensatus, ut obtinere possit duo beneficia cæteroquin incompatibilia, quod eorum quodlibet petat residentiam, eo ipso censetur dispensatus in residentia personali quoad unum, ut in eo deserviat per Vicarium; gloss. Si quis in Clero, 7. q. 1. V. solemnibus; Hostiensis c. Cùm in canonicis, de elect. Sic constitutio loquens de Vicario Episcopi extenditur ad Vicarium Capituli sede vacante; quia hic est aliquid contentum sub illo.

Not. autem, datam regulam in n. 1001. non intelligi de his, quæ separabilia sunt, ut si dispositum super uno verificari possit, quin porrigatur ad alterum. Tunc enim non militat ratio, propter quam in his admittitur extensio; ut si significatum dispositionis pro uno non reddatur inefficax, injusta dispositio, vel imprudens, vel ul-

1001.

1001.

1002.

lum trahens absurdum, licet non trahatur ad alterum, ut bene observat Abbas *c. Cum in cunctis, de Elect. §. cum verò.* Sic dispensatus ut obtineat præbendam canonicalem, non propterea dispensatus est ad habendam vocem in Capitulo, quæ non datur non constituto in Sacris. Nam esse præbendarium stat sine ordinibus Sacris. Similiter habens facultatem dispensandi cum adulterino, vel incestuoso, non propterea dispensare potest cum laborante utroque; nam disiunctiva stat, quin necessario requiratur veritas copulativæ, seu utriusque, & colligitur ex *c. per Venerabilem, qui filij sint legitimi.* Nam in dispositione odiosa super simplici non venit mixtum, ut notat Butrio *c. at, si Clericis, §. de adulter. circa finem, de Judic. apud Corradum cit. n. 27.*

1003. Hinc; quod dicitur in *c. per Venerabilem, qui filij sint legitimi,* & in textibus *n. 997.* relatis, ut dispositum in uno censetur dispositum in altero, quando id iudicari potest per similes casus, non aliter intelligendum venit, quàm ut procedat in necessario connexis, vel inclusis sub majori; non autem in separatis; nam in his non militat ratio, quæ pro illis, ut constat ex *dict. n. 1001.* sic Corradus *cit. à n. 23.* Censet tamen Castropalaus *cit. §. 4. n. 14.* Iudicem, in iudicando, legem, quæ loquitur de aliquo casu, debere extendere ad alterum similem, cum pro isto decidendo non est certa lex; quia prudentia, & recta ratio postulat, ut hujus decisio petatur à decisione casus similis juxta *L. Nam, ff. de legibus,* ibi: *quando lex in uno disponit, bonam esse occasionem, cetera, que tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certâ jurisdictione suppleri,* de quo plura Felinus in *c. Translato, de Constitut. n. 10.*

1004. Not. 2. quando, lex causâ frequentioris usus, aliquid decernit, de casu, vel persona v. g. speciali, non propterea excludi casum minus frequentem; nec ejus dispositionem procedere de illo, in quantum frequentior est, sed cum duntaxat exprimi exempli causâ. Et in ejusmodi lege ipsius dispositio se porrigit ad omnes personas, vel casus similes; nam exempla declarant, non limitant dispositionem, etiam si correctoria sit; ita P. Ferdinandus Rebellus *l. 1. de oblig. just. q. 6. S. 4.* Sua-

rez *l. 6. c. 4. n. 10. & alij.* Tunc enim procedit lex ex ratione, in quantum universalis est, ut colligitur ex *L. His solis, C. de revocat. donat. L. Regula, §. fin. ff. de juris & facti ignorantia.*

## ARTICULUS XIV.

An, & qualiter lex extendatur ad præterita?

1005. Inter leges alia est dispositiva, seu inductiva novi; alia declarativa antiqui juris. Illa est, quæ legem propriè constituit; ista, quæ quæ talis non constituit, sed jam constitutum declarat, seu manifestat, quod prius latebat, ut observat Fagnanus, *c. quoniam, de Constitut. n. 15.* Nam declarare nihil aliud est, quàm aperire, seu manifestare legis, aut constitutionis intellectum, seu sensum, quem habuit Princeps tempore editionis legis. Hæc autem declaratio contingit, quando lex est obscura; vel cum erratur in ejus intellectu, quibus positus:

## §. I.

An lex dispositiva extendatur ad præterita?

1006. Quando lex, vel constitutio expressè dicit, quod non ad præterita, sed ad futura referatur, non est dubium, eam ad præterita non extendi posse, *c. fin. de Constitut. & L. leges Sacratissima, C. de legibus.* Cæterum lex, quæ novum jus condit, ad præterita non extenditur, sed futuris tantum negotiis formam præscribit, nisi in lege nominatim expressum sit, ut etiam ad præterita extendatur. Idem habetur *c. fin. eod.* consentit *L. leges, 7. C. de legibus,* nam aliàs detrimentum paterentur legis dispositionem ignorantes.

1007. Not. autem. 1. quando lex nominatim exprimit dispositionem de præteritis, debere intelligi de negotiis præteritis prius non decis, vel finitis transactione, solutione &c. *L. causas, C. de transaction. & L. Contractus, C. de fide instrument.* Natura etiam constitutionis est, respicere futura, non præterita, nisi id expressè caveatur, prout etiam colligitur ex gloss. in *c. 2. de Constit. in 6. V. Commiserunt;* & in *c. univ. de Cleric. non resident. in 6.*

Not. 2.

1008. Not. 2. legem dispositivam non extendi ad præterita, si negotium, vel lis pendeat à Judice, vel in prima, vel in secunda instantia, nisi legislator exprimat, se velle, ut lex extendatur etiam ad causas pendentes; Pirhing *de Constitut. n. 218.*

1009. Not. 3. idem procedere, licet lex loquatur per verba præteriti temporis. Hinc si Judex per legem rescindit venditiones factas à minoribus, nisi expressè dicat, se idem velle etiam de factis ante hanc legem, solum de factis post legem intelligi debet; sic Felinus in *c. fin. de Constitut. n. 2. §. amplia tertio.* Ratio hujus est, quia legis præcipuus effectus est dirigere actiones humanas; sed præteritum dirigi non potest, in quantum præteritum, & factum est.

1010. Ex hoc sequitur, nullam omninò legem, in quantum præceptiva, vel prohibitiva est, extendi ad præterita; quod enim jam præterit, & factum est, præcipi, aut prohiberi non potest, cum præceptum petat positionem; prohibitio omissionem actus; ita Suarez *cit. l. 3. de legibus c. 14. n. 8. & seq.* alijsque communiter.

1011. Not. 4. quando dicimus, quòd lex extendi possit ad præterita, quando *expressam facit mentionem*, ut etiam *ad ea extendatur*, hoc non posse intelligi de lege, in quantum præceptiva, vel prohibitiva est. Nam quæ talis, semper tendit ad futura *ex proced. num.* Secus est, ut dicemus, in quantum est punitiva, irritans, &c.

1012. Not. 5. quando diximus, legem, quæ facit expressè mentionem etiam præteritorum, extendi ad ea, si *nondum sit perfecta*, seu decisa per sententiam, transactionem, &c. non intelligi, si jam priùs sint decisa, nisi etiam expressè faciat mentionem de his quoque, quæ decisa sunt. Nam legislator nullâ lege, vel rescripto intendit derogare juri jam quæsito alteri, nisi hoc exprimat; sic gloss. in *L. causas, C. de transact.* Abbas in *c. fin. de constit. n. 9.* Sed tunc non extenderetur in quantum præceptiva, vel prohibitiva; sed sub alia ratione, ut constat ex *n. 1010.* Idem est de præteritis jam *conclusis*, esto necdum executioni datis. Nam *conclusionem in causa, negotium finitum est, c. Auditis de Procurat. c. Pastoralis, de causa possess. c. cum dilectus, de fide instrum.*

1013. Not. 6. legem, quæ expressè disponit e-

tiam *de præteritis*, probabiliùs non extendi *ad causas jam ceptas, sed adhuc pendentes*, nisi simul mentionem faciat præteritorum, *etiam pendentium*, ut diximus *n. 1008.* Nam negotio semel cepto in foro competente, quilibet litigantium acquisivit jus, ut secundùm leges tunc vigentes sibi jus dicatur; huic autem juri quæsito nullus Legislator censetur velle præjudicare, nisi hoc exprimat.

## §. II.

*An lex, imponens pœnam delicto, extendatur ad delicta præterita?*

1014. **R**esp. legem, quæ punitivam, posse extendi ad præterita delicta contra legem aliam commissa. Cum enim hoc ipso pœnâ digna sint, non est, unde repugnet, quòd Legislator per sententiam illis condignam pœnam constituat; sed si potest per sententiam, potest etiam per legem, nominatim plectendo actus præteritos, & simul novis in futurum decernendo pœnam. Cæterùm id dicendum non est, nisi lex id ipsum exprimat, quòd pœna extendi debeat ad delicta etiam ante legem, vel statutum conditum commissa; quod tamen etiam in hoc limitari debet, ut non procedat. 1. si jam antè competentèr punita sint; non enim decet bis punire in id ipsum. 2. si nova lex decernat pœnam delicto ircurrendam ipso jure, tunc enim pœna deberet esse statuta, ut hoc ipso, quòd factum sit delictum, faciens sit reus pœnæ, quod esse non potest, cum posito delicto non extat lex eam imponens; accedit, quòd ignorantia juris excuset à culpa contra jus ignoratum; lex autem statuens delicto non tantùm culpam, sed etiam pœnam, facit jus ultra obligationem ad actum, quod ponitur ignoratum, utpote primò conditum post delictum; ergo. V. Felin. in *c. quoniam, de constitut. n. 14.*

1015. Quæstio adhuc est: an lex punitiva, loquens etiam de delictis præteritis, iisque pœnam statuens, intelligenda sit de pœna, quam imponit hæc nova lex; an de illa, quam delinquens transgressus est ante hanc novam legem conditam? Felinus in *cit. c. quoniam, n. 14.* censet, si pœna legis antiquæ delicto conveniens erat, punit-

niendum secundum illam juxta L. 1. ff. de pœnis; & c. fin. de sent. excom. ubi dicitur, quod pueris, qui inciderunt in canonem sententiæ promulgatæ, five ante, five post pubertatem petant absolvi, Episcopus id possit, *quia rigor est mansuetudine temperandus, cum tunc, quando delictum fuit commissum, fuerit defectus ætatis.* Censet tamen Castropalaus cit. p. 3. §. 4. n. 11. dicendum potius pro pœna per novam legem imposita, si hæc convenientior sit, eò, quod ad imponendam pœnam regulariter inspiciatur tempus sententiæ ex L. penult. ff. si ex noxali causa agatur.

## §. III.

*An lex, in quantum irritans, extendatur ad præterita?*

1016. **Q**uæstio est, an lex irritans aliquem actum, & expressè loquens etiam de præteritis, eo ipso etiam irritet actum, ante talem legem, validè celebratum? non agimus hic de illis actibus, qui semel validi, nullo deinceps humano jure irritabiles sunt, quales sunt complures actus sacramentales; sed de illis, qui, licet principio validi, adhuc tamen jure humano irritabiles sunt, cujusmodi casus esse potest in multis contractibus, qui vel jure naturæ, vel etiam positivo, cum celebrarentur, validè celebrati sunt; ex causa tamen boni communis hoc exigentis rescindi possunt, & annullari. Et hoc sensu verum est, posse legem irritantem ad præterita extendi, *quando id exigit bonum commune;* secus enim hæc nova lex non foret justa. Id tamen nunquam dicendum est, nisi lex id ipsum exprimat, nec aliter, nisi quantum exprimit. Quare si statuatur irritationem etiam in actus præteritos, non exprimens, *licet jam deducti sint ad judicium,* vel etiam *decisi, aut per sententiam conclusi,* non extenditur ad actus *pendentes, vel decisos.* Sic constitutio Tridentini sess. 25. de Regularibus, c. 15. prohibens, ne quis *infra annum probationis* emitat professionem, afficiebat quidem non tantum futuros, sed etiam actuales Novitios, sed non professos ante illud decretum.

## §. IV.

*An lex, in quantum declarativa, extendatur ad præterita?*

1017. **L**ex, in quantum declarativa, nihil novi constituit, sed id solum, quod antè constitutum, sed latebat, vel ambiguum erat, aperit, & manifestat; sic cum communi Fagnanus in c. Quoniam, de Constitut. n. 15. Circa præsentem quæstionem not. *condere leges declarantes,* quid sit justum in foro animæ, pertinere ad potestatem collatam Petro, & Successoribus ejus; sic P. Mathæus de Moya in quæst. select. Theol. mor. tr. 1. q. 4. §. 1. n. 4. ex c. in novo, dist. 21. c. Ita Dominus, dist. 19. c. omnes, dist. 22. Extravag. unam Sanctam, de majorit. & obed. c. Solite, eod. c. Cum adveniant, c. quodcumque, 14. q. 1. c. Ad Apostolicæ, de re judicat. in 6. c. Novit, de Judic. c. Venerabilem, qui filii sint legitimi. Hoc intellige de summi Pontificis authentica declaratione legis Ecclesiasticæ à se, vel Prædecessoribus latæ; doctrinalis enim (quæ solum faciat probabilitatem) etiam aliis concessa est, de quo ex professo jam egimus à n. 931. ubi etiam exposuimus, an, & quando declarationes Cardinalium pro dubiis Tridentini habeant vim legis, seu authenticæ declarationis; necessariam autem esse declarationis promulgationem æquè, ac ipsius legis conditæ constat ex dictis à n. 113. etiam si esset revocatoria prioris ex n. 115. vel etiam irritans, ex n. 116.

1018. Ad quæstionem autem propositam communis tenet, quod lex, seu constitutio absolute lata, & solum declarativa juris antiqui, extendat se non tantum ad futura, sed etiam ad præterita; sumitur ex c. cum tu, de usuris. Et tali casu non tam obligat lex declarans, quam declarata. Si autem non est tantum declarativa juris antiqui, sed etiam constitutiva novi, illam refertur ad præterita, in quantum est declarativa; & in futura, in quantum est constitutiva juris novi, nisi contrarium exprimat. Abbas c. fin. de constitut. n. 8. & 11. Azor p. 1. l. 5. c. 16. q. 13. Legem irritantem merè declarativam juris antiqui extendi etiam



etiam ad præterita docet Layman in *cit. c. fin. n. 7.* Si autem de novo irritum reddat aliquem actum, prius validum, extendi etiam potest ad actus præteritos, eos irritandò, seu rescindendò; Suarez *l. 3. de legib. c. 14. n. 11.* secus est, si irritet solum impediendò, ne actus validè fiat; Gail. *l. 2. observ. 9. n. 3.*

1019. Ex hoc vides, de lege hac *declarativa juris antiqui discurrendum*, sicut de lege declarata; si enim declarat hanc, in quantum est merè præcipiens, vel prohibens, porrigitur solum ad futura; si in quantum aliquid novi constituens, vel puniens, aut irritans, de lege declarante dicendum venit, quod de declarata, si clara foret. Aliàs enim non esset merè declarativa legis, contra suppositum.

## ARTICULUS XV.

## De confirmatione legis.

1020. **C**onfirmare idem hìc significat, ac *approbare*, & validius, atque perfectius reddere, diciturque *juris prius habiti corroboratio*; ut cum Superior confirmat actum inferioris. Duplex communiter distinguitur confirmatio; una, quæ appellatur *in forma communi*, quando scilicet non præcedente informatione in particulari de actu, qui confirmatur, & de circumstantiis necessariò exprimendis illius, adhibetur confirmatio illius à supremo Principe, aut ab alio, ad quem spectat confirmatio. Altera, quæ appellatur *in forma speciali*, atque *ex certa scientia*, quando scilicet præcessit informatio in particulari de actu, & de circumstantiis illius necessariò exprimendis, aut totum insertum est in instrumento Confirmationis *c. 1. c. quod nostram, c. porrecta, de confirm.*

1021. Confirmatio *in forma communi* actui confirmato nihil novi juris tribuit, sed ei, si subsistit, & quatenus subsistit, majus robur, & auctoritatem addit; ut ait gloss. in *c. Quia, de concess. prebend. V. in forma*; & Bartolus in *L. privilegia, C. de Sacrosanct. Eccles.* quia non innovat actum; Layman in *c. inter, de fide instrum. n. 10.* Robur autem, quod actui subsistenti addit, est in eo, quòd actus ab inferiore factus legitime, & à Superiore in forma communi confirmatus, ab inferiore retractari,

vel rescindi non possit; esto partes, in quarum favorem ejusmodi confirmatio facta est, ab ea recedere possint de mutuo consensu; quia nemo invitus beneficiò sibi concessò uti cogitur. Omnis autem confirmatio censetur esse in forma communi, nisi ex aliquo signo ostendatur, quòd sit in forma speciali; ita Suarez *de legibus l. 8. c. 18. n. 7.*

1022. Censetur autem sufficiens signum, si confirmatio fiat cum clausula: *ex certa scientia.* Tunc enim Principi testanti credendum est; *Clement. 1. de probat. 2.* si fiat verbis æquipollentibus 3. si confirmationi inseratur tenor dispositionis confirmatæ, *c. penult. de confirmat. util. vel inutili.*

1023. Effectum confirmationis specialis communiter dicunt esse, quòd novum jus tribuat actui confirmato, eumque validet, si antè invalidus erat, juxta *c. Si quis, de confirm. utili.* Sed hoc sic indefinitè prolatum in multis fallit quoad effectum dictæ clausulæ, ex certa scientia, ut constat ex *dictis in tit. de Rescript.* & communiter limitatur, ut non procedat. 1. quoad voluntatem supplendi defectum, si Princeps in tali defectu nunquam dispensare soleat, esto possit. 2. si defectus sit contra jus naturale. 3. si per confirmationem derogaretur alterius juri acquisito; ita Layman in *c. 1. de confirm. n. 7.*

1024. Præter hæc not. confirmationem tamen in forma communi, quàm speciali posse dividi in essentialem, & accidentalem. *Essentialis* est, quæ requiritur ad ejus formam, & substantiam, eò quòd in statuentibus non sit potestas ferendi per se ipsos legem, aut condendi statutum obligans, nisi confirmatum à Superiore; ex quo colligitur, quid sit confirmatio *accidentalis*; his positis:

1025. Quæstio est. 1. an statutum confirmatum à Superiore, confirmatione solum accidentali, à statuentibus possit tolli, & revocari? 2. affirm. ex Bartolo in *L. omnes populi, ff. de Jure & Just. n. 33.* Azor *p. 1. l. 5. c. 26. q. 15.* quia sic pendet à sola libertate statuentium. Limitari tamen debet. 1. ut non procedat, si habeat confirmationem Principis in forma speciali. Constat ex *dict. à n. 1023.* Sic enim habet majorem firmitatem, quàm habeat ex natura. Cum illud Princeps faciat suum. Gail.

Gail. l. 2. observ. 1. n. 17. Limitari debet 2. si confirmationi accidentali adjecta sit *clausula irritans*, decernendò irritum, & inane, si aliquod contra factum fuerit, c. *dilecto*, de *præbend. junct. gloss. V. hujusmodi præbenda*.

1026. Quæstio est. 2. an statutum inferiorum à Superiore confirmatum confirmatione essentiali, à statuentibus possit tolli, & revocari sine consensu Superioris? R. negativè; sic enim habet authoritatem Confirmantis Superioris, in cuius legum mutatione sine ipsius consensu nihil potest inferior ex *dict. alibi*: Sed hoc limitari debet. 1. ut procedat, si confirmatio essentialiter respiciat bonum publicum, non autem, si favorem statuentium. Limitari debet 2. ut non procedat, si per statutum taliter confirmatum redeatur ad jus commune pristinum. Nam hoc favorabile est, & ad illud redire facilè permittitur, quia sic eo ipso non revocatur sine authoritate Superioris; Pirhing *de Constitut. n. 130*.

1027. Quæstio est. 3. an hæ limitationes locum habeant, etiam in casu, quo statuentes statutum suum confirmârunt juramentò? R. si jurârunt, quòd nolint illud tollere, non habere locum; quia tollendò agerent contra juramentum; secus, si tantùm jurârunt, quòd velint illud observare; quia sic tollendo non agunt contra juramentum. Sed de hac materia ex professo agimus *lib. 2. tit. 30. de Confirmat. utili vel inutili*, quò me remitto.

## ARTICULUS XVI.

### De cessatione legis.

1028. **L**ex cessare potest vel in totum, vel in partem; *in totum* cessat, cum abrogatur, aut cessat ex toto ratio, propter quam condita est; *in partem*, cum ei in aliquo sub lege cateroquin comprehenso derogatur. Nam, quando quis in certis circumstantijs, quas prudenter iudicari potest, Legislatorem vel noluisse, vel justè non potuisse velle, ut etiam in ijs circumstantijs legi locus esset, liberatur ab obligatione legis, non cessat propriè lex; cum ponatur nunquam comprehendisse casum pro talibus circumstantijs; his præmissis:

### §. I.

#### De cessatione legis per ejus abrogationem.

**A**brögare legem, est eam, postquam vim habuit, in totum tollere, vel *præcisè*, seu purè, nimirum sine lege contraria, retractandò voluntatem, qua prius condita fuit; vel per legem illi contrariam. Ut autem hæ legum abrogatio rectè fiat, plura in considerationem venire possunt. Hinc quæstio est. 1. quis possit abrogare legem? R. quòd is, qui legem tulit, eandem possit mutare, vel irritandò, vel abrogandò, quando noxia, vel minùs utilis videtur. Idem dicendum venit de illius superiore, vel successore, c. *cum innotuit*, de *electione*, l. *qui in jus*, l. *aliud*, §. *fin.* & l. *nemo plus*, ff. *de regul. juris*.

Quoad alios autem Resp. quòd Prælati, Papà inferiores, non possint mutare Canones Conciliorum generalium, vel leges à summo Pontifice conditas, ex num. 512. & 525. & constat ex c. *cum inferior*, de *majorit. & obed.* & Clement. *Ne Romani*, de *elect.* Excipe, nisi ex urgenti causa præsumi possit, in casu particulari eis non esse locum; sed tunc intercedit potiùs exceptio, quàm abrogatio. Nec possunt abrogare leges à se conditas, si saltem in forma communi sint confirmatæ à Pontifice ex n. 1026. Et quamvis aliqui velint, quòd inferior habens potestatem condendi legem in suo territorio, possit in suo territorio purè abrogare legem Superioris, vel ei legem contrariam statuere; probabilius tamen est, nullum inferiorem id posse, nisi ab ipsomet Superiore ad id habeat potestatem; ita Suarez l. 6. de *legib. c. 26. à n. 9*. Nam, si id independentè à Superiore possit, jam non esset inferior eo, contra suppositum. V. dicta à n. 512. & 525. & seq.

Dices: Episcopus habet potestatem pro suo territorio dispensandi in lege Superioris; ergo etiam condendi legem contrariam, vel purè abrogandi. Ant. pat. quia talis potestas pertinet ad rectam, & suam gubernationem suæ diocesis; pater etiam conseq. Nam eadem potestas necessaria est, quoad vim abrogandi; cum sæpè lex universalis pro ditione particulari

lari quandoque minus utilis, interdum etiam noxia esse possit.

1032. Resp. negandò ant. quòd eam potestatem habeat *independenter à summo Pontifice*. Licet enim concedam tanquam probabilius, quòd Episcopi suam jurisdictionem habeant immediatè à Christo; id tamen habent solùm dependenter à consensu summi Pontificis, secundùm quòd illis oves sibi à Christo immediatè commissas, & per ordinem, ad quæ, eas subjicit, ut diximus *loco supra citato n. 512.*

1033. Deinde, non rectè ducitur paritas à potestate dispensandi ad potestatem abrogandi legè; tum quia hoc est plus, quàm illud; tum quia longè frequentius occurrunt circumstantiæ, quæ petunt dispensationem, quàm legis abrogationem; illa enim contingit communiter solùm in uno, vel paucis, qui pro aliquo casu solvuntur à lege communi; ista verò tolleret jus & legem communem in totum, & pro omnibus; & idèd in c. *quod super his, de majorit. & obed.* expressè dicitur: *nihil statuat, quod canonicis obsit institutis.*

1034. Et idèd propter hunc textum communiter tenent Doctores, quòd inferior non possit abrogare *leges canonicas* sine consensu Papæ; licet oppositum velint *quoad leges civiles*, tum propter rationem in n. 1031. ad quam respondimus; tum quia Princeps Sæcularis potestatem politicam ex plurium aliorum opinione accepit à republica, non autem immediatè à Deo, sicut Pontifex à Christo; præsertim, cùm de factò dentur plura statuta municipalia, juri civili contraria.

1035. Sed in utroque casu negandum est, propter dicta n. 1030. si enim inferior mutare, vel omninò tollere posset voluntatem, & legem Superioris, eo ipso non esset inferior. Nec obstat, quòd pro lege civili per inferiorem abroganda dicitur; dato enim, quòd Princeps Sæcularis à republica potestatem, seu jurisdictionem politicam acceperit (de quo V. dicta supra) non accepit tamen illam *populo subordinatam*. Sic enim populus maneret superior, & cogi à Principe non posset ad legis conditæ, quantumvis justæ, observantiam, quòd est contra debitam Principi subordinationem.

1036. Quòd adducitur de quibusdam statutis juri civili contrarijs, si procedat de his, *Tom. I.*

quæ non in mera consuetudine, sed statuto propriè dicto consistunt, & jus civile abrogant, hanc vim non habent, ex nuda voluntate inferioris, sed consensu, & approbatione superioris; cæteroquin enim irrita sunt ex n. 1030. nimirum ex defectu potestatis. Dixi, si sint statuta *contra jus civile*. Nam si sint juxta, vel præter jus, nihil probant in præsentì casu.

Unde statutum, quo cavetur, dominum teneri satisfacere damna *famulorum*, aut etiam *filiorum* commissa, etiam ipso nesciente, non est *contra*, sed *præter* jus commune. Hoc enim nullibi expressè cavet, ne innocens puniatur in bonis suis propter factum alterius, quando id bono communi expediens videbitur. In quantum autem tale statutum expressè disponit de *his personis* (famulis, aut filijs) potius adjuvat jus commune; cùm faciat, ut majori cura talium personarum delicta evitentur.

Quæstio est 2. an Episcopus abrogare possit leges conditas in Synodo diocesana, si hoc judicaverit bono communi expedire? Resp. probabilius affirmari, seclusa superioris confirmatione, quòd verum est, etiam Synodo non consentiente; sic Barbosa p. 2. *de potest. Episcop. allegat. 34. n. 3.* Azor p. 1. l. 5. c. 15. q. 3. & alij. Nam Episcopus in condendo leges synodales non pendet à voluntate Clericorum, & Parochorum ad Synodum congregatorum, tanquam tribuente etiam partialiter vim, & auctoritatem dispositioni synodali; sed solùm tanquam consilium, idque non ex necessitate, sed utilitate, & convenientia.

Hinc negandum est, omnes, *in synodo diocesana*, habere suffragium *decisivum*, id, quòd maximè colligitur ex eo, quia solus Episcopus factis constitutionibus subscribit nulla Clericorum mentione; nec à Decano Capituli rectè sumitur paritas ad Episcopum in Synodo diocesana. Ille enim in Capitulo solùm habet potestatem convocandi Capitulares, proponendi consultanda, & resolvendi decisa majori parte Capitularium; Episcopus autem Synodo præest cum potestate legislativa, & coercitiva, V. quæ diximus à num. 501. quid verò dicendum circa Archiepiscopos quoad leges in Concilio provinciali conditas, colligi potest ex dict. à num. 527.

Qualiter Episcopus ligetur legibus synodalibus.

Hh

nodali-

nodalibus à se, vel antecessoribus conditis, deduci potest ex dictis à n. 551. ubi diximus, qua ratione legibus canonicis ligetur summus Pontifex. Ad id autem, quod dicitur, *statutum de consensu aliquorum transire in contractum*, respondetur, id verum esse, quando consensus exigitur tanquam aliquid necessarium, & vim saltem partialiter, seu auctoritatem actui tribuens; non verò secus. Consensus autem Clericorum in Synodo dioecesana non sic requiritur, ut præmissum est.

1041. Dixi: *seclusa superioris confirmatione*; nam sub quæstione est, an Episcopus abrogare possit statuta synodalia, postquam confirmata sunt à Superiore? Communis enim tenet, quòd non; quia sic jam sunt affecta, & confirmantis auctoritate roborata. Nam illa nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur, ait Pontifex, c. *si Apostolica, de præbend. in 6. & ubi Princeps confirmat, idem est, ac si ferat sententiam. l. 1. §. Sed neque, C. de veteri jure evocand.* Et ita tenet Azor p. 1. l. 5. c. 15. q. 7. Sanchez l. 8. matr. D. 17. n. 30. Barbosa p. 2. de potest. Episcopi, allegat. 34. n. 7.

1042. Castropalaus P. 1. tr. 1. D. 5. p. 2. §. 2. n. 8. censet, hanc communem sententiam esse verissimam in eo casu, quo Princeps confirmationi addit clausulam, ut, *si quidquam contra fieret, non valeret.* Rationem sumit ex c. *dilecto, 25. de præbend.* ubi dicitur, quòd in Ecclesia, ubi est determinatus numerus præbendarum, uno individuo jure vacante, duo simul eligi non possint ad illud, nisi forte *statutum aliquod obviaret, quod esset juramentò firmatum, vel cui sedis Apostolicæ confirmatio accessisset, hujusmodi clausulâ prohibitionis adjectâ, ut, si quicquam contra fieret, non valeret.*

1043. Ex hoc enim infert, quòd *simplex* confirmatio alicujus statuti à Superiore facta (nimirum sine tali clausula irritante) non reddat statutum inabrogabile per statuentes, licet habeat confirmationem simplicem, seu in forma communi etiam à Papa, si statutum illud principaliter sit in favorem statuentium. Cum enim talis confirmatio sit *beneficium*, & præsumi non debeat Superior, invito velle beneficium conferre, ac ad illud recipiendum obligare *volentem* (sic enim habet rationem

privilegij) non est censendus Princeps confirmatione simplici voluisse reddere tale statutum inabrogabile à statuentibus; sic Barbof. in cit. c. *dilecto, n. 10.* Suarez cit. l. 6. c. 26. n. 24. & alij.

Si autem statutum ab eo, qui, etiam seclusa confirmatione Superioris, obligare potest lege à se lata, similiter abrogari potest à statuente, licet à Principe confirmatum non tam sit in favorem statuentium quàm aliorum, pro quibus statuitur. Nam in ejusmodi casu communiter adhibetur confirmatio Principis, non tam, ut inde vim obligandi majorem obtineat, quàm ut auctoritatem, & honorem, quem statuto præstat Principis consensus, esto non necessarius ad obligationis impositionem; secus est, si statuens secluso Principis consensu, seu confirmatione non habet potestatem obligandi condita à se lege (tunc enim in hoc casu confirmatio est essentialis, & in priori accidentalis, ut diximus à n. 1024.) quia in ejusmodi casu confirmatio Principis non ob majorem honorem præcisè, sed verè ad vim obligandi statuto tribuendam expeditur, saltem communiter; ita Suarez cit. n. 25. Salas d. 18. f. 5. quos refert, & sequitur Castropalaus cit. p. 2. §. 2. à n. 8.

## §. II.

*Quid requiratur, ut lex abrogetur?*

Leges etiam validas, & quæ reipublicæ utiles fuerunt, vel etiam actu sunt abrogari posse propter majorem utilitatem, cujus causâ magis expedit eas tollere; quàm in vigore permittere, non est dubium; & constat ex plurimis antiquis canonibus, præsertim circa impedimenta matrimonij, tam dirimentia, quàm purè impediencia, per novos abrogatis; si enim positivè noxiæ fierent, aut saltem negativè, nimirum nullatenus utiles, quòd utrumque fieri potest, mutatis circumstantijs, ex quibus pendent leges (quæ sunt media relatè ad finem rectæ gubernationis, quæ ut justa sit, spectare debet commune bonum cujuslibet reipublicæ, tanquam finem) non est dubium, fieri posse, quòd nunc non profit, quòd olim proderat; & econtra, id, quòd pluribus locis explicat Tridentinum in *reformatione impedimentorum matrimonij*.

Quia

1046. Quia tamen abrogatio legis multipliciter fieri potest. 1. purè; 2. lege contraria ex toto priorem tollente. 3. consuetudine, vel desuetudine. 4. interpretatione. 5. cessante finali ratione legis: de singulis breviter dicendum erit, ubi ea expenderit, quæ ad legis abrogationem necessaria sunt, utcunque fiat. Pro quo not. 1. puram legis abrogationem *validè* fieri, etiam sine justa causa; sed *non honestè*, seu *licitè*; per puram abrogationem eam intelligo, quæ sic aufert legem in totum, ut non constituat oppositum; sed tantum, ut liceat, quod ante licitum non erat, stante illa, quo casu talis lex cessat, seu tollitur privativè.

1047. Ratio primæ partis est; quia sublata voluntate Legislatoris cessat lex, consequenter abrogatur privativè; at Legislator voluntatem suam tollere potest etiam sine justa causa, cum eam liberè concipiat, & conservet; sic Pyrrhus Corradus *in Praxi dispensat. Apostol. l. i. c. i. n. 8.* loquens de legis dispensatione, quæ legem non tollit univèrsim. Ratio secundæ partis est, quia talis actus, qui sine justa causa, pertinente ad bonum commune reipublicæ, aufert medium necessarium ad finem suum, non ageret ex fine debito, & in ædificationem, sed potiùs in dissipationem; ergo ut pura legis abrogatio honestè fiat, requiritur eam fieri ex justa causa.

1048. Dixi 1. ut *pura* abrogatio legis honestè fiat. Nam ut fiat *positivè*, seu *contrariè*, nimirum novæ legis constitutione priori contrariæ, probabilius videtur, non fieri eam etiam validè sine justa causa. Nam voluntas, constitutiva legis, debet esse rationalis, & justa, ut diximus *n. 89.* at ubi deficit omnis justa causa, voluntas rationalis, & justa esse non potest, ut constat ex *num. cit.* sic enim non exigitur à bono communi, sed potiùs rationabiliter recusatur; ergo.

1049. Dixi 2. *pertinente ad bonum commune.* Hoc enim Legislator in omni actu, quem exercet ex potestate legislativa, præ oculis habere debet, ex *n. 91. cum seq.* Unde cum ratio boni communis deficit, nec validè quidem lex conditur ex *preced. num.* cum autem etiam irrationabiliter retractare possit voluntatem suam, fieri quidem potest, quòd possit legem *abrogare purè*, etiam validè sine rationabili causa perti-

Tom. I.

nente ad bonum commune; non tamen novam *validè constituere.*

Ex dictis colliges, legem quantumvis reipublicæ utilem, licitè & validè abrogari posse, non tantum privativè, seu purè, sed etiam contrariè, seu constituendò novam legem priori contrariam, si adsit justa causa illam tollendi; ut si foret magis expediens, illam tolli, ne populus v. g. multitudine legum nimium gravetur; aut præsentibus circumstantiæ suadeant, utilis esse, eam tolli, aut etiam contrarium statui; ita communis, quibus positus:

Quæris 1. an, ut abrogatio legitima sit, indigeat promulgatione? *Re. 1.* si fiat abrogatio per interpretationem authenticam, vel contrariè, condendò legem priori contrariam, requiri talis abrogationis publicationem. Ratio prima partis est ex *n. 113.* secundæ partis ex dict. à *num. 103.* nam omnis lex, ut essentialiter constituta sit, aliqua publicatione indiget; quæ autem sufficiat, constat à *num. 139. & seq.* & abrogatio legis per legem contrariam importat legem; ergo.

*Resp. 2.* ut lex sit abrogata *purè*, quoad *esse physicum*, probabilius non requiri ejus publicationem. Nam sicut lex externa quoad esse physicum non constituitur, ubi in Legislatore non est animus, & interna voluntas obligandi; ita nec legitime constituta perseverat, tali animo deficiente; sed ille animus, seu interna voluntas obligandi potest deficere, sine ullo externo signo, ut per se patet; ergo.

Dixi, *quoad esse physicum*; nam *quoad effectus juris*, quos parit legitima legis abrogatio, probabilius videtur, requiri abrogationis publicationem. Effectus enim præcipuus ejus est, quòd abrogata lege populus, etiam secluso errore (quo putat legem vigere) licitè agat, quod lege nondum abrogata non licebat; at hoc præstare non potest, nisi constet de legitima abrogatione. Sufficiet autem ea publicatio, qua posita successivè saltem possit ejusmodi abrogatio venire in notitiam eorum, qui priùs lege nunc sublata tenebantur.

Quæstio est 2. an, & quando lex prior censeatur abrogata per posteriorem, priori contrariam? *Re.* non censi *abrogatam* per posteriorem, nisi hæc illi in totam contraria sit. Ratio est, quia si eam tol-

H h 2

1050.

1051.

1052.

1053.

1054.

lat

lat solum secundum aliquid, & non in totum derogatio est, non abrogatio. Sed esto etiam in totum priori contraria sit, non operabitur effectum abrogationis, prioris legis non contentæ in jure communi, sine clausula abrogatoria, nisi mentionem faciat prioris. Ratio est, quia voluntas legislatoris non censetur ferri in incognitum, vel ignoratum; sed de illis solum disponere, quæ sibi nota sunt; leges autem privatae, nec insertæ juri communi, ubi nullam eorum, etiam in genere mentionem facit, præsumuntur ei incognitæ, ac ignoratæ; sicut insertæ juri communi, cognitæ, c. 1. de constitut. in 6. ergo.

1055. Ex dictis collig. 1. quod Princeps condens novam legem priori ex toto contrariam, si hæc inserta sit juri communi, posteriorem abroget. Sic enim ponitur, scilicet statuere contrariam priori; secus est, si non sit inserta juri communi; quia tunc voluntas, qua condit posteriorem legem, non porrigitur ad revocandam priorem, utpote incognitam, nisi addat clausulam, qua velit sublatum, quidquid efficaciter posteriori voluntati obstaret. Tunc enim, saltem in genere illorum, quæ contrariantur, aut contrariari possunt, notitiam se habere manifestat.

1056. Sed hoc limitandum est, ut non procedat, quando prior lex vestita est juramento promissorio de ipsa non revocanda, vel abroganda. Tunc enim stare potest, quod lex prior inserta juri communi per posteriorem non abrogetur, nisi simul liberetur à vinculo juramenti. Fieri enim potest, quod Princeps sciens legem priorem, ignoret vinculum juramenti; tali autem casu præsumi non potest, contra juramentum adhuc stans velle tollere legem priorem; sic Azor p. 1. l. 5. c. 16. q. 6.

1057. Collig. 2. ut lex prior per posteriorem ex toto contrariam abrogetur, non requiri mentionem prioris, si sit inserta juri communi, nec alio vinculo roborata, quod specialem ejus mentionem exigat. Nam in tali casu voluntas constitutiva novæ legis priori contrariæ, præsumitur fieri cum scientia prioris ex cit. c. 1. de constitut. in 6. cum ergo voluntas legis posterioris ponatur efficax, eo ipso tollit voluntatem prioris constitutivam, ne dicatur velle simul contraria.

Dixi 1. priorem abrogari per posteriorem illi contrariam. Nam si utraque conciliari potest, & in verborum proprietate salvari voluntas legislatoris, non censenda est abrogata prior; tunc enim vitatur contrarietas, & oppositio voluntatum prioris, & posterioris, præsertim, cum legum correctio, & mutatio, utpote communi bono damnosa, vitari debeat, quantum potest, ubi id non exigit aperta boni communis major utilitas, aut necessitas.

Dixi 2. Si in utraque salvari potest proprietas verborum. Nam etsi velint aliqui ab ea recedi posse, & verba etiam impropriari, ut vitetur legis correctio, ut vult Sanchez l. 1. matr. D. 17. n. 6. rectius tamen dicitur, hoc non admitti; quia sic vix aliquid esset firmum in lege; & à verborum proprietate recedi non debet, nisi cogat necessitas, nimirum, ut evitetur aliqua iniquitas, vel injustitia, aut ne dispositio reddatur inutilis, & illusoria, ut diximus à n. 942. ita Panormitanus in c. 1. de constit. Bartolus in L. omnes populi, ff. de just. & jure n. 57. Suarez l. 6. de legib. c. 27. n. 11. & alij.

Dixi 3. nisi sit roborata alio vinculo, specialem prioris mentionem exigente. Multi enim volunt, quod leges revocatorie privilegiorum, facultatum, &c. non habeant vim obligandi, quousque promulgatæ non sunt non solum in provincia, sed etiam in civitate, ac Parochia; sic Escobar. theol. moral. §. 2. l. 5. Becanus in 1. 2. tr. 3. c. 6. p. 6. n. 7. & communis doctrina est, debere intimari illi, cui aufertur privilegium, vel potestas. Hinc addit Azor instit. moral. p. 1. l. 5. c. 3. q. 6. indulgentias non finiri, donec de earum revocatione certiores facti sint, quibus fuerint Pontificum beneficiis concessæ.

Similiter complures tenent, privilegia, & consuetudines particulares personarum, Ordinum, & locorum non censi abrogatas per leges communes, & clausulas generales, nisi illorum fiat mentio specialis, c. quoniam, dist. 18. quia supremus Magistratus, uti leges communes, & jura præsumitur habere in scrutinio pectoris sui; ita ignorare creditur particularia, & nihil velle de illis disponere per terminos generales, ut constat ex c. 1. de constitut. in 6. quod retulimus in preced.

Hoc

1062. Hoc quidam extendunt etiam ad eas leges abrogantes, quibus annexa est clausula: *non obstante quocunque privilegio, etiam exigente; ut de verbo ad verbum fieri debeat de illo mentio, cujus tenorem pro inserto hic volumus.* Dicunt enim privilegium, exigens *specialem sui mentionem*, eâ clausulâ non abrogari; ita quidam apud Streinium *in proleg. juris Canonici*, §. 5. n. 5. sed hic in praxi tutiorem judicat opinionem oppositam, id quod verum puto, si privilegium prius in corpore juris contineatur. V. n. 524.

1063. Dixi: *Si prius privilegium in corpore juris continetur.* Tunc enim præsumitur notum, atque cognitum disponenti sub clausula generaliter abrogante; secus dicendum videtur, si exigat mentionem specialem; vel dispositio, de cujus abrogatione quæritur, sit specialis; tunc enim non censetur abrogata per aliam constitutionem posteriorem, generalem, etiam cum clausula generali, nisi hæc specificè illius faciat mentionem.

## §. III.

*De cessatione legis per exceptionem, vel excusationem.*

1064. Certum est 1. quòd lex aliquando in casu particulari cesset, etsi verba legis istum casum comprehendere videantur, & ille nulla lege positiva exceptus sit, nec à Principe vel Legislatore in illo expressè dispensatum. Cujus ratio est, quia possunt quandoque concurrere tales circumstantiæ, propter quas lex universaliter loquens, nullamque vel exceptionem, vel dispensationem explicans, observari non potest spectata hominum conditione, licet aliàs sub lege contineretur, spectata verborum universalitate, ut mox dicemus.

1065. Certum est 2. quoties, præter legis universalitatem, non adest aliud argumentum, hunc vel illum casum particularem comprehendendi, posse interdum non comprehendi; ita Suarez *de legib. l. 6. c. 9. n. 4.* quia fieri non potest, ut lex humana, universaliter lata, in omnibus particularibus eventibus ita sit recta, quin aliquando à rectitudine deficiat, propter constantem, & frequentissimam rerum humanarum vicissitudinem, cujus omnes particulares e-

ventus legislator humanus prævidere non potuit; nec, esto prævideret, sine gravissimo boni communis incommodo, hoc est, sine maxima legum multitudine, confusione, & prolixitate illas in particulari excipere posset.

Ex hoc duo sequuntur; *unum*, quòd 1066. nulla lex humana, generaliter lata, possit cum illa generalitate, quam verba exprimunt, *in omni occurrente casu*, obligare; *alterum*, quòd, licet per verba legis nulla exprimat exceptio, semper tamen sic exigente rerum humanarum natura, quam emendare legislator non potest, vel subintelligatur, vel ut lex justa, & rationalis, evadat actu obligans, debeat subintelligi. Cùm autem hujus explicationis fundamentum desumatur ex cessatione finis motivi, vel (ut alij loquuntur) rationis ipsius legis, controvertitur inter antiquos, & recentiores, utrum sufficiat cessatio ejus negativa, an prærequiratur (ut docet communior sententia) cessatio ejus contraria?

Suarez cit. cum alijs judicat, cessationem negativam non sufficere; quia licet ratio legis in particulari cesset negativè; semper tamen manet aliqua ratio universalior, ob quam expedit, etiam tunc legem observari. 1. quia valde contrarium foret bono communi, si propter illam solam causam obligatio legum cessaret in casibus particularibus. 2. quia partium conformitas cum toto per se est sufficiens ratio servandi legem, ubi & quoties sine gravi incommodo potest observari. Hanc Doctores communiter reputant veriore, licet altera, quòd cessatio negativa sufficiat, propter Doctores illam sustinentes, non videatur carere sua probabilitate.

Ex hoc complures inferunt, quòd, licet 1068. legislator advertat, vel prævideat, finem motivum, aut rationem legis in aliquibus casibus defuturum, possit nihilominus justè omnes indistinctè obligare; quia ratio legis ultimata nunquam videtur adequatè cessare. Hinc not. juxta primam sententiam, ab universali lege non posse in casu particulari ullam exceptionem fieri, quamdiu in ejus universali observatione non reperitur impedimentum æquitati contrarium.

Contingit autem duobus modis, quòd 1069. legis universalis in casibus particularibus observa-

observatio habeat contrarietatem cum æquitate naturali. 1. Si concurrat cum alia strictius obligante ad actum contrarium. 2. Si res præcepta foret nimis gravis, seu difficilis. Nam in neutro horum casu Legislator humanus habet potestatem obligandi; *non in primo*; quia contra jus strictius juris minus stricti observantia est iniqua; *non in secundo*, quia Legislator humanus non habet jus, præcipiendi nimis gravia, & difficilia, cum non in omnibus sit dominus suorum subditorum. Deus enim, per quem legislatores humani jus dicunt, non dedit illis ampliorem potestatem legislativam super homines, ac fit illa, qua ipse, in præceptis positivis divinis prudentissimus Legislator, in hoc rerum ordine, utitur, in quo, cum ipse in suis positivis legibus nimis gravia excipiat, id à fortiori existimandum erit de Legislatore humano.

1070. His addi potest tertius modus excipiendi casum particularem ab universali lege; quando scilicet, licet non desit potestas præcipiendi, censetur tamen ex circumstantiis ipse Legislator non præcepisse totum, quod potuit, sed ex benignitate casus aliquos particulares excepisse, ut notavimus n. 905. his præmissis:

1071. Sequitur 1. quando *certo* constat, materiam legis ab eventu accidentali, vel circumstantia, in aliquo casu factam esse iniquam, seu contrariam alteri præcepto strictius obliganti, tunc absque recurſu ad Legislatorem, esto is facilis foret, cessare legis obligationem; ratio sumitur ex *num.* 1069.

1072. Sequitur 2. quando certum est, legem non obligare in aliquo casu particulari, esto possit sine peccato servari, posse quemlibet illam propriâ autoritate non servare. Nam certitudo talis præstat firmam conscientiam de absentia obligationis. Hinc etiam juxta multos, probabiliter judicans, hunc vel illum casum particularem sub lege non comprehendi defectu potestatis legislativæ, excusatur ab ejus obligatione, formidine, quam quævis opinio sibi conjunctam habet, non obstante; quod verum est, ubi operans judiciô subjectivè, seu apud se probabili, post debitam diligentiam, sic se habere, sibi persuadet.

1073. Nec in isto casu recurſus ad Superiorem, licet facilis, est necessarius; cum non

agatur de ipsius voluntate, sed potestate legislativa, quam non tenemur accipere ab ejus judicio, sed possumus uti principiis Theologiæ, & Juris, in ea cognoscenda; quod constat ex eo, quia hæc praxis solet in legibus Pontificijs observari. Nam licet Pontifex, à nobis consultus, possit nobis suam mentem declarare; tamen quamdiu hæc non facit, nos non tenemur de ejus potestate in hoc, vel illo casu particulari illum consulere, sed possumus, & quotidie utimur in ea cognoscenda regulis doctrinalibus.

Si autem dubitetur, an casus particularis occurrens sub lege comprehendatur? 1074. recurrendum aliqui censent ad Superiorem, si possint, pro dispensatione; si autem recurſus sit impeditus, obligabitur subditus juxta probabilem sententiam ad observantiam legis, quia pro lege promulgata, & legitime acceptata, atque ex materia præcepta extra casus quosdam particulares, pro subditorum statu universaliter justa, in sensu composito dubij, videtur stare possessio. Sed contraria multorum opinio non caret probabilitate, tam intrinseca, quam extrinseca, eò quod in dubio potestatis videatur possessio stare pro libertate; ita P. Herdinck *in M. S. de legibus.*

Sequitur 3. in casu, quo exceptio fundatur in mera Legislatoris benignitate, si de illa probabiliter constet, & vel propter periculum in mora, distantiam loci, aut sumptus sine gravi incommodo ad eum non patet recurſus, posse quem exceptione uti, non consulto Legislatore; quia judicium probabile in rebus moralibus, etiam in hoc casu, quando voluntas Superioris moraliter cognosci non potest, sufficit ad prudenter operandum.

Secus autem, ubi nullum esset periculum in mora, & recurſus ad Superiorem pateret, judicat Suarez, judicium illud probabile non sufficere. Quia quando certum est, legem posse ad casum occurrentem obligare, & solum probabile est, quod benignitas Legislatoris illum exceperit, standum est pro actuali obligatione, quam verba sufficienter exprimunt, quousque de alia Superioris mente non constiterit.

Sed his non Obstantibus Sebastianus 1075. Saccus *l. 1. sue Theol. moral. c. 8. de legib.* docet,



docet, etiam in dato casu sufficere iudicium probabile de mente Legislatoris. Et ideo pro hac sententia citat Sanctarellum p. 1. *variar. resolut. q. 59. n. 4.* Lorcam tom. 1. D. 39. *membro 2.* Alvarez D. 80. Idem tenet Pasqualigus D. 58. *de stat. hominum, §. Tertia* citans pro se Navarrum in *Manuali.*

## §. IV.

## De cessatione legis per cessationem causæ finalis.

1078. **A**n te resolutionem not. duplicem finem in lege attendi posse. Unum intrinsecum, alterum extrinsecum. *Finis legis intrinsecus* est ipsa res præcepta. Sic finis intrinsecus legis præcipientis dilectionem Dei, est dilectio Dei; finis intrinsecus legis prohibentis mendacium, est ommissio mendacij. Nam posita dilectione Dei, primæ legi; posita ommissione mendacij, secundæ adæquatè satisficit. *Finis extrinsecus* legis est ille, propter quem talem actionem, quæ est finis intrinsecus legis, Legislator præcipit, vel prohibet. Sic cum lex præcipit eleemosynam, legislatore intendente, ut satisfacias pro peccatis, finis legis *intrinsecus*, est largitio eleemosynæ; *extrinsecus*, satisfactio pro peccatis.

1079. Not. 2. quòd Legislatores quandoque, præter finem intrinsecum legis, quarant alium; quandoque solum finem intrinsecum legis; adeoque finem intrinsecum legis interdum conjungi cum alio fine extrinsecò, aliquando non. Ut autem cognosci possit, quando id contingat, hæc regula traditur à Castropalao P. 1. *tr. 3. D. 5. p. 1. n. 2.* quòd, ubi materia legis est de se honesta, & expetibilis, finis intrinsecus legis non habeat conjunctum alium extrinsecum à Legislatore intentum, nisi hoc expressè constet; secùs, si id constet, aut materia legis de se non sit honesta. Nam in dubio, vel incerto, legis obligatio extendi non debet; quia *lex id noluisse præsumitur, saltem non voluisse, cum facile id exprimere potuisset, & non expressit*, ut ait Menochius *consil. 30. n. 8.* quia *quod lex non dicit, non est ab homine præsumendum.* L. *dissentientis, C. de repud. c. Illa, Ne sede vacante; & lex si voluisset*,

*set, expressisset*, ut dicitur *c. ad audientiam, 2. de decimis, c. 2. de transact. L. unis ca §. sin autem, C. de caduc. tollend.* quibuspositis:

1080. Communis doctrina est, quoad legis perseverantiam, vel cessationem semper attendi finem intrinsecum legis, sic, ut eo stante, stet; eo cessante, cesset lex; ita Suarez *de legib. l. 6. c. 9. n. 9.* Azor p. 1. l. 5. c. 16. q. 15. Salas D. 11. *de legib. S. 3. n. 34.* Bonacina D. 1. q. 1. p. ult. §. 2. n. 1. & alij. Aliàs enim homines, qui carnem suam habent debite subjectam spiritui, non tenerentur ad jejunium; nam si lex cessaret, cessante fine solum extrinsecò, etiam stante intrinsecò, cum is est honestus, non foret, unde illi obligarentur; tali autem casu eos non obligari lege jejunij, nemo dicit; ergo. Et ratio est, quia legis existentia essentialiter pendet à fine intrinsecò legis, ut tenet communis.

1081. Quæstio nunc est 1. an cessante adæquato fine legis, propter quem aliquid præcipitur, vel prohibetur, eo ipso etiam cesset lex, ac ejus obligatio? Commune juris axioma est, quòd *cessante legis ratione cesset quoque ejus dispositio.* L. *in omni, ff. de adoptionibus, L. quod dictum, ff. de pact. c. Etsi Christus, de jurejurando, & passim alibi, prout videri potest apud Barbofam de axiom. juris usu frequentat. axiom. 36. n. 9. & seq.* Verùm hoc ipsum non eodem modo recipitur. Nam aliqui volunt id procedere, si cesset *contrariè*; non autem si merè *negativè*, ut constat ex n. 1067. aliqui, sive cesset hoc, sive illo modo: alij, quòd non procedat, quando agitur de lucro captando, &c. de quo videatur Barbofa *cit.*

1082. Et quamvis Castropalaus *cit. n. 4.* doceat, sententiam affirmativam (quòd cessante tota causa finali, ob quam res præcipitur, cesset lex, & ejus obligatio) esse communem; dubitari tamen potest, an loquatur *de causa finali legis intrinsecæ an extrinsecæ?* pro resolut. not. quando dicimus finem intrinsecum legis esse materiam præceptam, ipsam nimirum actionem, vel omissionem, de qua lex directè loquitur, debere considerari non secundum se, sed secundum *convenientiam, quam habet ad bonum commune.* Hinc materia legis (consequenter finis ejus intrinsecus) non est utcumque actio, vel ommissio

missio, aut res præcepta, vel prohibita; sed secundum quod est conveniens, vel necessaria ad finem boni communis, quem omnis lex propriè dicta respicere debet, ut constat ex dictis à n. 91. & seqq. Ex hoc colliges, tunc negativè cessare totam causam finalem legis, quando id, quod præceptum, vel prohibitum est (consequenter quando finis intrinsecus legis perdit convenientiam, seu conducentiam, & necessitatem ad finem boni communis, adeoque si nec utilis, nec necessaria foret) si autem evaderet etiam noxia, vel damnosa (quod facilè fieri potest, mutatis rerum circumstantijs, ut est manifestum ex pluribus legibus propterea nunc abrogatis) cessare contrariè; quibus positis:

1083. Resp. sive negativè, sive contrariè cesset adæquatus finis intrinsecus legis, eo ipso etiam cessare legem, ac ejus obligationem. Nam lex naturâ suâ debet directè ordinari in bonum commune; ergo ubi res sub lege directè posita, vel negativè, vel contrariè perdit conducentiam, & necessitatem relatè ad bonum commune, nequit esse directè ordinata (ordinatione rationabili) in bonum commune, consequenter nequit esse justa, juxta n. 88. consequenter nec lex. Et hoc ad minimum evincunt jura n. 1081. relata.

1084. Quia tamen res præcepta, vel prohibita, potest habere multiplicem convenientiam ad bonum commune, quin propterea ex qualibet lex constituatur à Legislatore, ideo, cum dicimus legem cessare, cessante convenientia ad bonum commune, de illa convenientia intelligendum est, quæ consideratur ad finem boni communis intentum à Legislatore, non autem ea, quæ intenta non fuit. Sic, cum quis vovit non adire talem domum, in quantum hujus evitatio conducit ad declinandum periculum, quod intranti eam vel semper, vel ferè semper impendebat; si desinat ex toto tale periculum, desinat quoque materia voti secundum convenientiam intentam per votum, atque adeò ipsum votum. Nam cessante causa cessat effectus, ut dicitur c. cum cessante, de appellat.

1085. Not. autem, debere intelligi, quando tota finalis ratio legis absolutè cessat; cum enim tota ratio, propter quam cessante tota ratione legis dicitur cessare lex, sumatur ex eo, quòd tali casu lex foret inutilis,

nimirum negativè, seu non utilis, aut non necessaria; vel contrariè, nimirum plus noxia, quam proficua, nisi talis sit absolute, non cessabit absolute; sed solum pro ea circumstantia, pro qua talis est, quo casu potius erit suspensa, quàm sublata. Censeri autem potest cessare absolute, quando sic evadit inutilis, vel minus utilis, ut sub iisdem circumstantijs, sub quibus est, de novo constitui non possit.

1086. Altera quæstio est, an cessante finali causa legis in particulari casu circa aliquam personam particularem eo ipso etiam cesset lex in tali casu, & quoad talem personam? v.g. prohibetur gestatio armorum ad vitandas rixas; Titius est homo planè pacificus, in quo nec sit umbra periculi rixarum; quæstio est, an quoad Titium lex illa prohibens armorum gestationem cesset, nec illum afficiat? in hac quæstione duplex est sententia. Prima est affirmantium, sed hoc discrimine, quòd aliqui sine distinctione affirmant generaliter, cessante legis ratione in particulari, cessare legem; sic Panormitanus, c. quoniam, de probat. n. 6. maximè c. quia in Insulis, de Regularibus, cui favet Sylvester V. Lex, q. 8. & 9. Angelus ibid. casu 7. n. 4. potissima ratio est, quia ratio legis est anima legis; ergo sicut cessante ratione legis generaliter, cessat lex generaliter; sic cessabit in particulari, ubi legis ratio cessat in particulari. Alij affirmant, quoties aliqua lex condita est ad evitanda inconvenientia, quæ illâ seclusâ sequerentur; secus verò, si propter bonum aliquod Reipublicæ. Nam in hoc casu volunt non cessare legem in particulari, etiam si cesset in casu particulari finis per eam legem quæsitus, modò stet alius, ex quo honestetur; sic expressè Cajetanus, Navarrus, Henriquez, Lopez, Saà, & alij apud Castropalaum P. 1. tr. 3. D. 5. p. 1. n. 9.

1087. In hac quæstione videtur distinguendum. 1. an quæstio procedat de cessatione finis negativa, vel contraria? 2. an lex fundetur in præsumptione facti, an communis periculi? Et quidem, si loquamur de cessatione contraria (quàm exposuimus n. 1082.) etiam solum in casu, & persona particulari, videtur omninò dicendum, etiam cessare legem in tali casu, & persona particulari; cujus ratio constat ex n. 1083. Deinde, si lex fundatur in præsumptione

ptione facti, hoc deficiente, sive negativè, sive contrariè in casu & persona particulari, cessat quoque lex in tali casu, & persona particulari, cujus ratio est ex n. 247. Si autem fundetur in probabili seu communi periculo, esto in aliqua persona particulari cesset tale periculum; quia tamen non cessat commune periculum, quod evitare intendit lex; non propterea cessabit lex in persona particulari, ex hoc præcisè; quòd in ea negativè cesset tale periculum, ut constat ex n. cit. & ita tenet Castropalaus cit. n. 10. ac apud eum Suarez l. 6. de legib. c. 7. à n. 5. & toto c. 8. Sanchez l. 3. D. 3. n. 39. Bonacina, Salas, & alij. Contraria sententia videtur supponere rationem legis esse periculum talium inconvenientium in hac, vel illa persona, adeoque periculum particulare; sed hoc suppositum non subsistit.

1088. Prob. nam contraria sententia vult cessare legem in persona & casu particulari; quia in tali persona, & casu particulari cessat ratio legis, seu periculum eorum inconvenientium, propter quæ cavenda condita est lex; vel ergo volunt in persona particulari cessare periculum particulare, vel commune? sed neutrum dici potest; si enim dicunt primum, falluntur in supposito, quòd particulare periculum sit ratio talis legis; si secundum, falluntur, quòd cessante periculo alicujus mali in persona particulari, cesset esse periculum commune; ut per se patet; ergo. Sic ex eo, quòd Titius ante decimum sextum ætatis annum habeat maturitatem etiam majorem, quàm multi etiam post annum 18. &c. non sequitur quoad eum cessare legem irritativam professionis factæ ante legales annos; quia per hoc non cessat commune periculum, quod jus præsumit de insufficientia maturitatis judicij ad se perpetuò obligandum in tali statu; & sic in multis alijs.

§. V.

De cessatione legis per desuetudinem.

1089. Ante resolutionem not. inter desuetudinem, & consuetudinem legi contrariam, esse differentiam, prout constabit ex n. 1648. quòd hæc sit, quando per frequentiam actuum fit contra legem; il-

Tom. I.

la verò, quando lege non utimur. Est tamen non usus alius merè privativus, & contingens urgente, vel non urgente lege; alius necessarius. Per non usum necessarium non cessare legem, constat ex dict. à n. 187. idem est de non usu merè privativo non urgente lege. Loquimur ergo de desuetudine sumpta, non pro mera non acceptatione legis (hæc enim differt à desuetudine, secundum dicta n. cit.) sed sumpta pro non usu, urgente lege.

Desuetudine porro legitimè completa, seu perfecta, posse cessare legem, constat ex n. 189. quid autem requiratur ad hoc, ut perfecta sit, & legitimè completa, dictum est à n. jam cit. Et ideo, cum quaeritur, an ad legem substantialiter pertineat, quòd acceptetur, vel in usum deducatur à populo? responderetur, non requiri, ut constituatur, & obligationem inducat; secùs, ut ceptam obligationem continuet, prout exposuimus à n. 185. & ineptè tunc, cum urget lex, allegari, legem non esse acceptatam, vel in usum deductam, nisi priùs desuetudo perfecta sit, & ut talis allegari possit, de quo V. n. 223. & seq. Qualiter autem cesset, vel abrogetur lex per consuetudinem, dicemus tit. de Consuet.

1090.

§. VI.

De cessatione legis per interpretationem.

1091. Interpretatio legis propriè non tollit, sed solum explicat legem in eo, quo ambigua, vel obscura erat. Si enim loquimur de interpretatione authentica; hæc solum statuit, sub quo sensu verba legis accipienda sint, & lex observanda, quo lex non tollitur, aut cessat, nisi quoad sensum, authenticæ declarationi oppositum, vel ambiguum, quem quoad subditos ante habebat; si autem loquimur de merè doctrinali; hæc vim legis tollendæ, propriè loquendò, non habet; sed (si requisitis nitatur fundamentis) solum fundandi apud alios judicium subjectivè probabile, quo scilicet apud se prudenter judicent, lege non comprehendi hunc, vel illum casum, hanc vel illam personam in talibus determinatè circumstantijs; consequenter se hic & nunc licitè id agere, quantum est vi talis legis, quin culpam

1091.

Ii

imputa-

imputabilem contrahant; cum ponantur operari ex conscientia nixa prudenti, ac rationabili fundamentò, inculpatè per iudicium intellectus sui approbato. Interpretatio igitur non tollit obligationem legis, sed declarat solum legem in hac circumstantia obligare, vel non obligare; & de hac materia V. dicta à n. 910.

## §. VII.

## De cessatione legis per derogationem.

1092. **D**erogatio legis est ablatio legis in perpetuum, quoad partem, non in totum. Communis regula est, quòd posterior lex Principis derogat priori, in quantum ei contraria est, licèt id non exprimat, ut habetur c. 1. de Constitut. in 6. ibi: *Licèt Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendò posteriorem (quamvis de ipsa mentionem non faciat) revocare noscatur*: quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta, cum sint facti, & in facto consistant, potest probabiliter ignorare, ipsis (dum tamen sint rationalia, per constitutionem noviter à se editam, nisi expressè caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare. Not. autem si posterior priori in totum est contraria, priorem abrogari; si solum in aliquo, ei quoad illud derogari per posteriorem. Hinc derogatio non fit, nisi ad contraria, ut ex cit. c. colligit Fagnanus c. *Tuarum*, de privileg. n. 48.

1093. Ex hoc deducitur, quòd in Principe censetur esse notitia omnium iurium, sive legum communium. Hinc eum non excusat error, sive ignorantia juris, ut dicitur c. 1. cit. & habetur etiam L. *omnium*, C. de testamentis. Quare hoc ipso, quòd condatur novam legem priori contrariam, hæc vel abrogatur, vel derogatur, si prior fit ex jure communi. Hæc regula ampliari debet, ut procedat in statutis novis, quæ contrariantur prioribus à Magistratu conditis, ut notat Layman in cit. c. 1. n. 5. Deinde etiam, ut rescriptum posterius deroget priori, secundum quod ei contrariatur. Tertio in consuetudine generali, cui derogat specialis, ex eadem ratione, teste Layman cit. n. 6. Quarto in statutis conditis secundum jus commune, cui con-

stitutione posteriori derogatur; sic Azor p. 1. l. 5. c. 26. q. 17.

Econtra rursus limitatur, ut non procedat quoad decreta Concilij generalis, ubi requiritur eorum expressa mentio, de quo V. dicta à n. 521. Limitatur 2. quoad statuta particularia locorum, & personarum. Idem dic de similibus consuetudinibus ex n. priori; excipe, nisi conditæ sint secundum jus commune, cui per legem posteriorem derogetur, ut notatum in num. preced. vel suæ legi generaliter latæ Princeps adjiciat clausulam: *non obstante quocunque statuto, aut consuetudine in contrarium*; ita Gail l. 2. observ. 18. n. 1. Limitatur 3. ut non procedat in legibus anterioribus, quæ ad sui ab-vel derogationem exigunt specificam, & expressam sui mentionem. Hinc illis non derogat lex posterior, vel nullam eorum mentionem, vel tantum generalem faciens, sub clausula scilicet communi, *non obstante quocunque constitutione contraria*. Quia, cum Princeps censetur habere notitiam legis anterioris, non censetur ei velle derogare per subsequentem dispositionem nisi cum clausula, quam lex anterior ad ejusmodi effectum requirit.

Præter assignatam regulam de lege, seu constitutione derogante, afferri solet etiam alia, de qua Barbosa in jurisprudentia brocardica, seu axiomatica fuse agit l. 5. c. 5. axiom. 4. & est hæc: *generi per speciem derogatur*; & habetur in utroque jure, L. *in toto jure*, ff. de reg. juris L. *Sanctio*, ff. de penis, c. 1. & c. *pastoralis*, de reg. juris in 6. Sensus est, quòd *constitutio specialis deroget constitutioni generali*. Sic mandatum speciale derogat generali, non contra. Circa hanc regulam not. eam primò procedere in omni materia; sic Cardinalis Tuschus *practic. conclus. tom. 4. lit. G. conclus. 16. n. 1.* Deinde ut etiam procedat in legatis; sic Barbosa *loc. cit.* quod etiam verum est in fidei commissis, institutionibus, substitutionibus, & in omni ultima voluntate, item in legibus, statutis, consuetudinibus, compromissis, iudicijs, rescriptis, mandatis, & in omni actu, materia, & dispositione. Tertio, sive genus præcedat, sive sequatur, L. *Servo*, l. 5. ff. de pecul. leg. & Bald. in L. *toto jure*, ff. de reg. juris n. 7. & 14. hinc in probationibus, *probatio in specie delicti prævalet proba-*

probationi in genere, v. g. quòd accusatus sit bonæ famæ, &c.

1096. Not. 2. eandem regulam limitati, ut non procedat. 1. Quando genus, & species se invicem compatiuntur; Bartolus L. Servo, ff. de peculio leg. Ratio est ex num. 1092. 2. Quando genus, & species apponuntur favore ejusdem personæ; Tuschus cit. conclus. 36. n. 79. 3. Quando species præcisè accedit generi. Nam prorogato genere prorogatur species; Tuschus cit. n. 80. 4. In jurisdictionibus, quia si datur in genere, & in specie, potius concessa censentur cumulativè, quàm derogativè; ita Tuschus cit. n. 102. 5. In generalibus literis gratiæ ad beneficia. Nam his non derogatur per speciales posteriores, quando per generales est jus quæsitum; secus si effectus penderet ab eventu incerto; ita Tuschus cit. n. 101. 6. In diversis dispositionibus diverso tempore factis; vel quando specialis provisio ad diversum tendit finem, Barbosa cit. limitat 8. 7. In privilegijs; quia per privilegium speciale non derogatur generali; intellige in totum, & nulla facta mentione privilegij generalis; ita Sylvest. in Summa V. privilegium q. 10. ex c. dudum, §. nos igitur, & c. quamvis tibi, de præbend. in 6.

ARTICULUS XVII.

De activa dispensatione legis.

1097. **P**Otiorem hujus materiæ partem dedimus l. 4. decret. q. ult. p. 2. ubi actum est de dispensationibus in impedimentis canonicis conjugiorum. Unde in præfenti ea duntaxat insinuabimus, quæ inibi jam tradita sunt, exposituri reliqua ibidem prætermisissæ; est autem hæc quæstio, penes quem sit potestas dispensandi in lege, vel jure, proprio, vel alieno?

§. I.

Quid sit dispensatio legis, & quis ejus effectus?

1098. **D**ispensatio, prout hæc accipitur, est juris alicujus relaxatio, seu alicujus exemptio à legis obligatione, ut colligitur ex c. de multa, c. Si qui, l. q. 7. & ideo Tom. I.

vocatur moderatio canonum, c. Ipsa pietas, §. si inquirat, 23. q. 4. Ex quo sequitur, dispensare hæc idem esse, ac aliquem solvere ab obligatione legis, seu juris. Et quia fieri potest, quòd quis solvatur ab obligatione juris etiam municipalis, dispensatio non bene restringitur, ut sit solum relaxatio juris communis, de quo plura l. 4. decretal. à n. 2010.

Effectus autem dispensationis est, ut, quod de jure est illicitum, dispensatione fiat licitum. Hinc dispensatus in aliqua juris inhabilitate, fit habilis, æquè ac habilis naturaliter, seu habilis de jure communi. Nam fictio juris tantum operatur in casu ficto, quantum veritas in casu vero, L. Filio, ff. de lib. & Posthum. & factum civiliter eundem habet effectum, quem factum naturaliter, L. fin. ff. mandat. L. Si mater, C. de justit. Qualiter autem dispensatio differat à privilegio, legis interpretatione, irritatione, abrogatione, ac derogatione, diximus l. 4. à n. 2012.

Præter hæc not. 1. aliud esse dispensare in lege propria; aliud, in voto, & juramento. Nam dispensatio in votis aut juramenti nec validè fieri potest sine justa causa; secus dispensatio in lege propria, ut dicemus n. 1127. deinde in lege propria dispensat Pontifex nomine suo; in votis nomine Christi, cujus vices agit, ut sentiunt complures; esto aliàs non sit dispensatio, saltem directa in jure divino, sed directa tantum interpretatione, vel subtractione materiæ, ut alibi diximus. 3. votum etiam voventis autoritate commutari potest, si priori materiæ substituat aliam meliorem in ordine ad Dei cultum, & animæ suæ salutem; subditus autem legem commutare nequit.

§. II.

An in jus naturale, & divinum cadere possit dispensatio?

1101. **Q**uæstio 1. est, an dispensari possit in jure naturali divino? Resp. nullam dispensationem, propriè dictam, posse cadere in jus naturale divinum præceptivum, vel prohibitivum; ita Suarez l. 2. de legib. c. 14. n. 5. Nam ea, quæ naturali jure præcepta sunt, habent conformitatem; & quæ prohibita, difformitatem necessariam cum recta ratione; ergo sub ijs circum-

li 2 stantij,

stantijs, sub quibus sunt sub jure naturali, id quod præceptum est, nequit fieri non præceptum; & quod prohibitum, fieri non prohibitum; quod tamen evenire deberet, si cadere posset sub dispensationem. Et ideo, cum dicitur: *quilibet Legislator in lege sua dispensare potest vel per se, vel per alium*, ad summum obtinet in lege positiva, sed non *necessaria*, seu naturali, de quo plura V. l. 4. decret. à n. 2015.

1102. Quæstio est 2. *an in jus positivum divinum cadere possit dispensatio?* de dispensatione, quam facit ipse Deus, vel alius ejus nomine, non est dubium; sed difficultas est, an alicui hominum Deus communicaverit potestatem, suo (nimirum Dei) nomine, dispensandi in jure divino positivo? plures tenere affirmativam diximus l. 4. n. 2020. probabiliorem tamen ibidem n. 2021. diximus negativam, nisi in casu pro quo habetur Dei revelatio, vel Ecclesiæ autoritas, pro tali concessione summo Pontifici facta. Cujus probationem, & contrariorum solutionem dedimus *loc. cit.* à n. n. jam citato.

## §. III.

*An, & qualiter Legislator dispensare possit in legibus à se conditis: aut inferior in lege Superioris?*

1103. DE hac quæstione plura dedimus lib. 4. decret. ubi ad 1. quæstionem respondimus, posse, nisi affectæ sint majori vinculo, ut ibidem exposuimus à n. 2030. ubi etiam retulimus casus, pro quibus ea potestas limitatur. Ad 2. quæstionem respondent aliqui, posse inferiorem dispensare in lege Superioris *non reservata*, quoties ei non est interdictum; sed l. 4. à n. 2034. tanquam probabilius amplexi sumus, id inferiorem non posse, nisi expressè, vel tacitè illi concessum sit à Superiore; ubi pariter hujus opinionis attulimus probationes, & contrariorum solutionem. Quando autem censeatur inferiori tacitè concessum, ut dispensare valeat in lege Superioris, ibidem attulimus à n. 2038. quid verò possit inferior in lege Superioris in dubio, vel casu urgentis necessitatis? constat ex dict. *ibid.*

à n. 2043.

## ARTICULUS XVIII.

*De passiva dispensatione legis.*

1104. Quæstio est, circa quos potestas dispensandi exerceri possit? communis responsio est, eam exerceri circa subditum. Nam actus dispensationis, seu exemptionis ab obligatione legis, non minus est actus jurisdictionis, quam condere legem, & obligationem; lege inducta, imponere; eo ipso autem importat in ferente legem, vel dispensante superioritatem, & in obligando, vel dispensando subjectionem. Difficultas est, an quilibet possit se subjicere, seu inducere in se subjectionem, ut vi ejus ab illo, cui se subjicit, relaxari, aut dispensari possit in lege?

## §. I.

*An quilibet Superior secum dispensare possit?*

1105. Quæstio est 1. an secum dispensare possit in lege propria? hæc quæstio pendet ab ista, *an Legislator ligetur legibus à se conditis?* Ad hanc quæstionem respondimus superius à n. 551. ubi diximus Legislatorem non ligari suis legibus quoad vim coactivam, sed solum directivam, non in vi talis legis, sed in vi circumstantiæ, qua posita subintret jus naturæ, adstringens illum gubernare subditos etiam exemplò. Ex hoc responderetur, posse Superiorem dispensare secum solum indirectè in lege propria, tollendò scilicet illi comprehensionem suæ personæ (hoc enim pendet ab ejus voluntate) consequenter faciendò, ne sublata circumstantiâ, à qua pendet, lex naturæ subintret.

1106. Quæstio est 2. an Superior secum dispensare possit in lege Superioris, super his, in quibus potest cum subditis, ex potestate sibi, & officio suo à Superiore commissa? R. posse, nisi expressè prohibeatur. Hanc potestatem Superior subordinato non tantum quoad suos subditos, sed etiam quoad suam personam concedere potuit; & sic factum esse, ubi non est expressa prohibitio, rationabiliter suadetur ex eo, ne Superiores deterioris conditionis dicantur, quam subditi; ita Sanchez l. 8. matr. D. 3. n. 9. Suarez l. 6. de legib. c. 12. n. 12.

n. 12. & alij. Hanc doctrinam cum citatis Authoribus Castropalaus P. 1. tr. 3. D. 6. p. 7. §. 1. n. 3. extendit ad Prælatos Regulares, cujusmodi sunt Generales, Provinciales, Priores, Rectores, Vice-Rectores, & qui illorum vices in absentia gerunt; eò quòd hi omnes, in suos subditos jurisdictionem habeant quasi Episcopalem, subjungens, hanc esse expressam sententiam D. Thomæ 2. 2. q. 185. a. 8. Et ratio est, quia nullo jure cautum est, ne Superior secum dispenset in his, in quibus potest cum subditis, quando id expressè illi non est prohibitum.

1107. Dices: nemo in se ipsum potest jurisdictionem exercere, & sibi ipsi subjici; at dispensatio est actus jurisdictionis; ergo maj. prob. 1. ex c. *Per nostras, de jure patronat.* ibi: *nullus se ingerere debet Ecclesiastica prelationis officii.* 2. ex c. *fin. de Institutionibus*, ubi dicitur, quòd, qui beneficium conferre potest, *non possit se ipsum instituere, cum inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personarum.* 3. ex Clement. II. *de reb. Eccles. non alienand.* ubi valet unio facta alteri Ecclesie de consensu Episcopi, & Capituli; non autem facta ipsi Capitulo, eò quòd in propria causa nemo sibi jus dicere possit. 4. denique quia *nec tutor in rem suam auctor fieri potest*, ut dicitur L. 1. ff. *de auctorit. & consensu tutor.* 5. denique, quia aliàs secum dispensare posset in censuris à se contractis.

1108. Ante responsionem not. nos non dicere *indefinitè*, Superiorem posse omnia circa se, quæ potest circa subditos suos, sed solum, ipsum posse dispensare secum *in lege Superioris*, in qua potest cum suis subditis; quod etiam extenditur ad vota, & juramenta, propter eandem rationem, quam attulimus n. 1106. Not. 2. jurisdictionem esse multiplicem; unam contentiosam, de qua n. 98. & hæc porrigitur ad diversos actus, à quibus denominatur, qualis est *legislativa, coactiva, judicialis* inter partes, decidendò causas, ferendò sententiam condemnatoriam, vel absolutoriam &c. quibus positis: Resp. ad object. cum dist. maj. nemo in se ipsum potest jurisdictionem *contentiosam* exercere, C. maj. *voluntariam*, N. maj. *universaliter*; dist. min. sed dispensatio in lege, voto, vel juramento, est actus jurisdictionis *volun-*

*taria*, C. min. *contentiosa*, N. min. & conseq. dixi *N. maj. universaliter*; quia concedo, quòd nemo in se ipsum exercere possit jurisdictionem *etiam voluntariam*, quando materia est ambitiosa, & fraudibus subjecta, cujusmodi sunt casus, de quibus procedunt jura pro majoris probatione allata, ut mox dicemus. Quare

Ad c. *Per nostras, de jure patronat.* 1109. & verum esse, quòd actus *presentationis*, qui competit Patrono, sit actus jurisdictionis voluntariæ; & tamen nullus se presentare possit ad personatum alicujus Ecclesiæ, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studijs, & meritis adjuvetur, ut expressè dicitur in textu *c. cit.* sed hoc nihil est contra id, quòd asserimus. Nam 1. actus hic prohibitus non est *dispensatio in lege*, de qua procedit conclusio nostra. 2. quia casus hujus capituli est *in materia ambitiosa*, ut expressè notat gloss. *in cit. c. V. Ingerere*, quæ intervenit in immodico appetitu honoris, potestatis, vel dignitatis, non attendendò ad alios; cui sæpe miscetur cupiditas, quæ est in lucris terrenis, ut notat Pereyra *in Elucid. n. 1524.*

Ex hoc sequitur, cum in ejusmodi materia, ad exercitium jurisdictionis voluntariæ Ecclesia petit *realem distinctionem personarum dantis, & accipientis*; id non esse ex natura rei, cum in multis sufficiat distinctio juridica, qualis fuit in Christo satisfaciente pro peccatis nostris Deo; idem enim Christus erat, qui satisfecit, quatenus voluntariè in se suscepit onus solvendi debitum ex offensa Dei contractum ab hominibus; & simul fuit is, cui satisfactio dari debuit, nempe Deus: sed solum esse constitutione Ecclesiæ, cavere volentis ambitionem, & terrenorum cupiditatem, prout colligitur ex *c. in scripturis*, 8. q. 1. & *c. Si is, qui*, 1. q. 6.

Ad c. *fin. de Institut.* R. C, quòd ibi dicitur, *Custodem*, postquam electus fuit ad Abbatiam tunc vacantem, non potuisse de jure retinere *custodiam*; causam reddit in textu Pontifex; *quia donare custodiam, seu officium custodis in ea Ecclesia pertinebat ad ipsum Abbatem*, quo casu si Custos, factus Abbas, adhuc retinuisse custodiam, idem sibi ipsi donasset, quòd fieri non potest; unde factum, quòd in tali casu requiratur inter donantem, & accipientem distinctio personalis.

1112. Responderi etiam potest cum Abbate in cit. c. *Ad nostras*, n. 5. & c. *Ex literis*, de probat. à n. 11. assignatam à Pontifice rationem in hoc textu, quòd *debeat esse personalis distinctio inter dantem, & accipientem*, non esse generaliter accipiendam; sed tantum *in ea materia beneficiorum*; cum non sit conveniens, ut Prælati, beneficiorum distributor, sibi ipsi conferat, tum ad cavendam terreni lucri cupiditatem; tum beneficiorum in una persona pluralitatem; cum per hoc divinus cultus diminuatur. Eandem solutionem habet id, quod adducitur ex cit. Clem. II. & L. 1. loquitur enim solum *in certa, non autem ea materia*, de qua in præfens quæstio est. Ad hoc autem, quod in fine object. n. 1107. dicitur, sequi, quòd Superior valens subditos suos liberare à censuris, etiam posset se ipsum. R. N. sequam censuræ tolli non possunt nisi *absolutione*; absolutio autem est quædam *sententia, & actus jurisdictionis contentiosæ*, quæ non exercetur in se ipsum, sed in alium; nemo enim à se ipso cogi, sententiarum, absolvi, aut condemnari potest.

1113. Instabis: ergo saltem se absolvere poterit ab irregularitate, depositione, & alijs inhabilitatibus, à quibus potest suos subditos. R. cum distinctione, & concedo illatum, quando ea, de quibus loquitur, sunt ab ipso jure non præcisè ad Prælatos restricta; non autem, quando sunt per sententiam ab homine, vel à jure tantum pro Prælati. Ratio primi est, quia altior Superior potuit subordinato committere vices suas, ut cum suis subditis, & secum ipso dispenset in omnibus pœnis, & irregularitatibus, quæ sunt à jure communiter, hoc est, non præcisè ad Prælatos restrictæ; & ne deterior sit subditis, sic concessisse meritò præsumitur. Ratio secundi est, quia præsumi non potest potestas Prælati ab altiori Superiore commissâ, quòd Prælati immediatè, aut mediatè per alium à se electum, possit se liberare à pœnis præcisè restrictis ad Prælatos; ex hoc enim ei negato non evaderet deterior subditis quoad communem favorem; imò probabilius est, nec commissam illis potestatem dispensandi cum subditis in his, quæ per sententiam specialiter latam ab homine incurruntur; cum hoc obstet virtuti coactivæ, quam habet imponens

ejusmodi pœnas, quin communiter eam alijs committant.

1114. Ad id, quod dicitur, neminem sibi subijci, quod tamen fieri deberet, si Superior secum ipso dispensare posset in aliquo. R. id fallere quoad actus jurisdictionis voluntariæ, ut præmissum est; nec universim procedere spectatâ naturâ rei; sed solum in certis casibus; in alijs autem solum dispositione juris. Deinde ad summum sequitur, quòd Superior, & subditus, dans, & accipiens, in casu præfentis controversiæ non possit esse idem realiter, & juridicè; secus, idem realiter, sed non juridicè. Nam Superior liberans communitatem aliquam, seu dispensans in aliqua lege, potest eo ipso etiam gaudere tali dispensatione, tanquam pars communitatis dispensatæ; & tamen in quantum dispensans, & dispensatus, est idem realiter, sed non juridicè. Sic, cum Episcopus in sua diecesi dispensat cum communitate, ut non teneatur jejuna in pervigilio S. Mathiæ, incidente in feriam tertiam dierum antecineralium, & satisfaciat Sabbatho antecedente Dominicam Quinquagesimæ, licitè non jejuna cum dicta communitate illâ feriâ tertiam; quia in quantum pars communitatis dispensatæ non consideratur ut Superior communitatis.

## §. II.

*An, & qualiter Superior loci dispensare possit cum vagis, & forensibus?*

1115. DE vagis communis tenet, eos posse dispensari ab eo loci Superiore, ubi actu sunt; quia, cum non habeant certum domicilium, seu habitationem permanentem, vi cuius certo Superiore permanenter subditi sint, ratione transitus per locum aliquem, subijciuntur Superiore loci, in quo transeunter sunt; ergo in quibus dispensare potest cum suis subditis, in ijs etiam dispensare poterit cum vagabundis; ita Sanchez l. 3. de matrim. D. 25. n. 5. Lessius l. 2. de Just. c. 40. D. 18. n. 121. Et ideo n. 582. tanquam probabilius tenuimus, vagos teneri etiam legibus municipalibus locorum, per quæ transeunt.

1116. Difficultas est de forensibus, & peregrinis. Nam aliqui tenent, peregrinos, & forenses,



forenses, etiam si brevis tempore morentur in aliquo loco, posse à dicecesano illius loci dispensari in legibus, votis, & juramentis, sicut possunt reliqui ejus subditi; sic Basilius de Leon. l. 8. c. 5. n. 7. Alij requirunt, quòd illuc veniant, animò ibi habitandi tempore diuturno; quia sic habent quasi domicilium; ita Sanchez l. 3. matr. D. 23. à n. 12. alij requirunt, ut in tali loco sit domiciliaris; quia secus non est ejus Parochianus, nec verè subditus; sic Barbosa p. 2. de potest. Episcopi, allegat. 36. n. 18. quamlibet harum opinionum satis probabilem censet Castropalaus P. 1. tr. 3. D. 6. p. 7. §. 2. n. 5.

1117. Caterùm conformiter ad ea, quæ à n. 581. respondimus ad quæstionem, *qua ratione lege, seu statuto teneantur forenses, & peregrini?* probabilius videtur i. eos ab Ordinario loci dispensari posse in legibus, quibus peregrini ligantur, municipaliibus, & statutis locorum, per quæ peregrinantur; sicut enim ad rectam gubernationem pertinet curare posse, ut omnes in eo loco commorantes, legem observent; ita etiam pertinet, posse cognoscere, an obligatus lege, petens dispensari, justam exemptionis causam afferat? & si talem esse deprehendat, ab onere talis legis secundùm exigentiam causarum eximat; aliàs enim peregrinus ratione brevis inibi moræ plus gravaretur, quàm cives ratione incolatùs perpetui; nam hi cum onere obligationis à suo Superiore solvi possent ab onere imposito; non isti.

1118. Dixi: *quibus ligantur.* Nam etsi communiter Authores doceant, in sex casibus, de quibus agimus à n. 570. forenses teneri statutis localibus; sub lite tamen inter Doctores est, ut notavimus à num. cit. an extra illos sex casus teneantur statutis, & municipali lege locorum, per quæ transeunt? & quamvis probabiliter affirmativam sequatur Castropalaus *ibid.* relatus; æquè tamen probabilis est negativa, quando statuta localia respiciunt commune bonum duntaxat generale, de quo V. dicta à n. 571. & seq.

1119. Videtur 2. valde probabile, cum peregrinis Ordinarium loci posse dispensare in legibus communibus, in quibus potest cum suis subditis; ita Castropalaus *cit.* D. 6. p. 7. §. 2. n. 5. Cùm enim obvenire possit casus, quod peregrinus in loco, per què

transit, ex causa sufficiente pro dispensatione, indigeat ejus auxiliò; & puniri possit ab Ordinario loci propter transgressionem legis communis etiam in ejus territorio factam, non est, unde non subjiciatur eidem in ordine ad dispensationem in communi lege; cùm sic sufficienter sit subditus ad hunc effectum.

Dices: Congregatio Concilij, prout refert Farinacius, *sess.* 24. c. 6. declaravit, forenses, & peregrinos posse absolvi ab Ordinario loci, quæ transeunt; non tamen dispensari. R. 1. juxta doctrinam traditã de declarationibus dictæ Congregationis n. 917. Resp. 2. Castropalaus *cit.* n. 2. id non esse, quia deficit jurisdictio, & potestas ad concedendam dispensationem, sed quia regulariter deficit causa requisita. R. 3. ly, non posse dispensari, in ea declaratione sufficienter salvari, negata talibus Ordinarijs dispensandi facultate, quæ illis tribuitur *indefinitè*, etiam in votis, &c.

Videtur 3. probabilius, peregrinos, & forenses in votis, juramentis, aut alijs impedimentis *singularibus* non posse dispensari ab Ordinario loci, quæ transeunt; ita Suarez l. 6. de voto c. 11. n. 11. & complures alij relati à Sanchez *cit.* l. 3. D. 23. n. 11. Rationem reddit Castropalaus *cit.* n. 6. quia hæc potestas & jurisdictio multùm pendet ex consuetudine; si ergo per consuetudinem, ex qua pendet ea jurisdictio dispensandi in votis, juramentis, & alijs impedimentis particularibus, non sufficiat subjectio *habitualis transeuntis*, aut *solum longioris commorationis*; quæ tamen non faciat *domiciliarem*, in non domiciliarem ea jurisdictio exerceri non poterit; at non sufficere subjectionem, nisi *domiciliarem* pro ejusmodi dispensatione, probabilius reddunt plures Cardinalium declarationes, quas refert Garcia de beneficio. p. 11. c. 10. n. 139. requirentes in ordine ad hoc, *subjectionem titulo domicilij*, quod non contingit sine animo ibi perpetuò manendi, ut constat ex L. nihil interest, 25. ff. de captiv. & postlimin. revers. ibi: *neque enim satis est, corpore domum quem rediisse, si mente alienus est.*

Neque paritas à Sacramentis pœnitentiæ, ac Eucharistiæ, quæ Ordinarius loci ministrare potest peregrinis eò transeuntibus, sumi potest ad votorum & similitum relaxationem; nam quoad illa propter

1120.

1121.

1122.

pter ipsorum necessitatem adest Ordinari-  
orum concessio, ut ex communi usu con-  
stat; secus quoad vota, juramenta, vel im-  
pedimenta specialia; nisi merito præsumi  
possit ob urgentem hic & nunc necessi-  
tatem, quæ non patitur recursum ad Or-  
dinarium domiciliarem. Sed tali casu  
Ordinarius loci ageret cum ejusmodi pe-  
regrino solum ex præsumpta voluntate  
Ordinariorum, ad quos hic pertinet ratio-  
ne domicilij.

1123. Dices: c. cum nullus, de temporib. ordi-  
nat. in 6. dicitur, quod nullus Clericum  
alienæ Parochiæ debeat, præter Superioris  
licentiam, ordinare; cum ergo textus sin-  
gulariter de Sacramento Ordinis requirat  
licentiam Superioris (quo nomine intelli-  
gitur is, in cujus diocesi promovendus do-  
micilium habet) ad reliqua Sacramenta  
recipienda, & dispensationes obtinendas  
tacite insinuare videtur Superiorem habi-  
tationis saltem diurnæ sufficere. R. C.  
ant. N. conseq. quia in dato c. non erat  
quæstio universalis circa jurisdictionem  
Ordinariorum in homines alienæ dice-  
cesis; sed solum particularis, an, ut quis  
licite recipiat, & alter conferat Sacramen-  
tum Ordinis, sufficiat qualiscunque subje-  
ctio ordinandi ad ordinantem? & respon-  
sum est, quod non, sed requiri, quod vel  
sit ejus diocesanus habitatione, ac domi-  
cilio; vel legitima licentia, & dimissione  
Superioris diocesanæ ad alium.

§. III.


An Metropolitanus dispensare possit cum  
subditis suorum Suffraganeorum?

1124. **S**uppon. 1. quod Metropolitanus nul-  
lam habeat jurisdictionem in subditos  
suorum Suffraganeorum extra casus in ju-  
re concessos, ut dicitur in c. Pastoralis 11.  
de offic. Ordinar. ubi habetur, quod Ar-  
chiepiscopus causam, ad se per appella-  
tionem delatam, committere possit sub-  
ditis sui Suffraganei; non tamen possit in-  
vitum compellere ad eam suscipiendam;  
cum, exceptis quibusdam casibus, nullam  
habeat potestatem. Idem expressè dicitur  
in c. 1. de foro compet. in 6. per complures  
§. §. & alibi.

1125. Suppono 2. casus, in quibus Metro-

litanus in subditos suorum Suffraganeo-  
rum jurisdictionem exercere possit, esse  
sequentes. 1. si causa per appellationem  
ad ipsum devolvatur, ut dicitur c. 1. de  
offic. Legat. ibi: licet Archiepiscopus me-  
tropolitico jure audire non debeat causas  
de Episcopatibus vestris, nisi per appella-  
tionem deferantur ad eum; quod etiam  
habetur c. duo, 9. de offic. Jud. Ord. nisi per  
consuetudinem, vel privilegium habeat,  
ut etiam extra casus in jure concessos in  
eos jus dicere possit. Secundus casus est,  
quando res ad ipsum devolvitur propter  
negligentiam Suffraganeorum; sic gloss.  
in cit. c. Pastoralis, V. Exceptis. Hujus  
porro negligentia casus complures refert  
Barbosa in c. Pastoralis, à n. 8. cum primis  
autem Quaranta in Summa Bullarj, V.  
Archiepiscopi auctoritas. Tertius est, cum  
ipse Archiepiscopus visitat dioceses suo-  
rum Suffraganeorum. Nam tali casu pro-  
cedit ut Superior; sed hoc limitat Castro-  
palus cit. P. 1. tract. 3. D. 6. p. 7. §. 3. n. 2.  
ut censeatur Superior ad absolvendum, non  
dispensandum. Nam in c. fin. de censibus  
in 6. expressè habetur, Archiepiscopum  
in visitatione suæ Provinciæ (quam libe-  
rè suscipere potest, etiam si sui Suffragane-  
i non sint negligentes) posse audire con-  
fessiones omnium, absolvere, & peniten-  
tias imponere; quin fiat mentio faculta-  
tis dispensandi.

Ex dictis colliges 1. Archiepiscopum  
cum subditis suorum Suffraganeorum  
posse dispensare in casu ad se per appella-  
tionem devoluto, si in eodem dispensare  
possit cum suis. Nam in ejusmodi casu  
est eorum Ordinarius Superior, & Judex,  
per n. 1125. Collig. 2. Archiepiscopum  
non posse dispensare cum subditis sui Suf-  
fraganei, dum visitat provinciam ex num.  
1125. nisi hoc exigeret urgens necessitas,  
quæ sufficit, ut jure extraordinario tunc  
procedat juxta dicta in præmissis; & l. 4.  
a n. 2043. nec etiam ex hoc, quod re-  
mittatur ad illum extra casum appella-  
tionis legitimæ, vel devolutionis ob injusti-  
tiam, aut negligentiam sui Ordinarij.  
Nam sola remissio ad illum non est  
justus titulus prorogandi ju-  
isdictionem.



## ARTICULUS XIX.

## De causa requisita ad dispensationem.

1127. **D**uplex quæstio esse potest in hac materia. 1. an ad valorem dispensationis necessarium sit, quod fiat *ex justa causa*? 2. An saltem, ut fiat *licite*, ac citra peccatum? Ut Legislator dispense *validè in lege sua*, nullam requiri causam, secus, ut *licite*, resolvimus l. 4. n. 2063. Dixi: *in sua lege*. Nam ut inferior dispense *validè in lege superioris*, juxta communem necessaria est rationalis causa, ut ibidem dictum est, à n. 2065. ubi etiam de utente dispensatione illicitè concessa; de causa, propter quam dispensatio conceditur, in rescripto exprimenda; & pluribus ejusmodi quæstionibus.

1128. Difficultas est, an habenti facultatem cum aliquo dispensandi, liceat imponere multam à dispensando perfolvendam? *re. vel sine eo*, quod dispensandus det aliquid temporale, adest causa dispensandi sufficiens, & completa? vel non? deinde, vel in casu, quo sine multa sufficiens causa dispensandi habetur, est dispensatio ex officio præstanda debita, vel non? si sine tali multa temporali causa dispensandi non est completa, & sufficiens, licite multam illam requisitam imponit dispensans, ut liquet in dispensationibus matrimonialibus, quæ fiunt cum clausula: *ex certis, & rationabilibus causis*, de qua V. Pyrrhus, & Corradus *in praxi dispens. Apostol. l. 7. c. 2. n. 111*. nam in his exigitur copiosior compositio ad usus publicos, de quo egimus l. 4. à n. 1105. Si autem existente causa dispensandi independenter ab eo, quod in esse sufficientis compleri egeat, collatione alicujus rei temporalis per dispensandum facta, distinguendum est. Nam si ea causa talis est, ut dispensatio *debita* sit pro illo casu, illicitum erit, dispensando renuente, & invito, imponere onus aliquod; secus, si debita non sit, & negari possit citra injuriam. Nam in hoc casu probabilius licitum erit *Legislatori*; non autem *inferiori*, dispensare sub certa multa, vel onere, à dispensationem recipiente, præstando.

1129. Ratio primæ partis (quam tenet Filliucius *tom. 2. tr. 27. c. 7. n. 129*), est, quia pro

Tom. I.

actione aliunde debita, nequit onus imponi; ne idem bis vendatur. Unde generaliter, qui actionem aliquam alteri ex officio præstare tenetur (cum pro eadem solutionem habeat ab eo, cujus potestate munus illud gerit) pro eadem ab eo, cui talem actionem debet, injustè dationem ulteriorem exigit; nimirum duplex stipendium pro debito ex justitia. Ratio secundæ partitis (quam sequitur P. Suarez l. 6. de legib. c. 16. & alij) colligitur ex c. *Licet*, 3. de *Feriis*, ibi: *indulgemus, ut liceat parochianis vestris diebus Dominicis, & aliis Festis (præterquam in majoribus anni solennitatibus) si alecia terra si inclinaverint, eorum captioni, ingruente necessitate, incumbere; ita, quod, post factam capturam, Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem*. Ratio tertiæ partis, quam sequitur Thomas Sanchez l. 3. D. 10. n. 9. & l. 8. D. 14. à n. 2. est, quia non est, unde *inferior* habeat talem potestatem, imponendi dispensando multam pecuniariam; nam illam non potest habere *ex pacto*, vel *contractu* cum dispensando; sic enim esset formalissima simonia, dandi dispensationem pro temporali, & econtra. Non *ex lege præcedente*; quia talis nulla est; non etiam *ex lege*, quam ipse statuat, cum careat potestate condendi talem legem: non denique ex potestate dispensandi commissa; hæc enim explicat solam facultatem relaxandi legem intercedente justa causa.

Hinc universaliter not. ex Suarez l. 6. de legib. c. 16. n. 9. quando Prælato inferiori committitur *potestas ex justa causa dispensandi* in lege, vel obligatione legis, per hoc ei non committi potestatem *subrogandi aliam*; consequenter nec facultatem imponendi multam pecuniariam, ubi leges, in quibus dispensat, non imponunt onera subditis, sed solum feruntur ad vitanda inconvenientia, vel servandi debitum ordinem. Hinc si nihilominus Prælati inferior dispensans imponit aliquod tale onus dispensando, non propterea illorum factum, reddit, vel arguit, esse certò licitum; sed (ut bene notat Sanchez *cit. D. 14. n. 2.*) ad summum dici potest, eum sequi opinionem contrariam sibi faventem. Et quamvis verum sit, *potentem dispensare*, etiam *posse commutare*; hæc enim potestas censetur sub illa inclusa, consequenter

K k

ter

rer meritò comprehensa sub illa: at *tollere priorem legem, & aliam denuo imponere*, non est quid inclusum sub potestate tollendi legem; sed hoc solum explicat potestas dispensandi; ergo licet hæc comprehendat potestatem commutandi; non propterea comprehendit potestatem ad multam pecuniariam obligandi; hæc enim foret nova lex.

### ARTICULUS ULTIMUS.

*De reliquis ad dispensationem spectantibus.*

1131. **P**RO debita horum expeditione not. 1. Rescripta, quibus committitur facultas dispensandi, sæpè vitiari, ac irrita esse, intercedente obreptione, vel subreptione; quæ autem obreptio, vel subreptio inducat hoc vitium nullitatis, colligi potest *ex tit. de rescriptis infra à n. 1351. & l. 4. decretal. à tit. ultimo*. Et quamvis Corradus *cit. l. 1. c. 1. n. 10.* dicat, *etiam ex falsitate causa impulsivæ* vitiari rescriptum dispensandi; contrarium tamen multò probabilius est, ut dicemus *in tit. 3. de Rescriptis*.

1132. Not. 2. cùm Pontifex *sciens* aliquod impedimentum, vel inhabilitatem, nihilominus aliquid concedit aliàs non concedi solitum, nisi habili, eum in hoc tacitè dispensare cum illo; colligitur ex gloss. in *L. Universis, C. de precib. Imperat. offer.* Dixi: *sciens*; nam Princeps nunquam censetur remittere vitium ignoratum, c. *Si eo tempore, de rescript. in 6.*

1133. Not. 3. controversum esse, an idem etiam procedat in Episcopo, vel inferiore Prælato? In hoc puncto videtur probabile, idem dicendum de tacita dispensatione Episcopi in lege propria; non autem in lege Superioris. Ratio primi est *ex dict. sup.* nam tali casu censetur ipse tacitè cedere juri suo, & quoad ejusmodi personam, & casum, legem suam revocare. Ratio secundæ partis (quam tenet Navarrus *in Manual. c. 25. n. 74.*) est, quia ut inferior dispense in jure communi, vel lege Superioris, necessarium est præmitti causæ cognitionem; at talis dissimulatio stat sine causæ cognitione præmissa; ergo non habet vim tacitæ dispensationis in jure communi, vel lege Superioris.

Not. 4. pro expressa dispensatione (quæ scilicet fit expressis verbis) nullam esse præscriptam verborum formam, vel ex natura rei, vel ex jure; sed sufficere illa verba, quæ satis exprimunt & voluntatem dispensantis, & effectum dispensationis, qui conceditur *vel generaliter* (v. g. *dispensatio tecum in omnibus irregularitatibus*) vel *specialiter*, ut *dispensatio tecum in hac irregularitate*; sic Tiraquel *de legib. connub. gloss. 7. n. 86.*

Not. 5. in materia dispensationis non valere argumentum à majori ad minus, nisi in inseparabiliter connexis, vel inclusis, juxta dicta *n. 1001.* Et quamvis ipsa dispensatio sit odiosa (utpote contraria juri communi, prout jam alibi dictum est) facultas tamen dispensandi commissa, favorabilis est, & latæ interpretationis, ut tenet Corradus *cit. c. 5. n. 27.* ac apud eum Felinus in *c. fin. de simon. & alij.*

Not. 6. cùm dispensatio sit exemptio *alicujus à lege*, requiri, quòd exprimat vel formaliter, vel saltem æquivalenter dispensati persona; non requiritur tamen, ut fiat in scriptis, cùm sola voce Princeps possit quem à legis obligatione eximere, nisi in illis casibus, ubi dispositione juris scriptura exigitur, de quibus gloss. *c. 1. §. postquam, de censibus, in 6. V. in scriptis, & Trid. de reform. sess. 25. c. 5.*

Not. 7. inter rescripta gratiæ, & justitiæ hoc discrimen esse, quòd gratia fieri possit absenti etiam sine suo mandato; rescriptum verò justitiæ requirat mandatum speciale per c. *Nonnulli, §. fin. de rescript. junct. gloss.* tum ibi, tum in c. *qui ad agendum, de Procuratoribus in 6.* Effectum tamen non habet etiam gratia, nisi innotescat, & acceptetur ab eo, cui fit, c. *si tibi absenti, de præbend. in 6.* cùm sit donatio; & colligitur ex c. *Ad mediam, vers. Ex parte, de concess. præbend.*

Dices: in c. *innotuit de elect.* annullatur rescriptum *sine mandato* impetratum, ibi: *cùm non ad postulandam dispensationem; sed petendam confirmationem ipsius fuerint nuntij destinati.* R. Non esse annullatum, quia fuit concessum *sine mandato*; sed quia fuit concessum pro confirmatione electionis, quæ invalida, & nulla erat.

Not. 8. probabilius esse, nullam esse dispensationem, in lege Superioris ab inferiore

riore factam absque causa cognitione; sic Navarrus in c. fin. h. t. n. 4. Azor p. 1. l. 5. c. 15. q. 9. Quia dispensatio sine causæ cognitione est dispensatio sine causa; causa enim non movet nisi cognita; sed dispensatio in lege Superioris ab inferiore facta sine causa non valet ex n. 1 r27. Quia Superior committens alteri suam jurisdictionem vult, ut procedat servato juris ordine; ordo autem juris petit, ut præcedat causæ cognitio, c. Necessa, c. dispensationis 1. q. 7. & Trid. de reform. sess. 14. c. 7. & sess. 25. c. 18. probabilius autem est, sufficere cognitionem causæ etiam extrajudicalem. 1. quando ea notoria est, & manifesta, per c. manifesta, 2. q. 1. c. Si quis sine, dist. 81. c. fin. dist. 51. ita Sanchez l. 8. matr. D. 4. n. 22. Deinde licet notoria non sit, modò aliunde nota; nam causæ cognitio requiritur, ne temerè agat solvendò subditum à lege Superioris; hoc autem sufficienter cavetur, esto cognitio causæ non fiat judicialiter.

1140. Not. 9. quamvis aliàs, etiam de jure communi, solo verbo Papæ, gratia perficiatur per c. Inquisitionis, 25. q. 1. Clem. dudum, §. ult. de sepultur. dispensationem tamen factam, literis Apostolicis super ea non expeditis, non valere, juxta Corradum cit. l. 1. c. 6. n. 1. probantem id ex regula Cancellariæ; ibi: *nulla talis dispensatio cuiquam in judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea litera Apostolica sint confecta.* Sed hoc intellige, non, quòd eo ipso gratia perdat, sed solum quoad effectum suspendatur, seu retardetur, donec literæ confectæ sint.

1141. Deinde verba illius regulæ: *non suffragetur in judicio, vel extra*, salvantur sufficienter in eo, quòd non prosint *in foro externo*, ubi gratiæ concessio probanda est, & *ly confectæ*, minùs videtur requirere, quàm *expeditæ*. Si enim conscriptæ, ac signatæ sint, rectè dici *confectæ* possunt; quod maximè procedit, si supplicationi adscribitur clausula, quòd sola præsentis supplicationis signatura sufficiat, & ubique, in judicio, & extra fidem faciat, regula in contrarium non obstante.

1142. Not. 10. in dispensationibus, quæ fiunt in commissione, seu in forma commissoria, plures apponi, vel etiam tacitè inesse clausulas; de his autem egimus *suprà*. copiosius autem in l. 4. decretal. q. ult. præ Tom. 1.

fertim quoad eas, quæ apponuntur in dispensationibus matrimonialibus, sive rescriptum immediatè emanet ab ipsa Sede Pontificia; sive à Sacro Pœnitentiario, de quibus V. loco cit.

P A R S II.

De quibusdam legibus in particulari.

1143. Postquam exposuimus ea, quæ generaliter respiciunt materiam legis tum quoad vim obligandi, tum quoad reliqua, promulgationem, acceptationem, extensionem, ab- vel derogationem, & interpretationem, dispensationem, cessationem, aliàque similia; de nonnullis in particulari agendum venit, præsertim propter frequentioresem eorum usum, cujusmodi est lex irritans, lex revocans, lex pœnalis, &c.

ARTICULUS I.

De lege irritante.

1144. Supponendum, quòd *irritare legem* subinde idem sit, ac *irritum declarare*; subinde verò idem, ac *irritum facere*, vel rescindendò actum, qui validus erat; vel impediendò, ne actus validus sit, v. g. præscribendò novam formam, secundùm quam, nisi actus fiat, invalide fit. Ex quo vides, legem irritantem esse illam, quæ aliquem actum irritum, vel irritandum reddit; si enim priori modo, per se ipsam irritat? si posteriori modo, irritat dependenter à sententia Judicis. Irritans per se ipsam, seu antecedenter est triplex: alia purè *moralis*, & directiva, quæ irritat actum præcisè propter bonum commune, qualis est irritans matrimonium Religiosorum, vel inter consanguineos: alia *pœnalis*, quæ irritat in pœnam, qualis est irritans electionem in pœnam præsumptionis, c. Si Religiosus, de elect. in 6. alia *favorabilis*, quæ irritat in favorem, qualis irritans professionem minoris sexdecim annorum.

1145. Supponendum 2. quòd Legislator humanus habeat potestatem, exigente bono communi, annullandi subditorum actus, nimirum sic, ut perinde se habeant, ac si facti